8-48-C-16

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8 M
48 C
16
ROMA

8

8 Bibl. B. 1890 =

Monsieur Nitarchò.

Monsieur Gatteschò.

8-48-C-16

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

G. 28. H. 24
Gustavus Pestus
G. 33. G. 28
BP. 3 A. 37. 40
GP. 8 D. 26. 28
Digitized by Google

PETRI BEMBI CARD.
EPISTOLARVM FAMILIARIVM, LIBRI VI.

EIVSDEM, LEONIS X. PONT. MAX. NOMINE SCRIPTARVM, LIB. XVI.

8-48-C-16



CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS MDLII.

AD TYPOGRAPHOS,

ET BIBLIOPOLA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PAVLI III.
Pontificis Maximi, Caroli V. Imperatoris, Henrici Gallorum Regis II, Illuſtriſsimi Senatus Veneti, Coſmi Medicis Florentinorum Ducis II, Herculis Eſtenſis Ferrariæ Ducis, Franciſci Gonzagæ Mantuæ Ducis, nec non aliorum Principum, ſub quorum ditione libri imprimuntur, priuilegijs cautum eſt; ne quis intra annos quindecim, præter eũ, cui Carolus Gualterutius mandarit, hoſce Petri Cardinalis Bembi Epiſtolarum libros im-

*preſsioni ſubijcere, aut ab alijs impreſ-
ſos uenales habere audeat. Qui horum
Principum auctoritatem hac in re ne-
glexerit, is non ſolum è christianorum
ſe cõmunitate exterminatum, ac exe-
crationibus appetitum, ſed ea etiam
pecunia, quæ in ſingulis illorum diplo-
matis continetur, mulctatum cogno-
ſcet. In quo ne quis ignorantiæ pre-
textu ob locorum interualla merito ſe-
ſe excuſare poſsit, ea quæ ſubſequun-
tur diplomata imprimenda curauimus.*

PAVLVS

PAVLVS PAPA III.

UNIVERSIS & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut dilectus filius Carolus Gualterutius Fanenſis nobis nuper exponi fecit, ipſe diuerſa opera Latina, & Græca, ac etiam materno ſermone ſcripta per Bo. Me. Petrum Cardinalem Bembum compoſita, ſicut ab eodem Cardinale in eius ultima uoluntate, eidem Carolo demandatum fuit, ad publicam literatorum hominum commoditatem imprimi facere intendat: Nos eiuſdem Caroli precibus ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, ob memoriam etiam ipſius Petri Cardinalis, doctiſſimi & eruditiſſimi uiri, omnibus & ſingulis librorum impreſſoribus, & bibliopolis in uniuerſo orbe Chriſtiano conſtitutis, ſub excõmunicationis latæ ſententiæ; in noſtris autem, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Prouincijs & locis mediate uel immediate ſubiectis, commorantibus, etiam ſub amiſſionis librorum, ac centum ducatorum auri de Camera, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, pœnis inhibemus, ne intra quindecim annos, à datis præſentium computandos, opera dicti Petri Cardinalis, quæ ipſe

Carolus imprimi fecerit, etiam ſi aliàs impreſſa fuerint, dummodo ue! aucta, uel reformata, aut in melius redacta ſint, ſine expreſſo conſenſu dicti Caroli imprimere, aut impreſſa uendere, uel uenalia habere ullo modo audeant, uel præſumant. Mandantes locorum ordinarijs, & in locis noſtris ipſorum locorum officialibus, ut contra ſecus facientes ad executionem dictarum pœnarum procedant iuris & facti remedijs opportunis; contrarijs non obſtantibus quibuſcunq;. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris die tertio Decembris M. D. XLVII. Pontificatus noſtri anno quartodecimo.

PRIVILEGIVM

Digitized by Google

PRIVILEGIVM

CAROLI V. IMPERAT.

CAROLVS Quintus Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Notum facimus tenore præſentium uniuerſis. Quum noſter et Imperij Sacri fidelis dilectus Carolus Gualterutius nobis reuerenter exponi curarit, ſe magno labore & grauibus impenſis, in communem ſtudioſorum utilitatem, nuper typis excudi curauiſſe. Epiſtolas Latinas R.mi quondam Cardinalis Bembi; uereri tamen ne idem opus, poſt quàm publicatū fuerit, alij temere æmulentur cum ipſius non leui detrimento; Et propterea nobis humiliter ſuplicauerit, quatenus ex ſolita noſtra clementia ipſius indemnitati prouidere dignaremur, NOS cum eos qui ſuo labore, ſuoq; ſumptu id efficiunt, ut optimi quiq; auctores quàm emendatiſsimi in lucem prodeant, fauore & gratia noſtra dignos iudicemus, eius Gualterutij poſtulatis clementer exauditis, tenore præſentium, & ex certa noſtra ſcientia ſtatuimus et ſancimus, ne quis omnino per totum Romanum Imperium, cuiuſcunque

ſtatus aut conditionis exiſtat, dictarum Epiſtolarum Bembi opus a præfato Carolo Gualterutio editum, per decennium, ab illius prima editione, ſine ipſius Gualterutij conſenſu imprimere, aut alibi impreſſum adducere ſeu uendere publice uel occulto præſumat, ſub pœna quinq; Marcharum auri puri, pro dimidia fiſco noſtro Cæſareo, reliqua uerò parte ipſi Carolo Gualterutio; præter librorum amiſsionem, quos ipſi Carolo ubicunque locorum reperti fuerint, per ſe uel ſuos ſibi uendicare, inq; ſuam poteſtatem redigere fas eſto, irremiſsibiliter applicãdarum. Harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum et ſigilli noſtri appenſione munitarum. Dat. in oppido noſtro Bruxellenſi die decimo Menſis Octobris. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, Imperij noſtri uigeſimo octauo, & Regnorum noſtrorum trigeſimo tertio.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.

Obernburger.

PRIVILEGIVM

PRIVILEGIVM HENRICI GALLORVM REGIS.

HENRY par la grace de DIEV Roy de Frãce, Aulx preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, Bailly de Rouen, & à tous noz aultres Seneſchaulx, Baillyz, preuoſtz & aultres noz Iuſticiers & Officiers, ou leurs lieutenans quel appartiendra, ſalut & dilection. Scauoir uous faiſons que nous uoullans gratiffier L'ambaſſadeur de noſtre treſſainct Pere le Pape, Reſidant pres noſtre perſonne, en la priere & Requeſte quil nous à preſentement faicte, Pour ces cauſes, & aultres bonnes conſiderations à ce nous mouuans, auons inhibe & deffendu, inhibons & deffendons, à tous imprimeurs & libraires de noz Royaume & pays, que iuſques au temps & terme de quinze ans prochainement uenans, commencans au iour & date de ceſtez preſentes Ilz n'ayent à imprimer, ne faire imprimer les œuures compoſez par le feu Cardinal Bembo, tant en Grecx Latin que Italien, ne ceulx qui ont ia eſté imprimez & qui reſtent encores à imprimer, mettre & expoſer en uente ſi ce n'eſt du conge & permiſsion de Charles Gualteruy de Fan, auquel ledict feu Cardinal à laiſsé par teſtament ceſte charge. Et ce ſur peine quant aulx Infracteurs deſdictez in-

hibitions

hibitions & deffences de confiſcation deſdictz liures & damande arbitraire. Si uous mandons, commettons, eſt expreſſement enioignons, que noz preſentes inhibitions & deffences uous faictes crier chaſcun en uoſtre Regard à ſon de trompe & cry publiè es lieux acouſtumez à faire ſembles crys & proclamations, de ſorte que perſonne nen pretende cauſe d'ignorance. Et ſi apres leſdictez inhibitions & deffences aucunez ſont trouuez y contreuenir, uous procedez alencontre deulx par les paynes ſuſdictez ainſy que uerrez eſtre à faire par Raiſon, Car tel eſt noſtre plaiſir de ce faire, uous auons donne, & donnons plain pouuoir, puiſſance, auctorite, commiſſion & mandement eſpecial. Mandons & commandons à tous noz Iuſticiers, Officiers, & ſubgectez que à uous en ce faiſant ſoit obey. Donne à Ioynuille le XVIII. Iour de Iuing. Lan de grace MDXLVIII. Et de noſtre Regne le deuxieſme.

Par le Roy

De laubeſpine.

RANVTIO

RANVTIO FARNESIO CARDINALI SANCTI ANGELI

GALEATIVS ROSCIVS S.

EX OMNIBVS *ijs honoribus, qui maximi ab amicis haberi poſſunt mortuis, nullus eſt (mea quidem ſententia) tam inſignis, neq; tam ſtabilis, quàm quicquid illi præclarè in uita geſſerint literis mandare, et ſi quid ipſi memoria dignum ſcripti reliquerint, in lucem edere, ac quaſi poſteritati cõſecrare, ne eorum interitu nominis quoque fama obliuione obruatur. Cætera enim, quæ in funeribus celebrandis, uel in ſepulchris ſtatuendis, inanibusq; ſimulachris collocandis curari conſueuerũt, fugacia, caducaq; ſunt, & ad præſentis uel parum longinqui temporis gratiã magis, quàm ad poſteritatis memoriam ſpectare uidentur: cum partim in ipſo funere ſtatim intereant, partim uetuſtatis ui labefactata, mox tamen frangantur & corruant. At ſi quæ doctè, ornateq; de illis, uel ab illis potius ſcripta extiterint; ea & firma, & ſtabilia ſunt: tantúmque abeſt, ut ulla confici, aut conſumi ætate poſsint, ut quo uetuſtiora ſint, eo habeantur à poſteris ſanctiora.* Hoc *cum* Carolus Gualterutius *uir & officioſus & prudens rectè perſpiceret, poſt* Petri Bembi *interitum, ut mortui laudem (quem tantopere uiuum amarat)*

rat) ab omni hominum ſilentio, atque obliuione uindicaret, nulli ſumptui uel labori parcens, omne ſuum ſtudium, omnem mentem & cogitationem, in illius doctiſsimis atque ornatiſsimis lucubrationibus edendis defixit, nihil exiſtimans ad perpetuum amici decus, & ſempiternam gloriam defuturum, ſi perficeret, ne quibus tam præſtantis eius ingenij & doctrinæ expreſſa apparerent indicia, monumenta interirent. Ac præter cætera, quæ iam & Hetruſco, *& Latino ſermone conſcripta in hominum conſpectum lucemq́; protulit, multas quibus ille latinè cum ſuis familiaribus agebat, ſumma diligentia collectas literas, nunc in medium proferre, & ſub tuo potiſsimum nomine edere conſtituit: Cuius conſilium mihi uehementer probatur. Spero enim cum id opus foras exierit, Auctori glorioſum fore: ijs qui legent apprimè utile, nonnullis uerò gloriæ cupidis adeò iocundum, ac gratum, ut hoc gratius proferri his temporibus potuerit nihil. Quotus enim quiſque eſt, cum ſuum uel ſuorum cuiuſque nomen ſenſerit his literis contineri, ad quem non ſumma, ac propè ſingularis ex hac editione lætitia peruenerit?* Nemo *enim tam eſt auerſus à gloria, qui non aliquid de ſe, quod nulla poſteritatis obſcuret obliuio, mandari monumentis deſideret. Quod quibus ingenij imbecillitate aſſequi non licet, gratiſsimum eſt poſſe aliorum ſcriptis adipiſci. Si quis uerò non ſatis magnum ex hac lectione percipi poſſe fructum exiſtimat, uehementer*

errat.

errat. Nam ut uerborum proprietatem, & elegantiam: ut grauitatem ſententiarum & ornamenta dicendi prætercam, in quo cæteros ætatis ſuæ ſcriptores tanto interuallo Bembus anteceßit, ut ab optimis illis latinæ eloquentiæ parentibus nemo propius abfuiſſe uideatur: Vt ea igitur omittam, quæ multos quidem ſecutos, hunc planè conſecutum eſſe facilè dixerim: multa uel noſtris, uel parentum noſtrorum nata temporibus, quæ pleriq; quemadmodum latinè dici poſſent antea hæſitabant; is tam puris, dilucidis, adeoq; appoſitis uerbis expreßit, ut iam dum eadem tractanda acciderint, certißimum ducem habeamus, cuius ueſtigia ſequi atque obſeruare poßimus. Auctoris autem gloriæ augendæ atque amplificandæ, quantum hoc epiſtolarum uolumen adiumenti ſit allaturum: cùm ex ijs, quæ de eius orationis proprietate, & ubertate paulò ante me dicturum negaram, ſtatui poteſt; tum quod in eo quandam expreſſam quaſi formam, figurámque præſtantißimæ Bembi uirtutis cernere licebit. Nam & quibus doctorum, atq; optimorum hominum familiaritatibus floruerit; & quàm beneficus, quàm ad bene de illis merendum propenſus, quàm denique in amando conſtans fuerit, facilè ex illarũ lectione colligitur. Apparet enim hunc illorum hominum exemplum nunquã eſſe ſecutum, qui ſi quando altiorem dignitatis gradum conſcenderint, ueteribus ſpretis, nouis ac potentioribus amicitijs indulgent, cum is non minus in

retinendis,

retinendis, quàm in conciliandis amicitijs diligens ſemper fuerit. Quòd uerò te unum ex omnibus delegerit, ad quem potiſsimum hunc librum Carolus mitteret; multis iuſtiſsimisq; cauſis adductum intelligo; atque adeò iuſtis, ut ſi iam Bembum conſulere liceret, nemini ex illius uoluntate, atque auctoritate potius quàm tibi mitteretur. Dici enim nõ poteſt, quàm uehementer te ille iam inde uſque à pueritia tua dilexerit; non ſolum amore illo communi in uniuerſam familiam tuam, cui ſe quàm plurimum debere profitebatur, ſed præcipuo quodam in te, ac ſingulari, quòd egregiam quãdam & præclaram indolem tuam perſpiceret, quòd te diſcendi ſtudio incenſum, & ad litteras adeò paratum, ac promptum, ut dicere ſoleret ſe neminem uidiſſe unquàm, qui & quæ traderentur facilius perciperet, uel percepta firmiori memoria cuſtodiret: Cum uerò ineunte ætate tua non nullas latinè à te ſcriptas literas legiſſet, tantum ſuſceptam in te beneuolentiam in dies auxit, quantum te in ijs ſtudijs, quæ ſibi placerent profeciſſe ſentiret. Mirum eſt enim ut ille non ſolum hæc ſtudia, ſed eorum ſtudioſos amarit. Addendum eſt his, quòd in ea incidimus tempora, quibus homines & ſcribendi inſcij aliorum ſcriptis iudicandis teretes nimis, ac religioſas adhibent aures. Ac propterea quaſi neceſſe fuit, te iſta amplitudine & doctrina uirum, his monumentis adeſſe, ut ad omnes curioſorum impetus, quaſi murus quidam exiſtimationis tuæ ſit oppoſitus.

Prudenter

Prudenter igitur Carolus qui ad opimam Bembi gloriam hunc ueluti cumulum uoluit accedere, & huic gloriæ tuendæ te quaſi patronum adhibendum cenſuerit. Nunc humanitatis tuæ eſt librum ut à Carolo munus libenter accipere, & ut Bembi opus eo ſtudio, atq; animi lætitia acceptum perlegere, quo doctiſsimi illius uiri ſoles omnia, quæ uix unquàm te uideo de manibus tollere: Me uerò qui illud ad te perferendum ſuſceperim, uelim ea tantum cauſa adductum exiſtimes, ne eius, qui plurimum apud me & beneficijs & amicitia poteſt, ſtudijs ac uoluntati obſiſterem, in tam æquam ſcilicet, & honeſtam officij partem uocatus, præſertim cum tibi munus omnium gratiſsimum pariter ac iocundiſsimum me ferre certò ſciam. Quod ut ſit, Auctoris dignitas, uetusq; in te beneuolentia, & Caroli fides maximè poſtulat, & ipſe omnibus precibus à te contendo. Vale. Romæ. Idibus Septemb. M D L I I.

PETRI BEMBI CARDINALIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI VI.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM FAMILIARIVM
LIBER PRIMVS.

Ad fundum Saletianum.

Petrus Bembus Ioan. *Alexandro Vrticio præceptori* S. P. D.

OPTABAM *equidem, ut ſemper multum, nunc uero maxime, te uidere & colloqui: ut de addiſcendis* Græcorum *litteris, quod tu ſæpe mihi ſuaſiſti, deq; profectionis meæ conſilio, quod adhuc te latet; & prudentiã, & amorem in me tuum, ut debebam, cõſulerem.* Erat *enim æquißimum, ut quem ego unum, ſecundum* Bembum *patrẽ meum, omnium hominum colui maxime; & cuius, cum prope in ſinu altus, tũ conſilijs, et præceptis ſemper uſus ſum; ab eodem etiam ſenteutiam peterem ijs in rebus, quæ magnopere ad totius meæ uitæ rationes pertinerent. Sed cum exiſtimarem fore, ut ante quam quicquam ſtatuerem, ad te ueniendi tempus mihi non deeſſet; repente omnia ita ſunt immutata; ut & cõſilium profectionis capere, & profectionem maturare coactus ſim, ſic profecto, te ut conuenire non potuerim.* Huius *feſtinationis cauſam* Carolus *frater meus ad te deferet:* itaq; *nihil de ea*

nunc quidem. De meo autem conſilio uolui ad te ipſe perſcribere ex Noniani bibliothecula, in qua erã, cum has ad te litteras dabam. ad quod quidem conſilium capiendum, eo ſolutior fui; quod id abs te probatum iri nõ dubitaui ex ijs ſermonibus, quos tu mecum proxime, cũ una fuimus, habuiſti: eos te memoria tenere arbitror. Sed uenio ad conſilium meum. Eſt in Sicilia Meſſanæ Conſtantinus Laſcaris, uir, nõ modo Græcus, ſed etiam Byzãtius: quæ quidem urbs ſola ex uniuerſa Græcia retinere probitatem illam Atticam antiqui ſermonis, ſi qua reſidet adhuc quidẽ eius linguæ probitas, plane dicitur. Eaq́; in urbe ludum aperuit, exercuitq́; multos iam annos & caſte, nec ſine dignitate. Is ualde omnium hominum ſermone laudatur. Scripſit de primis Grammatices elemẽtis librum ad inſtituendos pueros, qui habetur & legitur. Hunc ego illum eſſe ſtatueram, qui me doceret, ſi tu annuiſſes; uel, propterea quod eſſet ipſe in eiuſmodi doctrina facile princeps, eſt autem ab optimis doctoribus ars omnis haurienda, uel, quia in Sicilia eam artem exerceret: ubi non domeſticis curis, non publicis, non amicorum officijs, nõ paternis ullis muneribus a diſcendi ſtudio interpellarer, eò ſi me contuliſſem. Quod cum mihi placuiſſet; eſſemq́; de eo cũ Angelo Gabriele meo loquutus, ſic ab eo diſceſſi, ut ſe mecum ad idem muneris uenturũ eſſe diceret: ego autem illi etiam gratias agerem, quod ſe mihi comitem profiteretur. Iis ita conſtitutis rebus, dies aliquot iam abierãt, cum mihi eſſet perſuaſiſſimum nihil aggredi,

greri,niſi tu meum conſilium probauiſſes. Nunc *autem,cum plane cogar te non ſalutato proficiſci,ferã animo æquiore, propterea quod non uereor, ne tu id non ſolum probes, ſed etiam gaudeas, auſum me eſſe tantum uiæ capeſcere, ut aliquando eum ſermonem addiſcerem, quo tu carendum mihi eſſe non putaſti; qui me* Latinas *litteras docuiſſes.* Habes *conſilium profectionis meæ.* De *quo utinam tibi antea ſcripſiſſem:pacatiore animo in uiam me darem.* Nunc *is me ſcrupulus tenet,& puto tenebit; quo ad abs te litteras accipiam:* Quod *tamen tarde uideo fore.* Nam Bembus *quidem pater, poſteaquam meum cognouit ea in re animum, me etiam collaudauit:* Neq; *ullum boni patris officium prætermiſit; ut nihil mihi deeſſet cum ad profectionem, tum multo magis etiam ad manſionem: quam minus annuam futuram non dubitabat:* Ego *uero etiam bimam puto fore. Sed nolui eius moleſtiam augere, ut exiſtimaret ſe tam lungo in deſiderio mei futurum.* Itaq; *cras naui ad* Foſſam Clodiam*; quod uelim* Dij *approbent, reliquum iter in equis conficiemus.* Vale. Quarto *kalen.* April. MCCCCLXXXXII. De Noniano.

PATAVIVM.

P. B. *Ioanni* Alexandro Vrticio *præceptori*

S. P. D.

GRATAE *mihi tuæ litteræ fuerunt, quibus mihi de reditu è Sicilia meo gratularis:* Video *etiam*

quam gaudeas, quod ſtatuerim iſtic eſſe ad rationes ſtudiorum meorum perſequendas: quæ tamen mihi multo certe iocundiora futura ſunt; ſi te (quod ſpero) ducem habuero non ipſorum modo ſtudiorum, quorum mihi & dux, & moderator ſemper fuiſti, uerumetiam reliquæ meæ uitæ. Quod uero ſcribis te nouum uiuendi conſilium cogitare; intelligo quorſum euadas. Te autē, pro tuo in me amore, proq; mea erga te obſeruantia, et pietate, oro obſecroq;, ne quid deliberes, ante quam te uideam: quod ipſum tamen breui futurum puto. multum porrò intereſt utriusq; noſtrum, ut te alloquar, ante quam aliquid noui aggrediare. Vale. Sextodecimo kalen. Sept. MCCCCLXXXXIV. *Venetiis.*

PATAVIVM.

P. B. *Ioanni Alexandro Vrticio præceptori* S. P. D.

CAESARIS *commentarios, quos petijſti, dedi Lyco meo ad te perferendos. Liber de Gallia, quem requiris, eſt is quidem apud* Bembum *patrem, fere cum reliquis meis libris omnibus. Scripſi autem, ut illum mihi mitterent. Ad colles* Euganeos *quod me inuitas, eſt mihi gratum. Nunquam ad id propenſiore animo fui; quam nunc ſum. Sed nollem te tuosq; comites demorari. Tantum habeto, me ad te, cum primum potero, eſſe uenturum. De Aurelio quod quæris; is* Tauriſum *nudiustertius eſt profectus. Vale.*

ſectus. Vale. Septimo Kalendas Septemb. MCCCCLXXXXV. De Noniano.

VENETIAS.

P. B. Bernardo Bembo *patri* S. P. D.

MESSANAM *uenimus ad quartum nonas Maias, nauigatione uſi perincommoda: quod uiæ, cum diſcedens a te, pedibus me facturum putarem, mutaui conſilium cum eſſem Neapoli, propter hoſpitiorum infrequentiam; tum ipſa hoſpitia ab omnibus rebus imparatiſſima. Itaq; nauiculam nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauſeantes. Sed abſterſit nobis omnem moleſtiam, Conſtãtini Laſcaris humaniſſima congreſſio. Qui nos excepit libentiſſime, & liberaliter eſt pollicitus. Idq; re præſtat. Erudimur enim, mira ipſius diligẽtia, tũ amore prope paterno. Omnino, nihil illo ſene humanius, nihil ſanctius. Reliqua etiã omnia ſatis ex ſentẽtia. Vrbs, præclaro loco poſita ad mare, portu amplo atque tutiſſimo. Aëris mira temperies. Annona rerum ad uictum omnium, cum uilis, tum luculenta. Quæ tibi nota eſſe uolui, ut cõſideres, nos hic, etiam cum uoluptate futuros. Helenæ matri meæ multam ſalutem, & Carolo fratri, & Antoniæ ſorori. Vale mi pater optime atq; optatiſſime. Tertio kalen. Iunias.* MCCCCLXXXXII. *Meſſana.*

VENETIAS.

P. B. *Bernardo Bembo patri, & Paulo Piſano Triumuiris* S. P. D.

BAPTISTAE *Barzizij medici, atq; philoſophi, hominis, & omni uirtutum genere perornati, & mihi amiciſsimi, cauſam, uel ſalutem potius, & fortunas omneis commẽdo uobis maiorẽ in modum. Huius rem totam, uos, ſi iam (ut arbitror) ex ipſo cognouiſtis; puto eum mea commendatione non egere: ſatis enim uobis illum, uel cauſæ genus, uel ipſius ſanctitas, & ſumma uirtus commendauit. Sin autem non cognouiſtis; date operam (obſecro) ut uirum egregium, & innocentem maliuolorum hominum calumnia, & dolo malo ereptum e ſinu coniugis, ex amplexu ſuorum, errantem tot annos, & iam ſenem, patriæ tãdem, & ciuibus, et domui ſuæ reſtituatis. Ego, cum eius cauſa uehemẽter laboro; tum ueſtræ dignitatis, & fidei intereſſe plurimum exiſtimo, ne is ueſtram opem fruſtra imploret. Quid enim iniuſtius; quam ſi a doctis, & ſanctis uiris, homo innocentiſsimus, philoſophus præſtantiſsimus deſeratur? quod ſi is aliquando per uos reſtitutus, redierit ad ſuos; pulcherrime uos cõfido, in meq; recipio, operam ueſtram, & officium poſuiſſe, exiſtimaturos. Valete. Tertio kalen. Maias.* MCCCCLXXXXV. *Patauio.*

VENETIAS.
P. B. Bernardo Bembo patri S. P. D.

DOLOREM *meum, quem quidem incredibilem, ex* Helenæ *matris meæ, fœminæ innocentiſsimæ, mihiq́; chariſsimæ morte percepi; illæ ipſæ tuæ litteræ quæ attulerunt, magna ex parte etiam lenierunt, mirabiliterq́; temperauerunt*. Eodem *enim tẽpore, & illam extinctam eſſe, & te hanc fortunæ iniuriam fortiter, ac prudenter ferre cognoui.* Quod *quidem mihi, ſi in tanto mœrore iocunditati locus aliquis dari potuit, iocundiſsimum; ſi non potuit, opportuniſsimum certe fuit*. Nam *cum duæ eſſent cauſæ, quibus maxime commoueri debui ad luctum; una, quod me parente optima, meiq́; amantiſsima orbatũ uiderem: altera, quod te priuari lectiſsima, prudentiſsimaq́; cõiuge, cũ qua, duo de quinquaginta annos, ſine ulla querela cõcordiſsime uixiſſes, tibi patri meo, acerbiſsimum, atq́; luctuoſiſsimum putarem futurum.* Harum *duarum cauſarum altera, me abs te leuari ſentiebam; cum ipſis in litteris tuis, quas mihi, eius rei nuntias miſeras, plurimas rationes colligeres, quibus me conſolareris, admoneresq́;, ut ea prudentia, quam (ut ipſe aiebas) præ me ferre cæteris in rebus ſoleo, etiam hoc tempore uterer*. Non *enim uideo, qui me conſolari potueris; niſi te prius ipſe fuiſſes conſolatus*. Itaq;, *una me cauſa doloris (ut dixi) abs te leuatum puto: non quod te, tam profundo*

accepto uulnere, nihil omnino dolere, nihil lamentari exiſtimem. Carere enim ſenſibus non poſſumus; ut ea, quæ nobis in uita cum chariſsima, tum iocundiſsima fuerunt, amiſiſſe non moleſte feramus. Sed in ipſa moleſtia tenere quẽdam modum, & adhibere, quaſi dominam & magiſtram ſenſibus, rationem, plane poſſumus. Id qui ſunt aſſequuti, magnum eos a Dijs immortalibus beneficium conſequutos puto: aduerſa enim atq; acerba omnia moderate ac temperanter ferunt. Quod, quoniam te præſtare uideo; liberor eo dolore; qui, ſi tuas litteras non legiſſem, plane me confeciſſet. Reſtat altera cauſa doloris, eius mulieris (quæ quidem mihi, ſecundum te, rerum omnium quæ ſub cœlo ſunt, chariſsima, iocundiſsimaq; ſemper fuit) ipſa priuatio, atq; amiſsio: quo dolore, me, nulla temporis longinquitas liberabit. Quandiu enim me, meus memoriæ ſenſus non relinquet; tandiu doleam neceſſe eſt, illius morte, maximum mihi meæ uitæ præſidium, atq; ſolatium eſſe ſublatum. Quæ enim res mihi unquam accidere potuit tam acerba, tamq; dura; cuius ego non, in illa uiua, cum mœrori conſolationem, tum iacturæ compenſationem inuenerim? Quos euentus rerum ſecundos, quas honeſtas uoluptates, quas dignitates, quem honorem mea mihi ſtudia, curæ, uigiliæ pepererunt; quibus in omnibus aſſequendis rebus, non illius plane, uel induſtria, uel labor, uel conſilium & pietas mihi præſto fuerit? Illa, me præſentem fouebat, abſentem tuebatur: hilari, mœrenti, otioſo, laborioſo, opportuna mihi

tuna mihi æque,atq; ſuauiſsima ſemper fuit. Quam ob rem illius morte quin angar, & dolore afficiar; donec uiuam,atq; illi ſuperero; nunquam profecto erit. Quoniam uero tu, cum quidem uel eaſdem ipſas,dolendi,atq; mœrendi cauſas habeas,quas ego habeo, uel etiam aliquanto plures,atq; iuſtiores; adhibes tamen dolori tuo modum; utar equidem tuo exemplo,cum hac de cauſa, tum propterea,quia me multum,tuarum litterarum cohortatio, ad moleſtiã cohibendam,& ad luctus compeſcendos commouit: neq; committam, ut,qui te patrem meum, ſuperſtitem habeam; aliquid putem contigiſſe mihi poſſe,nõ moderate ferendum. Itaq;,cum dolebo (dolebo autem, ut dixi, ſemper) temperate id faciam; quemadmodum te facere uideo: niſi me decipis, idq; falſo te oſtendis facere, quo me facilius conſolere. Qua in re,ſi mihi perſuadere poſſem,diſsimulatione te uti doloris tui; agerem tecum multis uerbis; conarerq; oſtendere, nihil tibi accidiſſe, quod ægre,aut etiam non tranquille,tibi ferendum exiſtimares. Quid enim,tu non tranquille feras,uxorem tuam optimam, prudentiſsimamq; fœminam; ex qua liberos ſuſceperis, qui tibi etiam nepotes iocundiſsimos procreauerunt; clariſsimi nominis, ſummæq; dignitatis mulierẽ, ſeptuaginta prope annos natam, integris ſemper uſam ſenſibus,inter tuas & ſuorum manus,pacato ac tranquillo animo deceſsiſſe? Ecquæ tu maiora, atq; uberiora, ut tibi ex illa contingerent, cum eam uxorem ducebas, poſcere,atq; optare munera,a Dijs

immortalibus

immortalibus potuiſſes; quam ea,quæ commemoro, tibiq́; contigerunt? Non *eſt tuæ prudentiæ, mi pater, aut etiam patientiæ; qua quidem uirtute, mihi unus,omnes philoſopos ſuperaſſe ſemper es uiſus; quibus de rebus,maximas etiam,* Dijs *immortalibus agere gratias debeas, quod ijs longiſsimo tempore fueris potitus; eas res cum a te tandem repoſcant ij, qui dederunt,te inuitum reſtituere; & tanquam noua,atq; inopinata perpeſſum lamentari.* Sed *quoniã omnino, quæ mihi à te ſcripta ſunt, ea plane omnia, puto ex animi tui ſententia eſſe profecta; teq́; ita ſentire,quemadmodum ſcribis,exiſtimo; non faciã,cum impudenter; ut,in quo ipſe tibi optime omnium conſuluiſti, ego quoq;, in eo,tibi meum conſilium explicem, quaſi præſtantius tuo: tum inepte; ut qui me uberrime prudentiſsimeq́; conſolaris, egere conſolatione exiſtimẽ:itaq; ipſe etiã mittendis litteris ad te leuandum,& conſolandũ accedam.*Redeo *igitur ad illud, ut tibi affirmem,etiam in altera illa cauſa doloris mei minuenda,atq; lenienda, illam ipſam conſolationem tuam,multum,& profeciſſe iam, & eſſe in dies profuturam.* Quanto *enim eam ſæpius lego, aut mecum ea,quæ ſcribis conſidero; tanto me magis colligo,atq; confirmo, uenioq́; in eam ſententiam; ut & iſtud mali, quod nobis nunc contigit, & quicquid alicui poteſt contingere aduerſi, atq; duri; a quo quidem abſit culpa; id omne exiſtimem non immoderate eſſe ferendum.* Itaq;, *quàm opportuna mihi,quamq́; fructuoſa tua remedia fuerint,*

rint, uides: quæ quidem alteram mœroris mei cauſam abſtulerunt, alteram lenierunt. Quæ cum ita ſe habeant; te tuo pacato, & ſedato animo, me meis, non nimium fractis luctu, & lamentatione ſenſibus, cogitare decet, qua ratione, illius uita functæ manes optimos, atq; sãctiſsimos, deq́; nobis optime meritos, chariſsimamq́; memoriam, præſtantius atque laudabilius proſequamur. In *quo quidẽ, quoniã multa; iam te conari præclare intelligo; dabo ipſe operam ut quicquid in me amoris illa, dum uiueret, quicquid ſtudij, officij, pietatis contulit; nõ fruſtra, neq́; temere uideatur contuliſſe.* Vale. Decimo *kalen.* Decembris. MDIX. Vrbino.

FLORENTIAM.

P. B. Angelo Politiano S. P. D.

REDDIDERE *mihi, Sicilienſes negociatores codicillos tuos: quibus petebas, ut Cõſtantinum cõueniret; atq; ab eo tibi, Claudiani Gigantomachiã, quã habere illũ audieras, impetrarent: meq́;, hic ſi repperiſſent, ſalute plurima impertirẽt tuis uerbis; rogarentq́;, ea in re ut ſibi adeſſem: quod me certo eſſe facturũ cõfidebas. Sane eas litteras lubẽter legi: erant enim tua manu ſcriptæ.* Feci *etiã, quod uolebas facere me.* Nemo *eſt enim doctorum hominum, quos ego oẽs ſanctiſsime me* Hercule *omnium & puriſsime colo, cui gratificari porro tam cupiam, quam tibi. Verum quam habet* Conſtantinus Claudiani Gigantomachiam,

machiam, ea potius Blattomachia *eſt*. Etenim *annis ſuperioribus, dum inter uetuſtos quoſdam, ac iam prope defletos libros, quos ei non doctus homo quidã dono dederat, ſingula ipſe (ut ſui moris eſt) diligenter inſpiceret cũ* Heſiodi *fragmentis in charta extremæ paginæ proxima;* Claudiani Gigantomachiæ *titulum repperit, & pauculos tantummodo exametros: tum alterã iterũ chartã, in qua opus deſinebat: Cætera tineæ depopulauerant ita, ut legi non poſſent: hæc quoq; ipſa corrupta et infida ſatis; ut quæ ab indoctis librarijs deſcribuntur*. At *poterant fortaſſe corrigi, dices, quæ te offenderunt: Sane ſic eſt; neq; ego id non cogitaui. Sed ſum ueritus, ne ſi emendare tibi librum uoluiſſem,* Phormionem Philoſo*phum imitarer, auſum imperatori* Hannibali *præcipere, quibus artibus optime res ipſa procederet militaris*. Igitur, *quæ habui, ita, ut erant, huic epiſtolæ ſubtexui*. Quanquam *in illis ipſis quæ deſiderantur, non ualde multum amiſimus*. Nam *ex uerſuum numero, quem eo in libro eiq; operi librarius ſupputauit,* Gigantomachiam *omnem* Carminibus cxxxxv *conſtare tute met uidebis. ut credibile plane ſit,* Claudianum, *eo in poëmate conſcribendo, luſiſſe potius, quam ullum poëtæ ſibi nomen quæſiuiſſe*. Conſtantinus *te ſaluere plurimum iubet*: Is *te ſic admiratur, ut amet; ſic amat, ut in quo tibi uſui eſſe, uel cura eius, uel ſtudium, uel etiam labor poßit, nihil ſis ab eo fruſtra poſtulaturus*. Ego & Angelus Gabrieles *meus, idem in te amando mihi,*

qui etiam in ſtudijs litterarum ſocius, Ioanni Mirandolæ Pico tuo, Imo uerius Phœnici hominum (ut ipſe ais) plurimam ſalutem dicimus. Vale. Quarto decimo kalen. Decembris MCCCCLXXXXIII. Meſſanæ.

AD FORVM IVLII.

P. B. Hieronymo Saorniano S. P. D.

ACCEPI cum tuis litteris puerum, quem ad me miſiſti, mihi iam propterea gratum, quod abs te uenit: Eius indoles ſatis ingenua eſt; & libero digna. Animus (ut mihi uiſus eſt) cum mei ſtudioſus; tum ad diſcendum multo promptiſsimus: In quo alterum diligo; alterum curabo, ut ſi quam ille de me ſpem cœperit: ea ne fruſtretur. Magdalenæ tuæ uelim dicas, ſubiratum ei me eſſe, quod tibi ſemper filias pariat. Opto Hieronymum paruulum dari mihi, qui cum ludam. Vale.

Quarto kalen. Ianuarias. MCCCCLXXXXIIII. Venetijs.

MESSANAM.

P. B. Ioanni Baptiſtæ Stato, Iuliani Cardinalis ſancti Petri ad Vincula familiari S. P. D.

VELLEM ita fortuna tuliſſet; ut aut tecum ego, & Angelus meus in Sicilia mānſiſſemus; aut tu nobiſcū Venetias traieciſſes. Certe neq; in ullo noſtri deſiderio

ſiderio eſſes nunc tu quidem; nam eſſe in aliquo ſane puto: neq; nos in tanto tui, non dicam deſiderio, ſed plane etiam mœrore uerſaremur. ſumus autem in maximo, tum quia poſt diſceſſum noſtrum litteras abs te nō modo nullas accepimus, ſed ne uocem quidem: tum quia ſcimus, & quam te iam pertæſum ſit eorum negociorum, quibus detinere; & quam cupias Italiam non iam modo proſpectare, ſed etiam tangere. Quod ad nos attinet, reuecti ſumus ſoſpites ad noſtros lares; qui nos hilare ſuſceperunt: ſalui parētes: ſalui noſtri oēs: et apud utroſq; recte. Angelus ex ſorore nouam prolem, ego Bernardum patrem meum, in ampliſsimo magiſtratu triumuiratus conſtitutum, ſororem iuueni egregio nuptui collocatam, atque eam pregnantem repperi. Aduentus noſter, quo inſperatior, eo etiam gratior fuit: neque enim expectabamur, niſi cum triremibus Hiſpanienſibus: Nam Brittānienſes, in quibus ſcripſeramus nos uenturos, iſtinc (ut ſcis) etiam ſine noſtris litteris ſoluerunt, atque huc appulerunt octauo ante nos, die. Poſt primos dies, quos totos dedimus ſalutationibus congreſsibuſq; amicorum, ego Patauium conceſsi; inde in Nonianum; ibi confeci integrum triduum: quod mihi uiſus ſum non ruſticari, ſed uiuere. Cæterum, nequid deſideres de ratione ſtudiorum noſtrorum, ſtatuimus uterque Patauium ſecedere, & philoſophiæ nos tradere, ſic tamen, ut ne omnino poëticæ nūtium remittamus: quæ me quidem mirabiliter delectat. Interea in cōparanda Græ-

corum

corum librorum bibliotheca detinemur. De Galloru̅ *in* Italiam *aduentu, puto te audiuiſſe*. Vox *hic erat* Alpes *regem traiecíſſe*, & *conſediſſe aliquot dies* Suſæ,oppido Ciſalpino,*tum in* Salaßis *iam eſſe: quæ res aliquantum hominu̅ mentes co̅mouit; aures ſane impleuit magnis rumoribus*. Cum Neapolitanus,*tum* Mediolanenſis *exercitus,caſtra in* Flaminia *poſuere: nec abſunt longius* XVI. *mil. paſſuum*. *Signa nondum co̅tulere: nec creduntur collaturi*. Claſſes *quid conentur, quo in mari ſint; quod minus longe abes, puto te omnia temporius, qua̅ nos intellexiſſe: quod ſi uera ſunt, quæ nuntiantur;* & Rex Gallorum *is erit, qui eſſe debebit; magna iam fundamenta iecit uictoriæ ſuæ*.Sed *ut ad te redeam*, & *ad quercum illam tuam; quam quidem excidere nec* Hiſpanæ *ſecures potuerunt, neque poterunt ullæ; non queo dicere,qua̅ta in expectatione ſit omnium plane iam hominum*. Itaque *breui puto fore, ſub eius umbratu utranq; in aurem facile ut dormias*. Ferrando Acunio Siciliæ *proregi; cuius ego uirtutem, temperantiam, grauitatem, humanitatem nec admirari unquam deſino, nec laudare ſatis poſſum; plurimam ſalute̅ dicito meis* & Angeli *mei uerbis*.Pruinæ *noſtro etiam*. Politiani *poëmata habebis cu̅ his litteris*. Cola̅ *puerum, cum ueneris, tecum adducito; aut, ſi non uenies, ad nos mittito: mihi enim gratius facere nihil potes*. Ille *ſi erit mecu̅, facultatis ad diſcendum tantum habebit, quantum uolet: neque ſibi quicquam deerit, non præceptorum copia, non librorum ſupellex*,

pellex, non otium. Id *quid ſit, ipſe puto cognoſcet. Nos te uehementer expectamus.* Vale.

XXII *kalend.* O*ctobris.* MCCCCLXXXXIIII. *Venetijs.*

MESSANAM.

P. B. Io*anni Baptiſtæ Stato* S. P. D.

SCRIPSI *ad te proximis diebus plenã epiſtolam rerum omnium, quas te ſcire uelle arbitrabar: nũc autem ualde coniector, te iam e Sicilia deceßiſſe.* Q*uanquam quidem in ſcribendo, mihi coniectura tecum uti non licet.* Nam *de te, poſt noſtrum diſceßũ, nihil dũ etiã audiebamus.* Q*uod ſi hæ te noſtræ litteræ non offendent; in tã parua iactura nihil querar.* M*allẽ etiam (quod ſpero) fruſtra ſcripſiſſe me: teq; iam impoſitum noſtris triremibus aduentare; quæ in noſtro mari uel ſunt iam; uel diu abeſſe non poterunt.* Ego *tamen neq; nihil prorſus; neq; ſingula perſequar; ſed utar breuitate.* Itaque *Bembi, &* Gabrieles *tui omnes ualent.* Bembus *pater meus, ualde te amat, ualde tibi omnia uult, quæ optas, euenire.* Nos Patauium *ſeceßimus, quod tibi antea ſcripſeram facturos eſſe nos, ad otia litterarum, præſertimq; philoſophiæ.* Res Gallicæ, *quando iam hyẽs eſt, refrixerunt.* Tu *uale, ac ueni,* Sed *quid, quid aliud uolebam dicere?* Etiam. Caue *ne* Colam *puerum nobis defraudes.* Nihil *ei deerit ad bonas litteras perdiſcendas, quod cupere ipſe mihi maxime uidebatur; ſibi ſi*

ſibi ſi ipſe non deerit. Vale.
kalen.Octobris. MCCCCLXXXXIIII.
Ex *Suburbano Patauino.*

VENETIAS.
P. B. *Marco Sanuto, Prætori Bergomatum deſignato* S. P. D.

QVIA *neſciebam, an conuenire te poſſem ante quã proficiſcerere; ſtatui per litteras ea petere abs te, quamobrem te maxime conuentum cupiebam. Cum* Dauide Brembate *longa mihi neceßitudo eſt, et hoſpitium uetus.* Eum *ego, cum propter ſpectatam uitæ integritatem, uirtutem, mores liberalißimos; tum quia me ipſe unum omnium impenſius diligit, ita amo, ut neminem magis ex omnibus hoſpitibus meis. Is me etiam compatrem ſibi appellauit, in initiando filio ſuo* Coriolano. *In ſumma, nihil eſt, quod me ei debere non putem; ea me ille beniuolentia proſequitur, atq; illum ego. Eſt præterea* Vincentius Briſſanus, *huic* Dauidi, *quem dixi, longa uitæ conſuetudine unice carus; mihi etiam, cum ea ipſa de cauſa, tum certe propter morum ſuauitatem, & ſtudiorum ſimilitudinem, quibus utriq; delectamur, iucundißimus.* Hos *ego unos ex omni* Bergomatũ *ciuitate, cuius tibi* Prætor *gerendus eſt, magnopere amo, et utor familiarißime, iam inde a* Bernardi Bembi *patris mei* Bergomenſi Prætura; *quod cognoueram & bonos, & probos uiros, et gratos homines, et plane dignos,*

B quos

quos mihi & amandos,et tuendos ſuſciperem. Peto *igitur a te maiorem in modum; ut cum illò ueneris, amplectare eos mea cauſa; ſuſcipias in fidem tuam; ornes etiam, quibus rebus honeſte poßis*: Puteſq; *te mihi ipſi dare, quicquid in illos conferes,uel officij, uel liberalitatis*. *Spondeo autem tibi, bene te officium poſiturum: homines enim cognoſces tua amicitia, tuaq; familiaritate digniſsimos*. Vale.

Non. Nouembr. MCCCCLXXXXIIII.

Ex *Suburbano* Patauino.

VENETIAS.

P. B. Nicolao Domineo S. P. D.

ACCEPI *cum epiſtola,mel & placentas abs te:uel potius,cum placentis mellitam epiſtolam tuã*. Rides? *ſic profecto erat*. Nihil *aſſentatione utor*. Quæris, *qui?* Belle *ſane*. *Epiſtola enim in mel ceciderat: credo quia puer in manibus eam habuerit, dum liguriret: atque ita ceciderit*. Iam *mihi uideor placentas tibi perſoluiſſe,hoc ænigmate ſoluto*. Mel *ipſæ tuæ litteræ combiberũt*. Itaque *nihil tibi debeo, niſi epiſtolam*. Eam *tibi nunc dependo his litteris*. Vides *ut tecum iocer?* Quod *ais de* Ruzerio: Ego *ad illum ſcripſi ſtatim, ut mihi tuæ litteræ ſunt redditæ*.Epiſtolã *reliqui* Angelo Gabrieli *meo huc proficiſcens*,Cypriano *dandam ad eius fratrem*. Ille *ſtatim dedit*. Quare Cyprianus *in culpa eſt, ſi redditæ meæ litteræ non ſunt*. Vale.

Nonis

Nonis Nouemb. MCCCCLXXXXIIII. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Paulo Piſano Equiti, Sextumuiro, & Triumuiro deſignato S. P. D.

GRATVLARI quidem me per hanc epiſtolam oportet; atq; unum id plane mihi eſſe faciundũ ſcio: Cui autem gratuler potiſsimum; id mihi dubium facit, uel uirtus, uel etiam felicitas tua. Nam quod Romana Legatione defunctus ſis, laborioſa illa quidem, & graui; quod ſoſpes redieris ad tuos; de eo tibi eſſe ſtatuo gratulandum: idq; me tecum recte facere puto. Quod autem nondum etiam reuerſum in patriam, illa te ampliſsimis magiſtratibus honeſtarit, de qua, te optime meritũ omnes homines prædicant; in eo mihi uidetur, non tam tui, quàm etiam reip. habitam fuiſſe rationem. Illa enim, ex quo te uti cœpit, uberes ſemper fructus ex te, uoluptatesq; percepit: tu uero & in ijs legationibus, quas antea geſſiſti, paſſus es permagnos fluctus laborum: & ex his muneribus, quæ nunc geres, maximas es, ut mihi quidem uidetur, negotiorum undas tempeſtatesq; perpeſſurus. Tum etiam illud accedit; quod eæ munerum acceſsiones, ut ego ſemper exiſtimaui, quæ in optimos ciues fiunt, non tam ad eorum pertinẽt dignitatem; quæ quidem aucta eſſe ſemper debet ipſa ſatis ex ſeſe; quàm ad reip. gloriam ſempiternã: cui quid poteſt eſſe glorioſius, quàm a uiris ſapien-

tibus, regi & gubernari? Quod ſi tui ſimiles, in noſtra urbe multos ciues haberemus; fortaſſe hæc illa eſſet reſp. quam beatã eſſe dicere uerè liceret. Itaq;, *ut ad me redeam, quo genere gratulationis utar, nõ ſatis explicatum habeo: uel habeo potius, ac plane iam ſcio.* Nam *quod in tua felicitate poſitum eſt, de eo tibi eſſe gratulandum puto: quod in uirtute, reip. niſi me malis tu, hac epiſtola philoſophari: ut ea una, quæ in animo ſita ſunt, tua demum ipſius ducam; deq; ijs tibi gratuler potiſsimum: Quæ autem fortunæ ſubiecta ſunt, de ijs cum rep. bene actum putem; in qua & caſus, & fortuna plerunq; dominantur. Sed uides quo labor?* Iam *mihi eſt, de utroq; ſcilicet, & tibi & reipub. gratulandum.* Neq; *enim uereor, ne quis me reprehendat; ſi nouerit mihi cum ſapientiſſimo philoſopho, & Senatore præſtantiſsimo eſſe ſermonem. Sit itaq; ſane hoc* Paule, *ſit inquam, & nobis eueniat ſæpius, ut tibi & reip. gratulemur. Cupimus enim; quod etiam optare debent omnes boni; ut & tu illam exornes ſemper, & illa te: ita enim & ſeſe illuſtrabit illa maxime; & ipſe ſempiternã facies bene agẽdo, beneq; conſulendo memoriam nominis tui.* Et *uero enim ſemper optimi cuiusq; ciuis gloria cum reipub. gloria coniuncta eſt: neq; clara eſſe ulla reſp. poteſt ſine ſuorum ciuium ſplendore ac dignitate.* Cæterum, *quod ſupereſt, gaudeo etiam plurimum mihi; qui te in* Triumuiratu *uideo collegam* Bembi *patris mei fore; quem quidem ille, unum ſibi maxime omnium optauerit contigiſſe; poſtea quam*

ei Marcum Sanutum collegam alterum Prætura Bergomenſis eripuit. Vale.

Decimo *kalen.Maias.* MCCCCLXXXXV. *Patauio.*

BIBLIOTECA ... ROMA

BERGOMVM.

P. B. *Paulo Piſano Equiti, Prætori Bergomatum* S. P. D.

QVIA *non eſt obſcurum, quàm me ames: neque ipſe poſſum facere, quin tibi commendem eos, qui cum optimi uiri ſint, & mihi aliqua neceßitudine coniuncti; putant ſe abs te ſuum ius, me petente, aſſequi poſſe facilius:* Neq; *tu debes recuſare, quo minus multos tibi obliges honeſtos homines; pro quibus ueteres tui familiares te rogant præſertim ijs in rebus, in quibus (quæ tua eſt humanitas) non tu illis quidem deeſſes, etiam ſi te nemo rogaret.* Itaque Petrum Franciſcum Manzonium, *patre orbatũ optimo ſane uiro, commendo tibi diligentißime.* Is *contra patruos agit: qui in petitione ſummæ, quam ei debẽt,* Bergomatium *cuiusdam legis auxilio, ſatis imbecillæ quidem, ac leuis, rem iniuſte impediunt, contra* Patauinorum *leges grauißimas, quorum ille municeps eſt.* Peto *igitur a te; ut rem cognoſcas; & cum primum poteris, iudices:* Nec *patiaris, probum hominem, & mihi in ea neceßitudine, quam cum* Patauinis *habeo, coniunctißimum; eludi & fruſtrari ab iniquis uiris.* Non *dicam plura; ne aut amici cauſæ*

uidear, aut amori erga me tuo diffidere. Vnum addam: Quantum tuæ operæ Manzonio præſtiteris hac in re; tãtum me amari abs te poſthac exiſtimaturum. Vale.

Septimo Kalen. Aug. M I I D. *Ferrariæ.*

VENETIAS.

P. B. *Marco Sanuto, & Paulo Piſano Equiti, Quintumuiris* S. P. D.

BARTHOLOMAEI *fratris cauſam & dignitatem; cuius tuendæ, atq; augendæ occaſionem, fortuna maximam poſuit in ueſtri Collegij poteſtate; commendo uobis maiorem in modum. Qua quidem in re nihil mehercule nunc ſcriberem: cum, & ſciam Bembum patrem meum id feciſſe diligentiſsime; & ipſe ſatis exiſtimem, uos, pro noſtra neceſsitudine, libẽter omnia, quæcunq; ad noſtram dignitatem pertineant, ueſtra ſponte ſuſcepturos. Sed mouit me, cum ſummus erga me amor, ſummaq; charitas fratris mei: cui ego parem meam charitatem, & amorem præſtare ſemper cupio: tum opinio ipſa de uobis mea. Quia enim utrunque ueſtrum, eo loco prope habeo, quo patrem ipſum meum; putaui ad illam ueſtram ueterem in nos, & in omni tempore, per ſe propenſam uoluntatem, et nunc patris mei poſtulationibus excitatam, ſi accederet ſtimulus aliquis fidei, & obſeruantiæ erga uos meæ; fore, ut in eam curam animo citatiore incumberetis. Sed quoniam uel ex patris litteris, uel*

de Marcello

*de Marcello ſororis meæ uiro, aut etiam de ipſo fra-
tre meo, quibus ille in rebus, ueſtro auxilio egeat co-
gnouiſtis; nolo agere uobiscum multis uerbis, præ-
ſertim, hominibus occupatiſsimis. Itaque a uobis bre-
uiter, et familiariter, etiam atq; etiam peto; ut quic-
quid in me, quicquid in patrem meum, uniuerſamq́;
noſtram familiam, de ſtudio ueſtro, de gratia, de au-
ctoritate, de opera, eſtis ullo unquam tempore colla-
turi; id omne nunc, in fratris mei cauſam conferatis.
Nihil erit alias; quod a uobis petere noſtra familia
tanta contentione debeat, quãta hoc petit: nihil fe-
re; quod illi a uobis æque magnũ tribui poſsit. Quã-
quam quidem, non tam eſt id magnum ipſum ſua mo-
le, ac pondere; quàm noſtra ipſorum exiſtimatione,
& uoluntate; neq́; minus cum reip. utilitate, quàm
cum fratris mei dignitate coniunctum. In quo ſi tan-
tum ualebimus apud uos, quantum ſane debemus; da-
bo ipſe operam, pro mea portione; ut uos ueſtri fa-
cti nunquam pœniteat: quos quidem etiam confido
reipub. cauſa magnos ex ea re fructus percepturos:
reſp. ipſa certe percipiet. Valete.
Tertio kalen. Iunias. M I D. Ferrariæ.*

AD FORVM IVLII.
P. B. Ioanni Cynthio S. P. D.

ACCEPI, *poſt diſceſſum tuum, binas litteras
abs te; quarum alteræ me delectarunt; quod cum
ijs erant Philomuſi, docti hominis litteræ ad me; cui*

 ego ſtatim

ego ſtatim reſcripſi: In alteris nihil erat noui: niſi, quod tibi non probabatur conſiliũ profectionis meæ. Ego uero quid de me alij exiſtiment, minus laboro: modo ipſe mihi cõſcius ſim, recte facere me. Illud mihi eſſe non moleſtum nõ poteſt; quod proficiſci me, adhuc quidem, non ſinit pater. Ille enim, niſi compoſitis animis potentiſsimorum populorum, mihi proficiſcendum eſſe non putat: quod ſi præſciſſem; aut te non dimiſiſſem, aut multo ante, quam de pace Italiæ, armis decerneretur, diſceßiſſem. Nunc autem, cum eò perducta res ſit; ut plane, quod uelim, breui quietura eſſe omnia uideantur; ſpero me propediem profecturum: quod cum erit; tum quid tibi faciendum ſit, poteris cognoſcere. Parentes tuos, et Petrum auũculum iube ſaluere. Hieronymo Saorniano dic meis uerbis, ualeat, cum ſua tam feſtina digreßione. uix horam cum Bembo? de qua etiam, nihil ei debeo: neque enim uerbum ullum: quod ſi diſceſſum non maturauiſſet, ſcio quibus illum beaſſem modis. Hunc homini ſcrupulum ſi inieceris; dabis illi offam, quam mordeat. Vale.

Septimo Idus Aug. M V D. *Venetijs.*

VENETIAS.

P. B. *Angelo Gabrieli* S. P. D.

EGO *in Noniano adhuc quidem ſum: expecto autem quid egerit pater, de domo, ut quid mihi agẽdum ſit, primum ſciam. de eo cum me certiorem feceris, Pa-*

ris, Patauium reuertar: domum curabo, parata ut ſit: ut cum ueneris, quæ in mea diligentia poſita ſunt, eorum abs te nihil deſideretur. Tu *uelim interea, quæ tibi mandaui, perficias, ut mecum eſſe quàm primum & quàm commodiſſime poſſis.* Olei *quantum uidebitur tecum adducito: Sudæ* τὰ ὑπολείποντα, *ualde opto ut deſcribi mandes ex eo libro, quem ſcis.* Fratrem *tuum nollem iſtic eſſe ſine te.* Iam *ætas ad diſcendum idonea: & ipſe ingenio peracri, & quod ego maximi facio* φιλομαθής τε καὶ μνημονικός. Proinde *tu, etiam atque etiam uide, quàm æquum ſit, tam bonum ingenium inter fœminas deliteſcere.* Tibi *hoc in primis curandum cenſeo.* Vale.

Sexto kalen. Octobris. MCCCCLXXXXV.

De Noniano.

VENETIAS.

P. B. Angelo Gabrieli S. P. D.

NON *fuit tanti, comitijs & foro intereſſe; ut ludis noſtris careres.* Nam, *ut ſcias quibus te uoluptatibus defraudaueris; tres fabulæ actæ ſunt per hos dies,* Plautinæ *duæ,* Trinummus, & Penulus, & *una* Terẽtij, Eunuchus: *quæ quidem ita placuit; ut etiam ſecundo, & tertio ſit relata.* Itaq;, *quinq; dies habuimus pulcherrimorum ludorum: ad quos, cum magnus numerus confluxiſſet, noſtrorum ciuium (noſti enim morem ciuitatis) & ego ſingulos de te percunctarer; omnes mihi reſpondebant, magnum ciuem te eſſe*

factum

factum.O præclaram reuerſionem tuam.Sed heus tu, Vide, ne te homines magnum ciuem appellent,propterea, quod parui æſtimes amicos tuos.Valde enim uereor; ne tu cæteros perinde tractes, ut me ſoles: qui cum mihi pollicitus eſſes,te huc uenturum; nihil minus cogitauiſti. Quod ſi te reliqui talem experiũtur,qualem ego expertus ſum; debes credere,magnũ ciuem non eſſe illum, qui parui ſuos ciues facit: ſin autem,ego unus deludor abs te; minus id doleo, cum tu particeps nõ fueris mearum uoluptatum. Sed hæc more noſtro. Ego te uehementer expecto: qui ſi ueneris; quanquam theatra ſileant, erit tamen quod rideamus. De Antonio nihil plane audio iam diu. Tu,ſi me amas,cura,ut quid illo factum ſit,ſcire poſſim. Matrem tuam, & ſororem, & ſororis uirum ſaluta meis uerbis. Vale.

kalen.Martijs. M I D. *Ferraria.*

VENETIAS.

P. B. Angelo Gabrieli S. P. D.

SVBANTEA, *quàm tibi has litteras ſcriberem, ex commentario rerum urbanarum, miſſo a Marcello mihi,cognoui,non ſine magna mea quidem uoluptate,ijs comitijs,quæ proxime habita ſunt, aduocationem rerum publicarum,tibi, omnibus ſuffragijs eſſe delatam. Quod munus,& ſi neq; nouum tibi,& mihi iam multo ante,quaſi ea, quæ oculis cernimus,ita cogitatione præceptum contigerit; tamen*

quia

quia ſciebam, quantum tua intereſſet hoc tempore, habere te aliquid publicæ curationis, ubi poſſes tuum ingenium exercere, et te oſtendere reip.; præſertim, in quo eſſet non paruum propoſitum præmium gloriæ, laboribus tuis, coniunctum, cum magna ſpe augendæ rei tuæ familiaris; primum gratulor tibi, ut debeo, uehementer: DEOSq; rogo, ut tibi iſtum magiſtratum fortunent: quasq; tibi difficultates, & labores propoſuerant in ſacerdotij petitione; cui tu quidem fere triennium, conſtanter magis, quàm feliciter impendiſti; eos, & nunc tibi, iſto in obeundo munere, & poſthac in reliquis áſſequẽdis, ſuo longo fauore, perpetuaq; liberalitate ſartiant. Deinde te plane rogo; ut, quoniam alteram aduocationem, quã pene puer aſſequutus es, non geßiſti; nunc, cum gerere incipies munus tuum, memineris quo in theatro, quamq; tu perſonam ſis acturus: Neq; tantum ad ea ſpectes, quæ tibi erunt ante oculos; quam etiam ea cogites, quæ ſunt e longinquo futura: Hoc eſt, ut quam expectationem hominum excitaſti ipſe de te, tua humanitate, gratia, facilitate, morum elegantia, ſtudijs deniq; noſtris communibus; eam tu ſuſtineas; aut etiam augeas: puteſq; te nunc quidem fundamẽta iacere non huius ætatis modo, ſed plane etiam ſenectutis. Multum enim intereſt, ad omnes annos ijs, qui ad remp. capeſcendam accedunt; quales ipſi primas operas patriæ dederint, & ciuibus ſuis. Quod ſi tu in eam cogitationtm incubueris, in quam incumbere ſane debes, & profecto incumbes, niſi es oblitus

tui; Vt

tui; Vt cures; ut quantum de te polliceri ſibi in poſterum homines poßint, id omne ſpectetur nunc, tanquam e primis arborum pomis, ſic ex iſto munere tuo; ſpondeo tibi iã, te ſemper facillime omnia, quæcunq; optabis, conſequuturum. Neque hæc ideo ſcribo; quia non mehercule tu ea multo melius diſpicias, quam ego: ſed quia te ualde amo, non poſſum facere; quin ad ea, ad quæ te ſcio ſatis eſſe incitatum per te te, addam ipſe quoq; tibi ſtimulum amoris & beniuolentiæ meæ. Vale.

Quarto kalen. Apr. M I D. *Ferraria.*

VENETIAS.

P. B. *Angelo Gabrieli* S. P. D.

MAGNAM *in diſputationem me tuæ litteræ uocauiſſent, ſi otio abundarem, ut tu exiſtimas: Sed non abundo. Matris enim meæ, peraduerſa, & perdifficilis ualetudo, qua miſella conflictatur, Pataui*j *multos me dies tenuit, & cum hæc ſcriberem, tenebat: quæ me fœmina quantum amet, quanti faciat; multi ſciunt: quantum ego illam amare debeam, quãti facere; tu es optimus teſtis. Itaque, non modo non ſum ruri, atque in libris, & litteris; quæ mihi abs te hoc tempore obijciuntur; uerum in magnis etiam curis uerſor noctes & dies; quæ mihi rationem omnem, & ſenſum eripiunt ſcribendi. Sed tamen ſi ſe mater ſubleuarit; quod Dijs approbantibus ſpero propediem futurum; & mihi licuerit eſſe in meo*

Noniano

Noniano, ut poßim ueram cauſam habere ad tuas litteras reſpondendi; faciam id, quod mihi uideris uelle facere me; & ne fugere iudicium uidear, pangam oſtendamq; tibi (ſi potero) uillaticum noſtrum otium & agreſte litterarum, quod abs te accuſatur, non eſſe poſterius, aut minus præclarum ueſtro illo negotio forenſi, & urbano, quod tantopere laudas. Quanquam quidem id ipſum otium, non tam ſæpe aſſequor, quàm uellem. Nam abduco equidem me interdum, ab omni cura rerum, cum familiarium, tũ etiam publicarum, quantum poſſum; dedoq; litteris: Sed me hercule neſcio quo pacto, in eo conſequendo, nunquam tam ſecundo uento uſus ſum, quin is mihi ſtatim reflarit: & tanquam in Euripo, ſic in ea ratione uitæ uix incepi currere, cum reducor. Sed hæc in aliud tempus reijciamus. Quod ais de nuptijs noſtrorum Gabrielium; ualde gaudeo. Quod te ad me uenturum recepiſti; nihil mihi poterit eſſe iocundius. Itaq; te, & Petrum Paſcalicum philoſophum, & Oratorem Ruzerium collegam tuum, cum primũ mea rura tetigero, uehementer expectabo. Sed uellem etiam Harmonium poëtam: Sum enim non minus φιλόμουσος, ut noſti; quàm φιλορήτωρ. Nam Philoſophum me non audeo dicere. Tu fac interim ualeas; & laboranti reip. adſis anguſtißimis temporibus: quam nos non deſeruimus, quemadmodum ſcribis; neq; unquam deſeremus: ſed tamen eius muneribus, quæ uobis magnis uiris deferuntur, plane æquo animo caremus. Vale.

Prid. Id.

Prid.Id.Sept. M D. *Pataiuo.*

PATAVIVM.

P. B. *Angelo Gabrieli* S. P. D.

TRIBVS *tuis litteris breui reſpondebo. Quod non ueneris eo conſilio, ut te iſtic cures: mihi gratum eſt.* De re *tua, habes litteras a matre tua, fœmina prudentiſſima; quam ſum hodie alloquutus.* Antonium *expecto cum ijs rebus, quas ſcribis eum adducturum.* Veſtem *tuam habebis, quam primum erit, cui dem.* De Tabellis Barbaris, *ſic habeto, me, in magna ſpe eſſe conficiendi negocij ita, ut uolumus.* Te *hic eſſe ea de cauſa, neceſſe nihil eſt; ſi erit; faciam te certiorem.* Ego, *quod efficere hac in re poſſum, cura, diligentia, ſtudio, auctoritate, precibus, pollicitationibus, neq; deſtiti agere, neq; deſiſtam.* Omnino *tu bono animo es:* οὐ πτερυγίζω: *ſic tamen, ut ſi aſſequar, quod cupimus; non erit id præter ſpem. Si non aſſequar;* Ita *me defendam,* ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται. Vale. Decimo *kalen.*Decembris. M D. *Venetijs.*

PETRI BEMBI EPISTOLARVM FAMILIARIVM

LIBER SECVNDVS.

VENETIAS.

P. B *Antonio Bolduo* S. P. D.

CVM NVPER, *de Scytha, homine doctiſsimo intellexiſſem, a ueſtro* Decemuirum Collegio, *Scribas publicos recenſeri; uosq; in ea re, magna cura id agere; ut indoctus quisq; prætereatur, ſubrogenturq; ex omni ciuitate maxime litterati uiri: conſtituerã cum mea, tum reip. cauſa te conuenire: ut ſi nos quoque, hanc ad rem, aliquid afferre adiumenti potuiſſemus ciuibus noſtris; id per te fieret, cum uirum præſtantiſsimum; tum quem ego unum ex noſtris hominibus, & obſeruo ſummopere, &* colo. *Sed cum improuiſis amicorum litteris, quibus* Patauium *arceſſebar, impulſus, ſtatuiſſem diſcedere, neque tu eſſes domi; hæc ſcripſi in naui, putans, pro mea in te beneuolentia, et pietate, tantum apud te ponderis habitura; quantum ſi præſens, ea ipſa tecum egiſſem.* Ioannem Baptiſtam *Scytham, rhetorem, uirum, & poëticis in ſtudijs illuſtrem, atque omnium uirtutum genere perornatum, commendo tibi maiorem in modum.* De *huius hominis ingenio,*

nis ingenio, doctrina, probitate, humanitate plura ſcriberem ad te, præſertim hoc tempore; quo quidẽ cupio tibi eſſe illum quàm notiſsimum: niſi tu eum ſatis, ut audio, multo antea cognouiſſes. Is *igitur ualde cupit ſibi eſſe inter ſcribas publicos, aliqua cum dignitate locum: qua quidem in re, ſi te patronum habuerit; facile exiſtimat ſe, quod optat, conſequuturum.* Nihil *autem non modeſte cupit; nihil non uerecunde. Sed indigent honeſtæ etiam, & iuſtæ poſtulationes, auctoris cuiuſdam omnino & ducis.* Ego *itaque, te, etiam atque etiam rogo; ut hominem audias: ſuſcipias eius rem omnem; eiq́; auctor & adiutor uelis eſſe.* Quid *eſt enim magis proprium ciuis optimi, & præſtantiſsimi; quam cauſam ſuſcipere doctiſsimi, et ſanctiſsimi uiri, præſertim cum reip. dignitate coniunctam?* Nã *quod poſtulat, ut in ſcribarum adoleſcentium* Collegio *doctorem, & magiſtrum ludi eſſe ipſum iubeatis; in eo mihi quidem uidetur non tam ſui, quam etiam reip. habere rationem.* Quanquam *ſcio non defuturos, qui, ut multa ſæpe alia huiuſmodi, ſic etiam ſuperuacaneam eſſe hanc ipſam operam putent: quibus tamen interdum uereor, ne ſuperuacanea uideantur etiam ipſa ſtudia litterarum.* Quod *ſi tui ſimiles, in noſtra rep. multos ciues haberemus; neque poſceret ipſe Scytha uos quicquam potius, quàm poſtularetur a uobis: neque plus in reſtituendis urbis pontibus & uijs: quod quidem nunc fit: quàm in inſtituendis noſtris ciuibus, honeſtandisq́; laboraremus.* Nunc *autem, quia*

minus

minus multi ſunt, qui litteratos uiros tueātur; ſcias in te unum, tanquam e theatro, omnium oculos eſſe coniectos: quibus certe ita optime ſatisfeceris; ſi nunc Collegium Scribarum, iam prope collapſum, unius Scythæ ſubrogatione confirmabis. Ego ſane, quia noui uires ingenij tui; ſatis ſcio eſſe id in tua manu. Peto igitur à te tanto ſcilicet ſtudio; quanto putas debere me pro homine doctiſsimo, et mihi ſumma familiaritate coniuncto; ut eum ita ornes hac in re, tua auctoritate, & gratia; ut intelligat, & meam commendationem magnum apud te pondus habuiſſe, & te libentiſsime fauere hominibus doctis. Demum ita tibi perſuade; te cum mihi rem gratiſsimam eſſe facturum, ſi id feceris; tum hominem tibi deuinctuꝝ rum & tua & reip. familiaritate digniſsimū. Vale. Nono kalen. Iulij. MIIIID. De Naui.

1496

PATAVIVM.

P. B. Andrioni Artuſino S. P. D.

MANE accepi litteras abs te, quibus mihi cōmendas Verlatum Vicetinum: Egi cum Bembo patre ut res poſtulabat. Nam quod de Sicilienſibus noſtris commendationibus ſcribis; probe te intellexi. Albulam tuam conualuiſſe, ſane gaudeo. Itaque, ſaluere illam iube meis uerbis. De Antoniano negocio nihil habeo, quod ſcribam; niſi unum; totam rem mihi non probari. Quid? quæris, Ita me Dij ament, ego cum illo noſtro, bene actum puto. Trypho nobiſcum eſt

cum eſt quotidie. Accepi alteras abs te litteras ueſperi. De conducenda domo, non eſt, quod feſtines. Pater enim, quando ad nos uenturus ſit, ne ipſe quidem coniectari poteſt: cui tamen, quo impedimento ſis futurus cum uenerit, non uideo. Ego de me ipſo deliberare nihil poſſum. Vale.

Decimo kalē. Mar. Venetijs. MCCCCLXXXXVI.

RAVENNAM.

P. B. Andrioni Artuſino S. P. D.

QVOD proſpera nauigatione uſus ſis; ualde lætor; eoq; magis; quod nihil abs te nuntiabatur. Cum enim pyratarum inſidias, tum Auſtri uenti uim, importunitatemq; metuebam. Nunc, quoniam tam belle nauigaſti; ſtatui ipſe quoque, mari me potius committere, quam Padi fluminis prolixitatem emetiri. Itaque biduo erimus in naui. Sed omnino Ariminum cogito, non ad te: modo me non deſtituant Aquilones tui. Parentes mei tibi ſalutem aſcribunt. Ego Albulæ tuæ, & fratri, & Ariminenſi Gentili. Vale. Venetijs. IX. kalen. Mart. MDIX.

TAVRISVM.

P. B. Bartholomeo Agolanti S. P. D.

QVAM uellem, nunquam ſtatuiſſes Romam hoc tempore inuiſere, præſertim mecum: cui quidem nihil optabilius contingere, nihil iocundius potuiſſet; quam

quàm te habere, non ſolum itineris ac uiæ, ſed etiam ſtudiorum, conſiliorum, cogitationum denique mearum omniuui ſocium. Nam quoniam, quemadmodum cupiebamus, in Bernardi patris mei comitatu, locum tibi eſſe nullum uideo; angor noctes ac dies: neque mehercule mihi, eſſe ea paterna legatio iam ſuauis poteſt: quid dico ſuauis? imo non ingrata, uel non laborioſa potius. Quanquam quidem adhuc pendeo animi; neque plane ſtatutum habeo, de profectione hac, quid ſim facturus: ita perturbari mihi omnia uideo, peruertiq; uniuerſum comitatus ordinem, ab impudentiſsimis hominibus: qui negari ſibi nihil uolũt; neque tutum eſt. Itaque inſtant; clamitant; conqueruntur præteriri ſe amicos, lædi uetuſtam beneuolentiam: DEVM atque hominum implorant fidem; ſi non ea feceris, quæ poſtulant. Quamobrem neceſſe nobis fuit; ut ſatisfieret ijs, quos dico; ut etiam ex domeſticis, planeq; familiaribus nonnullos, & quidẽ huius profectionis cupiẽtiſsimos, inuiti reijceremus: quorum eſt unus Aurelius Superchius iureconſultus, cum doctus & probus uir, tum Bembo patri meo, cui aſſeſſor in Veronenſi prætura fuerat, perfamiliaris; mihi uero etiam plurimis, tum magnis, tum ueteribus neceſsitudinis cauſis plane cõiunctiſsimus. Quæ cum ita ſint; peto a te, ut ſi tibi ea probabuntur, quæ dico; æquo animo accipias non tam quidem excuſationem meam, quam etiam dolorem quo afficior, occaſionem tam bellam fruendi tui, mihi tam importune ſurripi: ignoſcasq; rerum

& locorum anguſtiæ ; desq́; id temporum neceßitati. Si non probabuntur ; accingas te itineri, tanquam extra ordinarium comitem. Nam *ut tibi ſatisfaciam ac tuis ; ullorum hominum repræhenſioni me obijcere non uerebor.* Ioannem Aur. *præceptorem tuum, &* Galeacium Facinum, *&* Caſtellum *uelim plurima ſalute impertias meis uerbis.* Vale.

PISAS.

P. B. Antonio Rontionio S. P. D.

ET AB Oratore *ueſtro, homine humanißimo, & ab omnibus ijs ; qui te amari a me, meq́; abs te diligi ſciunt ; quotidie ſalutor ex te.* Ego *uero cum illis magnas gratias habeo, qui tam officioſi ſunt ; tum eos ſemper rogo, ut te itidem ſaluere iubeant meis uerbis ; rogentq́;, ſi quid eſt, in quo aut te iuuare, aut tibi gratificari poßimus ; des operam, id ut ſciamus : eam eſſe inter nos beneuolentiam, eam neceßitudinem amoris ; ut nihil tam ſit tuum ; quàm ego ipſe, meaq́; omnia.* Id *ſi illi faciunt ita, ut pollicẽtur ; non uereor, ne nos beneuolentiæ noſtræ oblitos putes : Si non faciunt ; hæc ſcripſi tibi, ut nos ſcires tales eſſe erga te; quales ſummus erga me amor tuus, & ſtudia noſtra, rationesq́; poſtulant.* Vale.

XII *kalen. Septembris.* MCCCCLXXXXVI.

Venetijs.

Brixiam.

BRIXIAM.

P. B. Hieronymo Donato Prætori Brixiæ S. P. D.

ALEXANDRVM Aphrodiſeum; cuius de anima libros abs te latinos factos miſeras mihi de mēſe Octobri; legi magna cum uoluptate, cū eius philoſophi cauſa, tum tua. Nam neq; ille conuerti a quoquam, meo quidem iudicio, aut elegantius potuiſſet, aut maiori cum fide: neq; tu paruam laudem in eo explicādo mihi aſſequutus uidebare. Nunc autem; cum me abſente mei libellum, quem de Aetna ſcripſeram, edidiſſent; ne nihil omnino ipſe ad te darem, præter litteras; eum tibi librum mittto; ut habeas illius meæ profectionis interpretem. Vale. Octauo Kalend. Iun. MCCCCLXXXXVI. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Hieronymo Donato Legato S. P. D.

CVM eſſem in Noniano, Ex litteris Marcelli, ſororis meæ uiri, certior factus ſum, Prodominatum Ferrarienſem tibi, omnibus ſuffragijs eſſe delatum: itaq;, te Bernardo Bembo patri meo ſucceſſurum. Quæ quidem res, quāquam fere, nihil mihi nouæ uoluptatis attulit: nam ita futurum exiſtimabam, non

coniectura modo ductus, ſed certa quadam opinione animi, ac iudicio maximis tuis, atque ampliſsimis in remp. meritis confirmato; tamen iſta declaratio omnium ordinum uoluntatis erga te, cum ſumma tuæ dignitatis illuſtratione, atque amplificatione gloriæ, mihi iocundiſsima ſane fuit. Quare primum tibi, ut debeo, gratulor, non tam, quod munus es honorificentiſsimum adeptus: quanquam eſt id quidem certe magnum ipſum per ſeſe; quàm quod multis petentibus, magnis & claris uiris, longe tu unus dignior habitus es, qui id aſſequerere: optoq́; ut quam tu ſemper reip. gratiam acceptorum ab illa munerum, bene agendo beneq́; conſulendo retuliſti; eam illa reponat tibi, ſua perpetua tui honeſtandi, & augendi uoluntate. Sed mihi crede, his unis Comitijs, noſtra ciuitas magnum dedit, & tuorum in ſe meritorum teſtimonium, & charitatis erga te ſuæ. Deinde *lætor* Bembi *patris cauſa: qui; ut iam illud prætermittā; quantam is uoluptatem capiat, ſemperq́; ceperit ex omni acceſsione dignitatis tuæ; certe coniunctiori homini tradere magiſtratum non poterat; quemadmodum, neq; tu accipere a magis amante tui.* Ego *autem; quoniam fortaſſe ad* Ferrarienſe *noſtrum philoſophiæ ſtudium, propter anguſtias temporis, aliquid erit addendum de tua præfectura; neq; patrem deceſsiſſe mihi perſuaſero, cum tu aderis; & magnum inſuper magiſtrum ſum habiturus.* Non *enim arbitror eo in loco remp. agere ſolummodo uelle te; ſed etiam interdum philoſophari.* Vale.

Nono

Nono kalen. Septembr. M I I D. Ex Noniano.

ROMAM.

P. B. Hieronymo Donato S. P. D.

HIS diebus, cum eſſem Venetijs, & mihi Trypho Gabriel meus nuntiauiſſet, quæ acta eſſent a ſe de Sacerdotio, in quo proxime ſibi erat ceſſum; oſtendiſſetq́;, quoniam ad te proficiſcebatur, quemadmodum ipſe uelles, ita eſſe eam rem uel moras, uel etiam exitum habituram; Gratulatus ſum illi, hac ex parte multum; quod ei contigerit, hoc tempore, te habere, prope fortunarum ſuarũ, nominis, dignitatis, patronum. Nam fere, neque res ipſa maioris ponderis eſſe poterat, quàm eſt; neq;, qui eam conficeret, ſanctior, aut fortior uir, aut doctorum & bonorum hominum, quorum in primis eſt unus Trypho, certe amantior. Ego autem quanquam ſcirem, his de cauſis, negotium commendatione non egere; cui etiam, ſi eguiſset, uel Tryphonis ipſius fratres honeſtiſsimi, & grauiſsimi ciues, & in noſtra urbe clari, uel familiæ ſplendor, & gratia, ſatis mihi uidebantur ſuffragari per ſe ſe; tamen, quia Tryphonem ita diligo, ut neminem magis; non poſſum facere, quin tibi ſignificem, non te ſolum, Gabrielium tibi familiam obligaturum, ſi tua opera id aſſequentur, quod cupiunt; ſed etiam meam; a qua ille uniuerſa tam amatur uehementer, quàm a me. Quanquam ſane obligaſti tu quidem nos ſæpe alias plurimum. Sed nulla eſt omnino tanta debitio; cui amoris, & beneuolentiæ poſſe addi

ſe addi ſemper aliquid ferè non uideatur: animus enim qui debet, non circũſcribitur. Itaque, *ut ad eas cauſas, quibus antea ad rem conficiendam mouebare, adiungas etiam cõmendationem meam; pro eo, quãti me facis, te etiam atque etiam rogo.* Vale. Nonis Decembribus. M I I D. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Dominico Grimano Cardinali S. P. D.

AQVILEGIENSE *Sacerdotium, magna Senatus frequentia, magno fauore ciuitatis, magno hominum, & deorum ſtudio tibi delatum eſſe gratulor.* Neque *tibi ſolum gratulor; qui uitæ tuæ inſtituto, præter animi bona, debes exiſtimare nihil eſſe præcipue tuum: ſed & patriæ gratulor, & tuis.* Hæc *enim in te augendo, longe plus ornamenti accepiſſe mihi quidem uidetur, quàm dediſſe: & ij certe; quia minus ſeſe, extra fortunæ aleam receperunt; maiorem omnino ex tua gloria, quàm tu, & fructũ ſunt, & uoluptatem percepturi: in quibus cum ſit* Angelus Gabriel *meus; quem ipſe quantum amem, & tu, & omnes intelligunt; uide uel hac una ex parte, qui ueram habeam cauſam, quamq; ſolidam gratulandi.* Reliquum *eſt, ut* DEOS *orem; cum fauere tibi omnes occœperint, ut ſemper, hac ipſam inſiſtant uiã ita; ut cum ad ſummam prudentiam, ſummam doctrinam, ſummasq; tuas uirtutes, ſumma etiam felicitas adiungatur.* Porro *de noſtra familia, ita tibi*

perſuadeas

perſuadeas uelim; ut ſi quid ipſa in te, ſi quid in patrem tuum, uirum ampliſſimum, ſi quid in fratres operæ, officij, ſtudij, gratiæ, dignitatis conferre unquam poterit; nihil ſis deſideraturus. Vale. *Septimo Idus Septemb.* MIID. Venetijs.

VTINVM.

P. B. Dominico Grimano Cardinali S. P. D.

SVMMO *gaudio affectus ſum ex ijs litteris, quas ab* Angelo *meo proxime accepi: quibus mihi ſignificabat, quàm inſigne tu nuper in eum benificiũ, quamq; humaniter & liberaliter contuliſſes.* Nam *etſi ego ſemper ita exiſtimaui, eius te adoleſcentis, uel probitatem, optimosq; mores, uel certe, doctrinã, & mirificum ingenium iacere, & tãquam in obſcuro eſſe, diutius non paſſurum: tamen uehemẽter lætor, hominis mihi coniunctiſſimi, & quem ego ſemper, in germani fratris habui loco, fouendi atq; ornandi abs te initium factum.* Nunc *autem; quoniam illi mecum omnia ſemper communia fuere; hæc ſcripſi tibi; ut ſcires, non te uni tantum egenti ciui opẽ, & auxiliũ præſtitiſſe, aut omnino uni familiæ; qui* Angelo Gabrieli *præſtiteris; ſed & mihi etiam, & familiæ meæ.* Neq; *enim eſt dicendum; quorum hominum animi ſententia, & uoluntate coniuncti, copulatiq; ſunt, quibus animis fortunæ imperatur; eos etiam ſuas ipſorum fortunas non eaſdem putare.* Itaque *ago tibi gratias pro mea portione, quã poſſum*

maximas:

maximas: petoq́; duas res a te: unam, ut quantum tibi debere ipſum Angelum ſentis, pro eo, in quo tu illũ erigis iacentẽ, ac ſubleuas, tantũ me quoq; ipſum, certe tibi ſemper obligatum putes: alteram; ut ſi te, clienti tuo uiro innocenti, ac frugi, deq́; te benemerito dediſſe operam exiſtimas; pergas, ei te beneficum, ac liberalem præſtare. Omnino mihi quidem ita uidetur: nec eſſe quicquam tam proprium magnorum uirorum; quàm benefacere quàm plurimis; neq; te habere quẽquam ex omni familia tua; a quo, uel magis memorem animum, & gratum acceptorũ a te munerum, uel uberiores fructus operæ, ingenij, ſtudiorum tibi ipſe polliceri poßis. Vale. Idibus Septembribus. MIID. Ferrariæ.

MONOPOLIM.

P. B. Ioanni Baptiſtæ Portenſi *S.* P. D.

DIVERSIS *temporibus, binas litteras dedi ad te, pro negotijs* Monopolitanenſibus Antonij Tinti *mei. Nunc ſcribo tertio, eadem ipſa illa negotia commendans tibi, maiorem in modum. Sed quibus uerbis agam tecum, nũc demum plane nõ reperio: Vereor enim; ne ſi iterum patrocinium tuum, plurima contentione depopoſcero, diffidere tibi uidear; ſi leui, ne parum nunc etiam profuturus ſim homini mihi amiciſsimo, et cui prodeſſe plurimum cupio, hoc præſertim tempore; quo eius multum intereſt, eſſe illum tibi quàm commendatiſsimum; tuamq́; illi auctoritatem,*

tem,officium,ſtudium, gratiam, poſtremo etiam diligentiam non deeſſe. Pudet me,uel reipublicæ cauſa, uirum honeſtiſsimum, in re tam plana, tanta contumelia a perditis hominibus affici. Quid,ſi ciuem Venetum addidero? quid, ſi etiam optimè de rep. meritum? Sed ego plane ἄκαιρος; qui hæc tecum;cui quidem omnia non minus nota ſunt, quàm mihi. Itaque agam iam paucis. Procuratorem ſuum, Ioannem Andream, probum uirum ad te, tanquam ad patronum, mittit Antonius. Huic tu, ſi tantum operæ tuæ præſtiteris, quantum ſatis erit ad Antonij pecunias exigendas, cauſamq; conficiendam; cum ego ſane non minus tibi debebo, quàm ipſe Antonius; tum efficiã profecto, ut te homini & optimo, & grato dediſſe beneficium cognoſcas, qui præſto fueris amico meo. Sin autem non præſtiteris; ego tamen id ipſum non præſtaturum eſſe te, ante quam accidat, poſſe fieri non exiſtimabo. Vale.

XIII. kalen. Decemb. MIIID. Ferraria.

VENETIAS.

P. B. Tryphoni Gabrieli S. P. D.

MANE conſcribenti mihi Aſulanos meos; in quibus matutinæ operæ multum inſumo, & fere omnes horas antelucanas; redditæ ſunt abs te litteræ: quibus ſum magnopere delectatus: Nam cum ex ijs, & recte tibi eſſe; & mandata te mea confeciſſe omnia cognoui; tum ex ubertate orationis tuæ,atque

facundia,

facũdia, magnam acceßionem abs te factam eſſe uideo, in ſtudijs litterarum, & ſtilo inſtituendo: quo uno, quid mihi eſſe poteſt iocũdius? Noſti enim quãti faciam mores illos ſuauißimos tuos: quibus cũ doctrinam adiunxeris (quod quidem ipſum iam facis); nihil erit prorſus a me poſtea, cum hac uoluptate conferendum. Itaque perge mi Trypho: animiq́; tui lenißimum temperamentum, acutißimumq́; illud ingenij tui acumen exorna, quantum potes, litterarum, & doctrinæ ſplendoribus: Quæ res te, non amicis modo tuis cariorem facere; ſed etiam illuſtrare apud omnes gentes poterit. Sed hæc tu fortaſſe melius intelligis, quàm ego. Itaque, uenio ad reliquas partes epiſtolæ tuæ. Gratum eſt mihi, quod ſcribis amantißimum eſſe mei, Ludouicum Capellum tuum: qui quidem, in tam perditis moribus noſtræ iuuentutis, elegantem adoleſcentem, & probum, pene pro miraculo duco. Itaque, amatur iam is a me profecto, non minus quàm ab illo ego. Quod conſulis, ut dolori meo adhibeam modum, & ualetudini, animiq́; tranquillitati ſeruiam; facerẽ equidem ſi poſſem, præſertim, hortante & monente te: ſed profecto non poſſum: reuoluor enim eodem ſingulis horarum punctis; & quid amiſerim cogito. Noſti autem certe ipſe uulnus meum, quàm adactum ſit; ut uix mihi uideatur coire unquam, & ſanari poſſe. An ignoras, maximorũ dolorum unam eſſe ſanationem, in mora? quam quidem ad rem, ſi quid afferre auxilij ulla res alia poteſt; ij ſunt conuictus, & quotidianæ conſuetudines amico-

rum.

rum. Nos autem poſtea quam diſceßimus abs te, neminem unum habuimus, quo paulo familiarius uteremur. Quod ſi tu affuiſſes; non uereor, ne abs te magnopere fuiſſemus adiuti, multumq; detractum iam eſſet, de noſtri doloris magnitudine. Quare, ſi me amas, aduola: aut ſi id facere non potes; ueni ſaltem ad nos, de Quæſtura Veronenſi fratris tui; quã, initurum eſſe illum propediem exiſtimo, ex deßignationis coniectura. Vale.

Tertio Idus Decembr. MIIID. *Ferrariæ.*

VENETIAS.

P. B. *Tryphoni Gabrieli* S. P. D.

ET *ſi incredibilem cepi uoluptatem, ex eo, quod mihi ſignificaſti de confectione Sacerdotij tui; quod quidem, uel ex ijs litteris, quibus ad tuas reſpondebam, cognoſcere potuiſti, uel certe, facilius ex amoris mei erga te magnitudine metiri; tamen illud meũ gaudium, ualde imminuit intermißio litterarũ tuarum, quæ poſt eum diem eſt ſubſequuta. Nam cũ me, non tam præſentia mouerent, quàm ea quæ putabam fore; hoc eſt, cum mihi, non maiorem lætitiam attuliſſet ipſa rei abſolutio, quam caperem ex eo, quod cogitabam, qualis poſthac tuæ uitæ ratio eſſet futura, quod tuum otium, quæ ſtudia, qui dies; neque ſolum gauderem tua cauſa, ſed (ut uerum fatear) etiã mea: ſperabam enim me aliquando, totos dies tecum uicturum; itaq; in partem me tuorum bonorũ conijciebam;*

ciebam; De ijs rebus omnibus, cum tu ad me nihil poſtea ſcripſeris; quaſi mare uentis ceſſantibus; ſic illa redundantia uoluptatis meæ paulatim reſedit. In quo quanta tua culpa ſit, ipſe uideris: quanquã quidem, non tam tibi excitanda mea lætitia fuerat, quàm plane etiam ſuſtinenda. Illud autem te rogo; ne patiaris in hac ignoratione tui diutius me eſſe: & ſiue habes aliquid noui, quod me uelle ſcire intelligis, ſiue nõ habes; id ipſum ſcribito, nihil eſſe quod ſcribas. Demum quid agas, ubi ſis, quid cogites; ſi me amas, & te amari ſcis; fac me quam primum certiorẽ. Ego de meis cogitationibus; quas tibi tam ſemper eſſe notas uolui, quàm eſſent mihi; nihil ſtatutũ habeo, præter ea quæ ſcis: puto autem te ſcire, me maxime cupere, atque in ea cura eſſe noctes & dies; ut aliquãdo liberum tempus nanciſcar, in noſtra ſtudia incumbendi. Aſulani mei plane dormiunt: quod ferrem facilius, ſi minus abs te probarentur. Nam nunc quidem, partim me ſibi negocia domeſtica depoſcunt, partim detinent ſtudia dialecticæ diſciplinæ; ut tempus, quo me ad tertia conuertam, non ſuperet. De Aurelio quid ſit, uehementer aueo ſcire. Vale. Ferraria. kalen. Martijs. MID.

VENETIAS.

P. B. *Marco Antonio Sabellico* S. P. D.

OPERAM, *quam a me exigebas; procuratori tuo præſtandi locus non fuit: is enim ante, quam mihi*

mihi tuas litteras redderet, Herculem Ducem *allo-quutus, rem confecerat*. Ego *autem, cum illum iuuiſ-ſem libenter nunc, tuo rogatu, ſi me præmonuiſſet; tum omnia, quæ ad tuam dignitatem pertineant; in quibus tibi eſſe uſui poßit, cura, ſtudium, diligentiaq́; mea, facturus omni tempore ſum, multo libētißime, etiam ſi me non roges*. Nam, *in quo operam meam melius poſiturum me confidam, quàm in hominis do-ctißimi, eloquentißimi, optime de rep. meriti, mihi certe amicißimi dignitate, & tuenda, & augenda?* Itaque *ſic exiſtimes uelim; te neminem habere; de quo tibi omnia polliceri poßis æque, ac de me*. Reli-*quum eſt; ut de ſeptem hiſtoriarum enneadibus, quas nuper edidiſti, tibi gratuler & laboribus tuis; qui-bus uberrimum fructum propoſitum uideo, laudis & gloriæ ſempiternæ*. Vale.

Sexdecimo kalen. Maias. MIID. *Ferraria.*

PATAVIVM.

Bernardus Bembus, Petro Barotio Epiſcopo Patauino S. P. D.

PETO *a te; ne me putes obliuione tui, rarius ad te ſcribere, quàm ſim ſolitus. Qui enim fieri po-teſt; ut, (qui etiam illorum bene memini, quibus paulum debeo) tui, cui omnia debeo, mihi memoriam ſubripiat, aut tempus ullum, aut ullus caſus?* Sed *(ita me* Dij *ament) tam multa me negotia undiq́;, tam crebræ undæ rerum, hoc in* Prodominatu, *propter*

eum,

eum,qui nondum eſerbuit, tumultum bellorum, circũſepiunt; ut plane mihi, neque punctum quidem ullum temporis uacuum a reip. muneribus concedatur. Cæterum,quoniam mea multum intereſt, habere me rerum Patauinarum hiſtorias; te etiam atque etiã rogo; ut, ſi tu eas habes; des Vanotio meo mihi mittendas: ſi non habes, & ſcis ubi ſint; mandes alicui tuorum, ut mihi eas quærat tantiſper, quoad perlegam. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale. Quarto Non. Febr. M I I D. Ferraria.

PATATIVM.

Bernardus Bembus, Petro Barotio Epiſcopo Patauino S. P. D.

ACCEPI epiſtolam abs te, tua manu ſcriptam: in qua mihi humaniſſime reſpondes, & (qua es pietate in tuos) etiam diligentiſſime, ad ea, quæ ſcripſi tibi,de rerum Patauinarum hiſtorijs. Itaque, tibi gratias ago ea de re: Video enim te, maiorẽ curam adhibuiſſe, ut mihi ſatisfieret; quàm, quem ego ad te hac de re miſeram,Vanotium meum. Sed, quoniam, quoad domi ſim, expectare me,nimis longum eſt; ſtatui petere,& a Muſſatis, & a Galeatijs eos annales, quos tu mihi, eſſe apud illos ſcribis. Spero fore; ut mihi eos neutri recuſent dare: In quo ſi aſſequar, quod cupio; abs te accepiſſe me eos libros exiſtimabo: ſi non aſſequar; ego tamen nihilo tibi minus debebo. Quod ais de Leoniceno; ſcito eum habere

bere in manibus opus; idq́; tibi explicatum, ac perfectum propediem miſſurum; neq; quicquam aliud interea conſcripturum. Vale.
Decimotertio Kalen. Martias. MIID. Ferrariæ.

FERRARIAM.
P. B. Alberto Pio S. P. D.

QVIA *tibi non eſt obſcurum, quantæ me occupationes diſtinuerint per hos dies; peto a te, ne me accuſes, ſi cum reſpirandi cauſa, tum, ut ad* Ariſtotelem *meum me reciperem, a quo me meæ ſollicitudines abſtraxerunt; & te, & urbem reliqui.* Nã *cum iſtic mihi, ut ſcis; tecum enim ſum queſtus; impẽdere, hoc tempore, meis ſtudijs quantam uellem operam, non liceret; ſtatui tam diu hic eſſe, quantum ſufficeret, ad præteritorum dierum iacturam ſarciendã. Itaque abero, quoad tu uoles: modo non hanc etiã mihi quietem interpellet noſter* Dux; *quem audio hic propediem affuturum.* Vale.
Quarto Non. Aug. MIID. *De pulchri ſpeculi uilla* Herculeiana.

FERRARIAM.
P. B. *Alberto* Pio Carpi Domino S. P. D.

VENI *in* Nonianum *poſtridie eius diei, quõ iſtinc profectus ſum: quæ mihi uilla ſane uiſa eſt, expectare aduentum meum; ita me ſuſcepit hilariter.*

Ego autem, qui hoc diuerſoriolo diu carueram; uix poſſum dicere, quàm eo ſum delectatus. Primus *acceſſus in hortulos eſt factus: deinde ad* Pluuici *ripam, populorumq; umbras illas,* Bembi *patris mei; quas mihi dixiſti uelle inuiſere te.*Is *me angulus ſemper magnopere delectat: ſed omnino neſcio quo pacto, & fortaſſe noſtra culpa, qui abfuimus; (nam uillici nolo dicere: ij enim homines umbrarum elegantiæ non fauent) multum decoris amiſit; multum uenuſtatis; ut quaſi me pigeat in eo libro, quem de* Aetna *conſcripſi, tam multa uerba feciſſe de illo loco.* Sed *tu ſi ueneris, una, ei & dialogo conſulemus.* Nam *quia eo in ſtatu res eſt; ut ſi murus iaciatur, magna amœnitas arboribus & ripæ uideatur acceſſura; deliberare nihil audeo ſine te; qui non ſolum uillas, ſed etiam caſtella ædificas.* Contuli *demum me ad bibliothecam:* In *qua cum eſſem heri, uenit in manus mihi, uernaculum carmen meum; quod feceram, hoc ipſo in loco, ante, quam in* Siciliã *proficiſcerer; ut me ipſum, atque amicum quendam meum, ad bene uiuendi officia, & capeſcendarum uirtutum ſtudium, quaſi dormientes excitarem.* Id *ego cum auidiuſcule percurriſſem; uti fit, in eorum ſcriptorum recenſione, quæ diu, quaſi ab eorum memoria receſſerimus, neglecta iacuere;* Cepi *ex ea lectione, plus etiam uoluptatis, quam putaram.* Itaq; *cum mihi non diſplicuiſſent, ſtatui eos uerſus ad te mittere: cum, ut haberes quaſi primitias huius fundi, tum ut ſcires, non ſolum amatoria nos huiuſcemodi carminibus; ſed*

etiam, quod ad mores, & philoſophiam tuam illam faciat, ſolere concinere. Cæterum pluuiæ nos intra uillam tenent: quibus tamen puto Nonianum Iouem uelle meis ſtudijs ſuffragari: nam omnino præter ſcribendi aut legendi, nulli mihi negotio reliquit locum: quod quidem non moleſte ferrem; niſi mihi etiam amœniores meas omnes ambulatiunculas ſuſtuliſſet. Tu uale: & iam ad nos, ut pollicitus es, cogita. Ego te uehementer expecto.

XII kalen. Sept. MIID. Ex Noniano.

BONONIAM.

P. B. Gabrieli Fanenſi S. P. D.

QVANQVAM nihil mihi potuit accidere minus expectatum; quàm id, quod proxime intellexi, mei uidendi cauſa te Ferrariæ fuiſſe ijs diebus; tamen ea res mihi ſummam uoluptatem attuliſſet, ſi affuiſſem. Non enim uereor; ne te, uel excipiendo, uel audiendo, uel percunctando, mihi ipſe ſatisfeciſſem. Nũc autẽ, cũ tãtum itineris abs te ſit fruſtra ſuſceptum, ut me conuenires; non poſſum non dolere uehementer; ea me ab urbe, in qua totum annum cõfeci, hoc tempore abfuiſſe; quo me maxime adeſſe oportebat. Sed me duæ res conſolantur; una, quod te audio, Bembum patrem meum ſalutauiſſe humaniſsimis uerbis: itaq;, non omnino tu caruiſſe me potes, qui illum habueris: altera quod breui te (ut ſpero) uidebo. Neq; enim tam ſum frigeſcens in te

amando; ut quod abs te factum eſſe uideo, ut mecum eſſes; me idem facere pigeat, propter eam ipſam cauſam, cum te uidendi & amplectendi, tum ut parem tibi gratiam referam, huius tui tam inſignis, uel officij erga me, uel laboris. Vale.

Prid. Id. Sep. MIID. Patauio.

ROMAM.

P. B. *Gabrieli* Fanenſi S. P. D.

MAGNO *gaudio affectus ſum, ex eo, quod nobis hodie allatum eſt, bene mane;* Iulianum Cardinalem *tuum,* Dijs, *hominibusq́; approbantibus,* Pontificem Maximum *eſſe creatum.* Quid *enim mihi contingere optabilius potuiſſet; quàm eum uirum; quẽ plurimis, maximisq́; de cauſis, noſtra quidem ſemper ciuitas, miro ſtudio eſt proſequuta;* Bembus *uero pater meus, uiginti iam annos coluit obſeruantiſsime, domi, ac foris; ego autem in eo amando, quaſi quandam legẽ mihi a parente traditam, ſanctiſsime ſemper ueneratus ſum; ſummo rerum imperio eſſe potitum?* Itaque, *mihi hoc credas uelim, eo nuntio audito, mirifice ſum lætatus: uiſumq́; mihi eſt, hac una poſtulatione a* Dijs *immortalibus impetrata, de ipſorum uoluntate erga nos, quam abalienatam ſumus per decennium experti, bene in poſterum, eſſe ſperandum.* Igitur *primum tibi, uti debeo gratulor.* Nã, *quod illi ab ineunte ætate; chariſsimus ſemper fuiſti, propterea quod, cum plurimis tuis uirtutibus,*

atque illuſtri morum elegantia, ſummum tuum in illum ſtudium, ſumma officia coniuncta extiterunt; ſpero fore, ut breui tempore, uberes, atque ampliſſimos fructus percipias, fidei, & charitatis tuæ. Deinde ciuibus, reiq; meæ publicæ gratulor: quæ profecto, nunquam hunc diem uidere, tanto ardore animorum, cupijſſet; niſi exiſtimauiſſet hunc ipſum diē, cum ſuis, tum Italiæ labentibus rebus, quieti & uoluptati futurum. Poſtremo (ut de me ipſo loquar) mihi, etiam atque etiam gaudeo: Non enim uereor, ne id, quod mihi maximum erat in uotis, urbs ipſa Roma, quæ prope omnem iam ueteris dignitatis ſuccum, atque colorem amiſerat; illo uiro ad eam regēdam admiſſo, breui tempore ſit, ornamenta ſua omnia, ſplendoremq; priſtinum recuperatura. In quo illud me delectat; quod hæc quidem omnia, multo ante quam fierent, quaſi ex aliqua ſpecula præuiderim futura, etiam carminibus inſerui, quorum exemplum habebis cum his litteris. Nunc quot, quantasq; cauſas gratulandi habuerim, uides. Sed quoniam pro eo, quantum debeo, non ſatis mihi uideor poſſe ullis litteris, teſtatam tibi facere magnitudinem lætitiæ meæ; dabo operam, ut te uidere, atque amplecti quam primum poßim. Interim te, etiam atq; etiam rogo; ut ſanctißimis tui Pontificis maximi pedibus, meo, & Bernardi patris mei nomine, dare oſculum ne grauere. De quo nihil ſcribam longius; ſpero enim ipſum, non ſolum ſuam, ſed etiam reip. uoluptatem, ex iſta declaratione perceptam, præſenri il-

li propediem allaturum. Cippicum Epiſcopum Famauguſtanum, & Petrum Paulum *equitem* Hieroſolymitanum, *plurima ſalute uelim impertias meis uerbis*. Quirinus *te meus ſalutat; tibiq́; gratulatur.* Vale. Tertio Nonas Decembr. MDIII. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Gabrieli Fanenſi S. P. D.

CVM, Epiſcopatum Vrbinatium *tuis prioribus dignitatibus acceßiſſe gaudeo; tum illud imprimis lætor, te, ab epiſtolis* Pontifici *maximo eſſe factum, uel, a conſilijs potius, atque ab animo ipſo*. Nam *qui iſtinc ueniunt: ita prope omnes loquuntur; unum te eſſe, quem ille mirifice diligat, & cui omnia ſumma, maxime deferat, quemque appellet familiarißime, ſummaq́; cum dignitate*. Itaque *tibi, ut debeo, hoc eſt uehementer, gratulor; neque iam minus propter ea, quæ euentura ſunt, quàm propter illa, quæ acciderunt*. Ita *enim diuino ac uaticinor; breui fore; cum te, longe in altiori, longeq́; illuſtriori dignitatis gradu, quàm nunc es, poſitum conſtitutumq́; uidebo*. Quanquam *quidem eo in genere nihil iam poteſt tibi, uel tam amplum contingere, quod non tuis uirtutibus anguſtius; uel tam cito, quod non expectatione mea ſerius ſit futurum*. Quirinus *meus multa te ſalute impertit; optatq́; tibi omnia proſpere, fauſte, feliciter euenire*. Angelus

Gabriel, affinis tuus, per multos iam dies abeſt in Oppidulis amœniſſimis ſuis Auiano, Pauliano, Georgiano. Apud nos omnia recte. Pater etiam tibi gratulatur. Vale. XII kalen. Maias MIID. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Gabrieli Epiſcopo, Vrbinatium Cardinali deſignato S. P. D.

ETSI mihi nunquam dubium fuit, quin te Põtifex Maximus, pro tuis innumerabilibus in ſe meritis, ac totius uitæ ratione, Cardinalem eſſet facturus: omnibus tamen nuntijs, qui afferri nobis hoc tempore potuiſſent, longe gratior & iocundior is fuit, qui eſt heri ea de re ad Senatum perlatus; incredibiliq; lætitia ſum affectus, cum id mihi nuntiatum eſt. Nam quoniam pro mea in te obſeruantia ac pietate, tuorumq; in me officiorum magnitudine ſummopere optabam uidere illum diem; cũ tibi eſſet tua cõtinẽtia, tua doctrina, tuis ſtudijs, tuis laboribus, tua uirtute, dignus locus conſtitutus: plane quieſcere animo non poteram, uſque dum tibi is contigiſſet. Qui quidem quia cõtigit; tibi ego id, quod uere facere poſſum, etiam libentiſſime gratulor: deq; hac tã illuſtri tuæ dignitatis acceſſione tantam uoluptatem capio; quãtam profecto uel nullus, uel omnino pauci. Caue enim putes, ex meo memoriæ ſenſu excidiſſe, qua me ſemper humanitate ſis complexus: quo etiã

uultu, Romæ, *ante hoc triennium ſuſceperis; quibus officijs, quamq; illuſtri, amoris erga me tui ſignificatione fueris proſequutus.* Nam,*quæ hac æſtate feciſti; qua patrem meum charitate, quo ſtudio; qua liberalitate me, qua* Paulum Decanalem *meum tractaueris; tam ſunt recentia; ut ne recordatione quidem putem egere.* Itaque,*ut mediocriter dicam, quod ſentio; ſum plane unus ex ijs; quibus tuæ res ſecundæ omnes iocundiſsimæ ſunt, atque ita, ut nulli magis.* Accedit *ad hoc; ut etiam tum populi* Ro. *tum* Collegij *ueſtri cauſa gaudeam: quibus cum præclariſsime actum puto; quod te uirum ea ſcientia, ijs moribus præditum, alteri habere ſuarum rerum prope defenſorem contigerit, alteri ſenſibus in rep. ſocium.* Quamobrem, DEOS *oro; ut tibi iſtam dignitatem ita fortunent, ut ad illam ipſam, quæ omnium dignitatum longe ampliſsima eſt, adeundi tibi ſit gradus: quod quidem, non modo aliquando, ſed etiam plane breui confido fore.* Bembus *etiam pater, tibi de eo magnopere gratulatur: qui quoniam eſt ipſe* Decemuir *(noſtri autẽ morem noſtræ reip.) idcirco ad te non ſcribit. Sed habes hominem, proſperis rerum tuarum euentis omnibus hilarem, non ſolũ quia te mirifice diligit; ſed etiam, quia tibi multum debet.* Vale. Id.*Decemb.* MDV. *Venetijs.*

Romam.

ROMAM.

P. B. Gabrieli Cardinali Vrbinatium, Epiſcopo S. P. D.

LITTERAS *tuas, humaniſsime prudentiſsimeq́; ſcriptas, ad eas meas litteras; quibus te Cardinalem factum ſalutabam, tibiq́; gratulabar; mihi ab* Hieronymo Lippomano *redditas,* Leonardus *Lauredanus, reip. noſtræ princeps, legit; non illas quidem per interpretem, aut ea tantum parte, qua tu de illo agis; ſed plane totas, miraq́; cum uoluptate.* Nam, *cum illum heri, factis comitijs, deductum domum, tuis uerbis ſalutauiſſem, dixiſſemq́; ei, me habere litteras abs te; popoſcit eas ipſe litteras; ſingulaq́; uerba, clara uoce pronuntians, cum ſtili elegantia plurimum, tum multo etiam magis, ſententiarum grauitate delectatus, te quidem in cœlum multis laudibus extulit; rem uero pub.* Romanam, *etiam beatiſsimam dixit ſibi uiſum iri, ſi tui ſimiles, ea dignitate, habere illi cæteros contigiſſet.* Quid? *quæris, nihil potuit ad tuam dignitatem accumulatius, nihil illuſtrius.* Itaque *ille, cum iam omnes, qui aderant, in tui admirationem conuertiſſet, poſtremo ad me reſpiciens,* Tu *uero inquit, quàm libenter impertitam mihi abs te,* Cardinalis *tui ſalutationem acceperim, litteraſq́; ipſas legerim, illi denuntiato; deq́; mea in illum propenſiſsima uoluntate ſcribito, quæ uidiſti.* Hoc *ego illius ſermone, uehementer ſum delectatus.*

lectatus. Nam quæ ipſe de te ſentio, quæque mihi de tuis uirtutibus perſpectißima ſunt; ea ſummopere gaudeo eſſe, etiam cæteris omnibus, atque imprimis maximo, & clarißimo cuiq; cognitißima. Quod ais, expectare te conſilium meum, debeas ne ad illum ſcribere; ego uero non committam, ut mihi tritum illud obijciatur. Sus Mineruam. Nihil eſt enim; quod non tu multo melius, pro tua ſapientia diſpicias; quàm ego; ſed ſi ſcripſeris; non uereor, quin illi gratißimæ tuæ litteræ ſint futuræ. Quod autem iſta dignitate, uitam tibi difficiliorem factam putas; ſentio me hercule ita, ut ſcribis, eſſe: modo quid plane deceat, expendatur: eaq; uehementer probo; quæ tu in hanc ſententiam, multa prudentißime ſapientißimeq; collegiſti: placet mihi Pythagoras mirum in modū ὃς, κυάμου ποτὲ χεῖρας ἀπέσχ᾽ ἀνιόντος ἔδεσθαι. Quanquam ſcio multo plures inueniri; quibus illud magis probatur αἴ κεν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Sed de eo tu uideris. Mihi autem illud iocundißimum fuit; quod ais neſcire te, de iſta tuæ dignitatis acceßione, tibi ne ipſe gratulari debeam, an tu mihi: qui quidem & caream illis difficultatibus, quas ſecum ea dignitas affert; & te habeam mihi amicißimum, quiq; auctus ſis, non multo mehercule, tibi ipſi plus, quàm mihi. In quo quidem uideo te, ab humanitate illa tua priſtina non diſcedere: quod plane lætor, eoq; magis, quo minus multi ſunt, qui ſecundis rerum ſuarum ſucceßibus non efferantur. Idq; cum uehementer gaudeo;

ter gaudeo; tum tibi ingentes gratias ago; quod me non modo de tua memoria tanto nomine & dignitate auctus non abieceris; Sed etiam, tam inſigni tui erga me amoris,& beneuolentiæ ſignificatione proſequare: quanquam tu id quidem ſemper feciſti: ſed profecto omnia officia, & ſtudia in nos, quo ab illuſtriori loco proficiſcuntur; eo gratiora nobis ſunt & iocundiora. Quamobrem magna lætitia ſum affectus ex tuis litteris. Angelum Gabrielem, affinem tuum, propter ſoceri ſui mortem, in Pauliano detentum, ſcito a nobis, tres iam menſes deſiderari. Vale. XI kalen. Febr. MDV. Venetijs.

ASTAM.

P. B. Placidio Amerino S. P. D.

BREVES tuas quidẽ, ſed ſuaues accipio litteras.Itaque ualde te amo; quod in tam magnis occupationibus tuis,amoris erga te mei,& noſtræ neceſſitudinis memoriæ des locum. Quanquam ſane, facio iſtud crebro ipſe quoque de te: neque tibi concedo: mihi enim,quotidie ante oculos,ſatis tu quidem proprie,familiariterq; uerſaris. Sed quia minus multos habeo,qui iſtuc proficiſcantur; minus ſæpe ad te ſcribo,quam plane ſcriberem, ſi haberem. Quod ais te memorem eſſe libertatis per me tibi reſtitutæ; facis mi Placidi nihil nouũ, qui mihi animi magni tui ſtudium erga me,liberalitatemq; pronuntias. Sed omnino mirifice lætor, tantum tibi uideri factum meum,

quantum

quantum profecto nunquam eſſet, niſi tu illud malles, ex tua humanitate, quam ex mea opera metiri. Saluebis a patre meo, & matre, & fratre, et tuo Cola; quibus de ſingulis egiſti mecum per litteras diligenter, ut illis ſalutem nuntiarem. Tu uero iam nimis otio abundas; quem tamen ſcio amore in primis, ſolere abundare, maximeq; in me & meos. Ego abs te peto; ut ſi quando in Cippicum incides, ueterem perneceſſarium patris mei, aut ſi ad eum ſcribes, quod te ſæpe facere exiſtimo: dicas illi multam ſalutem meis uerbis. Vale. Id. April. MID. Ferraria.

In allobrogas.

Cola Siculus, Placidio Amerino S. P. D.

Ego *uero* Placidi, *maximas tibi gratias ago: quod in tuis, ad* Bembum *litteris, ſemper aliquid de me.*In *quo quidem, me etiam relaturum exiſtimaui; ſi tibi homini* Romano, *& nihil fere inter iſtas gentes, niſi barbarum audienti, ipſe aliquid latinũ miſero.* Habebis *igitur cum his litteris, uerſus quoſdam noſtrates, ſatis doctos illos quidem: ſed laſciuia plenos, atque etiam in ipſa pagina prurientes.* Quos *non mitterem; niſi tu* Gallis *præeſſes; qui ſi nondum* Latium *exuiſti, non feres a* Gallis *iniuriam in bene maſculos fieri.* Eos *putant quidam eſſe ueteres.* Sed *tu id iudicabis, & mihi reſcribes.* Vale.

Idibus Aprilibus. MID. Ferraria.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM FAMILIARIVM.

LIBER TERTIVS.

PATAVIVM.

P. B. *Valerio Superchio* S. P. D.

MIRIFICE *delectatus ſum ea tua oratione, quam ad me miſeras, de laudibus* Aſtronomiæ: *Quam quidem & ſi ſciebam mihi ſummopere placituram; quia tu eam confeceras, cuius e manibus nihil poteſt effluere non egregium, aut etiam non præclarum: tamen ita exiſtimes uelim, hoc uno tuo opere eam ipſam meam de te eximiam expectationem fuiſſe ſuperatam. Quid? quæris.* Nihil *legi unquam libentius: omnia mihi maxima, minima, probantur maiorem in modum.* Non *puto te expectare, ut de ſingulis huius libri partibus, tibi ſignificem quid ſentiam: cũ & ipſe de toto ſic exiſtimem, nullam eſſe ſentẽtiam, aut etiam nullum uerbum non ex arte poſitum, non decenter, non ſuo loco; & tute ipſe ſis conſcius; quanto in uno quoque membro atque articulo huius tui quaſi ſigni cælando & percutiendo, uel ingenij poſueris, uel laboris:* Vt *non modo ſuperuacaneum*

uideatur

uideatur expectare te a me, ſed etiam me tibi ſcribere iudicium meum. Nā hoc ipſum quod nunc ſcribo de toto corpore, probari a me omnia uehementer; non mehercule tam facio teſtificandæ tibi meæ ſententiæ cauſa, quàm plane etiam uoluptatis. Quia enim ualde te amo; omnia tua & facta & ſcripta, quæ tuam dignitatem exaugeant, tam mihi ſunt iocunda fere, quàm ſi amplificarent meam. Itaq; cum tua probo, præſertim tibi; uideor me ipſum mihi meum gaudium, non tibi meum iudicium denuntiare. Leonicenus & Fauentius; quibus quidem ſtatim detuli tuo nomine librum tuum; tibi apud me gratias egerunt, quod uolueris ſibi eſſe cognitam iſtam præſtantiam ingenij tui. Quorum alter tibi etiam per litteras gratulatur. Vale.

Decimo kalen. Iunias. M I D. Ferrariæ.

VENETIAS.

P. B. Valerio Superchio S. P D.

VERSICVLI tui me magnopere delectarunt, quos de Pauli Danduli morte confeciſti: in quibus quidem belle omnia; ſed illud imprimis; quod cum egregij poëtæ partis complexus ſis, a medicorū præceptis non recedis. Itaque te plane uideo unis ſcriptis duas Apollinis artes aſſequutum, uel potius treis. ſiquidem ad eos uerſus cōficiendos lyram etiam adhibuiſti: quod mihi quidem ſit ueriſimile: nihil eſt enim ad commouendos animos aptius. Te uero præclare

clare fidibus canere ſolitũ, uel ipſi parietes loquuntur. Quã ob rem recte tu quidẽ illos dies conſumpſiſti, quibus tibi per magiſtratũ ædibus exire nõ licuit. Nobis uero, quos iſtinc certiores noſtri fecerãt propter morbi contagionem ita te contineri; Dij boni, quàm permoleſtum id tempus fuit, quàm acerbum, quàm prope anno longius? Quàm nos etiam leuiter Danduli fatum commouit, dum animi de tua ſalute penderemus. Poſtea uero quàm cognouimus, nihil tibi ex contagione mali accidiſſe; tum demum optimi ac clariſsimi adoleſcentis mortem animo reputantes eo dolore affecti fuimus, ut uix lachrimis inueniremus modum. Ita ne in florentiſsima orbis terrarum urbe, atque patria, perilluſtri familia, optimis parentibus genitum, omnibus bonis artibus eruditum, ſuauiſsimis moribus præditum adoleſcentem, ſummo ingenio tum, cum florere inciperet, carere omnino rebus humanis æquum atque decens fuit? Sed quid agas? Deorum hæc æſtimatione gubernantur. Quæ; quoniam nullum in eo noſtrum peccatum eſt; æquo nobis animo ſunt ferenda: ne tanquam mali & imbecilles philoſophi, a fortibus atque conſtantibus irrideamur. Vale. XIIII. kalen. Mart. MDXI. Vrbino.

VENETIAS.

P. B. *Valerio Superchio* S. P. D.

LITTERIS *ſuauiſsimis tuis mihi Patauij redditis,*

redditis, cum illuc ad Bembum patrem meum ex carbunculo laborantem ueniſſem, ideo breuiter reſpondebo. quod ex Nicolao Teupulo & Paulo Decanali utriusque noſtrum amantiſsimis, qui mecum unum diem fuerunt, puto te intellexiſſe, quo in ſtatu res noſtræ eſſent: quibus de rebus te ualde ſollicitum uideo: quod quidem non miror. Scio enim, tu quantum me ames; quantæq; tibi curæ ſit, ne mea hæc peregrinatio, quam tu neque probare auſus fuiſti; neque plane improbare; noſtris hominibus parum conſulte ſuſcepta fuiſſe uideatur: In quo ſcito, non modo non pœnitere me mei conſilij atque facti; ſed plane etiam gaudere, atque ex ea re maiorem in dies uoluptatem capere. Itaque uolo te cum de me bonā ſpem alere; tum putare, cum me audis in litterarum ſtudijs magno ac pingui otio frui; non eſſe oblitum, quid tu mihi potiſsimum hoc tempore cogitandum eſſe duxiſti. Sed hæc hactenus. De tuo in patris mei curanda ualitudine ſtudio, quid tibi agam gratias? quas neque tu exigis; neque ego ſatis idoneas habeo pro tuis maximis officijs; quæ uoluntatem in eo meā exæquare ullo modo poſsint. Sed tamen ago, eoq; maiores atque iuſtiores; quod te intellexi ex illius ualetudine æque ſuſpenſum fuiſſe; ac quēquam meorum. De Patauinis medicis nihil eſt ſane deſideratum: omnia enim prope diuinæ curationis officia diligentiſsime præſtiterunt. Itaque cum patri adfuiſſem octo continuos dies, eo iam conualeſcente Patauio diſceſsi, equidem non ſine lachrimis. Dij mihi illum

ſeruent,

ſeruent, patrem optimum & ſuauiſsimum, & mihi mea uita chariorem. Puto nunc ei recte eſſe. Noſtri Principes te ſalutant. Vale.

VI kalen. Decemb. MDVI. Vrbino.

VENETIAS.

P. B. Valerio Superchio S. P. D.

DVABVS epiſtolis tuis prope eodem exemplo datis, ne mea manu,neue longioribus codicillis reſpondeam, pituita impedior, non illa quidem tam moleſta, ut ſcribendi mihi eripiat facultatem: Sed utor ueſtris legibus; qui ægritudinibus res contrarias adhibetis. Nam quoniam ex aſsidua cum lectione,tum ſcriptione laceſsitam mihi illam certo ſcio; a calamo atque libris quieſcendum mihi eſſe duxi, ut ualerem. Itaque omnem prorſus & ſcribendi & legendi operam abieceram. Venio igitur ad tuas litteras. Quod gaudes meam ſpem ea conſequēdi, quæ me ut uos relinquerem adduxerunt, maiorem in dies fieri; eſt mihi quidem gratum. Sed tum uolam gaudere te; cum plane aliquid erimus conſequuti. Qua in re mihi quidem ſapere Quirinus noſter uidetur; qui nihil mihi gratulatur de ſpe. Nouit enim homo mirus, & cū antea domi philoſophus, tum peregre nuper multarum rerum ſcientiā adeptus; quàm nos ſæpe temere illa detineat, quanq; fallax atque incerta ſit Dea. Quod abſentiam meam tam moleſte fers; in eo tibi nihil concedo; ut tu plus eam ob rem mo-

leſtiæ capias, quàm ego angor, quia te careo, qui mihi unus ſemper fuiſti iocundiſsimus. Quanquam etiam eo deteriore ſum conditione, quàm tu, atque fato; quod uobis omnibus uno tēpore careo te, Quirino, Gabrielibus, Teupolis, Iuſtiniano, Saorniano, Decanali meo; quibus ſingulis nihil mihi eſt in uita charius, nihil iocundius. Tu autem me uno cum careas; potes iſtam moleſtiam, ſi qua eſt, reliquorum tuorum omnium præſentia facillime conſolari. Quod autem me ad negotia hortaris; uideo te cum amantiſsime, tum etiam prudentiſsime facere: itaque utar conſilijs tuis; daboq́; operam, ut mihi ipſe non deſim. Tuas litteras miſi Romam, per tabellarium noſtrum: ſcripſiq́; ipſe, ut uolebas. Sed tempora quæ ſint, uides. De Lippo, ecquem tu hominem ineptiorem unquam uidiſti? ecquem etiam improbiorem? Sed abeat modo ille, de quo tantum confidit; ut putet etiam noceri ſibi non poſſe. Dabit certe pœnas ſtultitiæ ſuæ. Reſcripſi ad omnia. Dux Eliſabeta ualde tuis litteris delectata te mirifice diligit; itémque Emilia: quarum tibi uerbis impertio multam ſalutem. Vale cum meo Aurelio, & mea Commatre, & puellulis lepidiſsimis tuis.

III Non. Decemb. MDVI. Vrbino.

TAVRISVM.

P. B. Ioanni Aurelio S. P. D.

HERI cū Franciſcus Lignaminius homo multæ philoſo-

tæ philoſophiæ, atque idem amantiſsimus tui mihi nuntiauiſſet, ſe iſtuc ad ſuos perendie reuerſurum; atque interea in tui ſermonem incidiſſemus; dixi ei uelle me aliquid ad te litterarum dare. Is a me poſtea ſic diſceßit, ut diceret ſe poſtridie rediturum. Itaq; hodie cum redijſſet; hæc dictaui properãs ipſo præſente. Quanquam ſane nihil fere habebam nunc potiſsimum; quod quidem ſcriberem ad te; niſi illud, quod ſemper habeo; auere me ſcilicet uel tuas litteras legere; uel omnino ſcire quid agas, quid cogites, ut te oblectes in tuis ſtudijs, hoc eſt Muſarum & philoſophiæ: quarum rerum omnium ignoratio diu me tenuit, non ſine tua magna mehercule culpa, ut mihi quidem uidetur. Qui cum mihi receperis te iam de prima initione prodominatus patris mei nos inuiſurum; non modo adhuc non inuiſeris (quanquã is quidem iam omne tempus iuſti muneris prætergreſſus nunc, tanquam alterum prodominatum gerit) Sed neque abs te quidem litteras acceperim hoc biennio toto plures, quàm unas aut alteras, aut ſummum: ſed quid dico aut? certe plures non fuere. Quod ſi me accuſabis eodem crimine; ita tibi reſpondebo, ideo me ſcripſiſſe rarius, quia te putabam ad nos uenturum. Sed de litteris hactenus. Noſtra ſtudia ſatis ex ſententia; modo nobis otij tãtum eſſet, quantum uellemus: Sed profecto erit; cũ pater deceſſerit, quod quidem uideo propediem futurum. Nam hic annum etiam cogito eſſe. Siquid uoles amplius cognoſcere; petes ab ipſo Lignami-

nio: cui niſi hanc epiſtolam eſſem daturus; hæc ipſa ſcriberē longioribus uerbis: Sed uereor ἀκαιρίαν, Itaque nō tenebo hominem diutius. Vale. XII kalen. Iulias MID. Ferrariæ.

P. B. Vincentio Quirino S. P. D.

VEHEMENTER commouit me is nuntius; qui mihi mortem Antonij Quirini patrui tui pertulit, magnamq; ex ea re moleſtiam doloremq; percepi. Videbam enim mihi non id ſolum eſſe dolendum, quod erat omnibus nobis commune, qui hanc urbem incolimus; optimum ciuem, & magni ac præſtantis animi uirum ereptum eſſe reip. hoc tēpore, cum quidem maxime addi aliquid in tanta paucitate ad bonorum hominum numerum oportebat: Sed quia is fuit adhuc uitæ meæ curſus, ea ratio tuæ; ut etiam ante, quàm tu me uidiſſes, et ego te, ualde nos quidem utrique amauerimus inter nos; poſtea uero, quàm una fuimus, ego te in germani fratris habuerim loco, tu me quin eodem loco haberes, nunquam ſane dubitarim; ad eum dolorem, quē cūm cæteris ſentiebam, facere non potui; quo minus illum adderem, quo afficerer, quia te angi præter cæteros exiſtimabam: qui quidem tuus dolor non dubito, quin ſit maximus atque acerbiſſimus. Eum enim hominem amiſiſti; qui tibi eſſe deuinctior una tantum conditione potuiſſet, ſi te genuiſſet; tui amantior, neque illa quidem conditione eſſe potuiſſet. Ad

ſet. Ad hæc illud etiam accedebat, quo mihi augeri uidebatur mœror tuus: quod uerebar magnam partem otij tui, quod tu hortante patruo philoſophiæ ſtudijs impendebas, tibi cum illo eſſe ſublatam. Itaque plures cauſæ mihi ante oculos uerſabantur: quæ cum te quidem primo, pro tã duri caſus acerbitate, in luctum atque in lachrimas compuliſſent; me tamen etiam pro noſtra neceßitudine ſocium adderent doloris & mœroris tui. Verum poſtea, quàm in eã cogitationem ueni, nos ut homines eſſe natos recordarer; nihil eſſe in uita firmi, nihil certi, nihil ab homine alieni; tum illa ipſa, quæ tam immoderate feruntur; auferri puerum e ſinu matris acerbo interitu; auelli ex amplexu coniugis iuuenem; uirum florentem annis, florentem opibus, præripi ſurgenti familiæ, præripi ſuis; Tum illa quæ minus inuiſa ducimus; hominem miſerum egẽtem occumbere; ciuem defunctum reip. muneribus ſuorum humeris efferri ſenem; hæc, atque huius generis omnia nullum habere naturæ diſcrimen inter ſeſe; etiam oppida, atque urbes interire; Denique in illo ipſo, quem lugemus, decem aut quindecim annorum ſpatium eſſe id, quod tantopere nos moneret; quos ille ſi uixiſſet, ad eum uitæ ſpatium perueniſſet, in quo mori quempiam non eſt dolendum; Collegi pauliſper me, atque ſuſtinui in ipſo curſu doloris iam non tã quidem mea ſponte, quàm amoris erga te mei ſtimulis incitatum. Itaque cœpi ipſe mecũ ſic cogitare: Quid eſt, quod magnopere commouere debeat amici tui

animũ patrui interitus ægritudo? Porro *nullius hominis deflenda mors eſt doctis atque philoſophis uiris; ne ſua ipſorum quidem: ſed neque illis profecto, qui docti atque philoſophi non ſunt.* Nam *ſiue ſciunt ipſi, quæ hominum conditio ſit; ſane non eſt mors grauiter ferẽda illorum, qui ea lege nati ſunt, ut mori omnibus horis poſſent: ſiue ignorant; tamen id ipſum interire non eſt dolendum, quod quale ſit, neſciatur.* At *dices, ſua ipſe cauſa tangitur, ſuarum rerum iactura perturbatur:* Videt *enim, homo litterarum cupientiſſimus, ex morte patrui, magnam factam diminutionem, otij, & ſtudiorũ ſuorum:* Primum*, iam hoc quidem iniuſtum eſt, propinquorum atque amicorum interitum, noſtris cõmodis metiri; neque tam, quo ſuo, quàm, quo noſtro tempore mortem obierint, quærere.* Deinde *uideris tu quidem mihi, hac in re, non tam amici tui reflantem auram conqueri, quàm etiam uirtuti diffidere; qui non illa potius computas, quæ ueriſſime dicuntur; fortem & præſtantem uirum, præcipere fortunæ, non parere: quæ aduerſa caſus intulerit, ijs conſilio atque prudentia occurrere: niſi quis obſit* DEVS*: qui ſi obeſt; tanquam* Herculi*, ducendum ſe illi comparat, non trahendum: ex rerum neceßitate, ſuam ſibi uoluntatem facit.* An *tu hæc oblitus fueras, atque huiuſmodi multa; quæ, a doctiſſimis uiris tradita, ſæpenumero perlegiſti? aut ignorare* Vincentium Quirinum *putas, hominem plane philoſophum, ac pereruditum?* Vide*; ne æque illi*

que illi moleſtum ſit, ſua te cauſa frangi doloribus; qui ipſe non frangatur; ac tibi turpe, te hæc nõ perſpicere. Quod ſi te iam non tam ea tangunt, quæ tu, amici tui cauſa, grauiter ferenda exiſtimabas; quàm ea, quæ reipub. hoc quidem ipſum boni ciuis eſt: ſed tamen eſt uidendum; quæ ſingulis horis accidunt in rep. ea ferre grauiter, quàm honeſtum ſit non dicam forti, ſed tamen uiro. Hæc cum animo percurriſſem; Crede mihi Quirine, ijs cogitationibus magnopere ſum confirmatus. Itaque perſcribere tibi eas uolui; ut quatenus tibi opus eſſet, ipſe etiam uterere. Quanquam quidem non illud uereor, ne tu ea omnia multo melius diſcutias, quã ego; ſed tamen committere nolui; quin ea remedia, quibus ego ad meum dolorem leniendum ſum uſus, tibi quóque nota facerem, ſi tibi uideretur, ad leniendum tuum. Quod reliquum eſt; ſi me certiorem feceris, ubi tunc eras, cum tibi hæ litteræ ſunt redditæ; quã diu ibi te futurum putes; dabo operam, ut de ijs, deq; alijs rebus poſſimus una colloqui: quod ſi tu eris Venetijs, uideo mihi facilius futurum. Vale. kalen. Maijs. M D. De Noniano.

VENETIAS.

P. B. *Vincentio Quirino, &* Angelo Gabrieli

S. P. D.

VENI *recta in Strotianum, quemadmodum uobis dixeram me facturum: ubi nihil offendi, quod*

non me magnopere delectaret. Primum, *ædes magnificæ, ac ſumptuoſæ: quæ etiam, ſi quod unquam uitium fecerunt; demoliuntur, reſtituuntur, poliuntur, ut habitem cultius*. Deinde, *mira familiarium ſedulitas, mirus omnium erga me amor, ſtudium, obſeruantia*: Satrapes *ſi eſſem; non equidem colerer diligentius*. Præter *hæc loci opportunitas magna: itaq; uilitas rerum omnium eadem, quæ in urbe*. Piſcium *quidem, incredibilis copia Cymacliani portus, piſcinarumq; illarum celeberrimarũ uicinitate: quæ res etiam ad amœnitatem facit: nam earum undæ, prope fundum, magno ambitu diffunduntur; ut ea ex parte de uilla, tanquam in mare proſpiciatur. Quod ſi me harum rerum uoluptas caperet; mirum quantas ſtrages piſcium, quantas maritimarum auiũ darem. Sed ego undas cum libenter aſpicio; tum audio multo libentius: uti illis, neq; multum delector; & ſi paulum commouentur, plane non fero. Quid tu igitur? inquitis*: Ad *alia ſcilicet, me* transfero *genera uoluptatum*. Nam *ad uenatum, his quidem locis, nihil eſt aptius*. Itaque, *quoniam matutinas horas omnes, aut legendo, aut ſcribendo conſumimus; pomeridiani temporis partem aliquam, nõ ſæpe quidem, ſed tamen cum ardor ille, ſtudiorũ meorum aſſiduitate fractus, elangueſcere incipit, huc libenter confero: in quo nihil eſt, quod expectẽ meos: præſto mihi ſunt: hortantur, me exerceam*. Lycus *quidem, etiam monet, debilitari diuturna cogitatione corpus: otio laborem interponẽdum; nec mar-*

ceſcendum

Digitized by

ceſcendum in litteris: ita, etiã in illis plus agi. Quid? quæritis, philoſophantur, ut me uenatum euocent. Ego uero illis aſſentior, atq; eo libentius, quod dum ipſi uulpeculas, uel lepuſculos conſectantur, ego me ijs ſurripio, & quidem ſæpius, quàm illæ ipſæ, quas uenantur, feræ: didici enim inter uenandum etiam, uerſiculos meditari. Cum ad uillam reditum eſt, ego ſtatim ad lucernam: inde fere tertia ad cœnam, non illam quidem refertã ijs ſermonibus, quibus ueſtræ, qui magni philoſophi eſtis, magni patroni cauſarum, ſolent abundare: neq; enim uos puto exiſtimare Lycum quærere, quanto ſit terra ſol amplior, aut quem, heſternis iudicijs XL uirum ſententiæ condemnarint: ſed tamen garritur aliquid, quod interdum rideamus. Quod ſi me meus Hercules inuiſerit, quem quidem nondum etiam uidi: in maximũ enim, quaſi concurſum occupationũm eius, meus aduentus incidit, quibus adhuc explicare ſe nõ potuit: Quanquam qui illinc ueniunt, aiunt eum, ſingulis horis affuturum, & ipſe etiam mihi ſcripſit: ſed ſi nos ille aliquando inuiſet, quis me erit fortunatior? uos ne, qui togati in foro deambulatis? Cum hæc ſcriberem, puer ad me de bibliotheca uenit, nuntians mures ex Ariſtotelis libris, fibulas, indicesq; abroſiſſe ijs, quos ille περὶ ζώων ſcripſerit. Quæſiui num aliorum? negauit ille. Nunc ego te appello Quirine, qui tot milia προβλημάτων Romæ, qui omnibus poſcentibus, nota cætera, ut mihi reſpondeas, ecquid ſit, quod minus ab illo recte, de

animalibus

animalibus traditum, nunc ij mures, tanquam uindicaturi, ad librum acceſſerint: dicunt enim ualde quidem, multa diſpicere quoddam eorum genus. Sed mehercules extra iocum, quoniam mures mirifice me infeſtant; alterum mihi, de tuis Felibus *Aegyptiacis, uelim mittas: modo ne illi, tam amentur a tuis mulieribus, ut neutro carere, æquo animo poſſint. nihil enim illis inuitis, aut etiam nõ libentibus poſtulo.* Noui *quàm multa eiuſcemodi, eſſe in delicijs interdum etiam uirorum ſoleant, nedum ſint mulierum.* Fratribus *ueſtris, & matribus, &* Valerio *phiſico, ſalutem dicite meis uerbis; ad meq́; litteras mittite quàm ſæpiſſime.* Valete.

Prid. kalen. Nouemb. MDII. De *Strotiano.*

ROMAM.

P. B. *Bartholomeo* Comino S. P. D.

MIHI *uero,* Comine, *primum quidem eſt gratum, quod de* Bembo *patre meo, deq́; uniuerſa noſtra familia, tam honeſte, tamq́; honifice, & loquaris, & ſentias.* Nam *quod te ſcribis, in me colendo, uehementer eſſe incitatum, propter meas ipſius uirtutes, easq́; extollis ſummis laudibus: equidem, facile patior laudari me abs te: uideo enim in tuis uerbis, faciem honeſtiſſimam uoluntatis erga me tuæ.* Deinde, *quod me rogas, ut in ſcribæ demortui ſubrogatione promulganda per decemuiros, commendem te patri meo; quia eram in* Noniano,

ſcripſi ei hac de re quàm potui diligentiſsime; miſiq́; illi tuam epiſtolam, cum meis litteris. Nam *quod erat eleganter ſcripta; ſperabam illum, cum eam legiſſet, tuam cauſam multo libentius ſuſcepturum. Quanquam, tu quidem certe, mea commendatione non egebas; ſi modo te illi (ut ſcribis) antea per litteras, commendauerat Stella tuus: quem uirũ quantum amet pater; eris iam tu quidem optimus teſtis: nam quicquid is egerit tua in re, caue putes, id Stellæ cauſa minus illum feciſſe, quàm mea. Sed tamen quoquo modo ſe res habet; ſi ita cadent iſta, quemadmodum uolumus; aliquid me aſſequutum exiſtimabo, cum te uidero, ea quæ poſtulas, conſequutum: ſin aliter euenerit; tu tamen ita te aſſequutum eſſe aliquid poteris exiſtimare (ſi modo id erit aliquid) ut ſi tibi unquã in poſterũ, conferre quicquã poterit noſtra familia, uel commodi uel dignitatis; nihil ſis amplius, uel a patre meo per internuntios, uel a me tam multis uerbis, petiturus magis, ac ſi tibi ego eſſem familiariſsimus, & tu mihi: qua quidem in re, tibi omnem meam operam, ſtudium, laborem, eo etiam libentius ſpondeo; quod me ita intelligo, Antonio Tinto agnato tuo, qui mihi tuas litteras reddidit, plurimum ſatisfacturum. Vale.*

Quinto kalen. Iun. M D. De Noniano.

Ferrariam

FERRARIAM.

P. B. Herculi Strotio S. P. D.

ROGARVNT *me quidam mei, qui ſcirent, me abs te amari, & quidem multis precibus; ut peterem abs te, ut mihi canem aliquem iſtinc mitteres, ad aues capiendas idoneum, & bonarum narium; & dignum, qui a te proficiſceretur.* Ego *autem, qui negare illis nihil poſſum magis, quàm tibi poſſem, ſi me rogares;* Peto *abs te, ut eis ſatisfacias meo rogatu; mittasq́; mihi, de tuo canum grege, aliquem quàm optimum, & quàm primum potes.* Erit *id mihi ſane gratiſsimum.* Patri *tuo, uiro ampliſsimo, & fratribus ſalutem plurimam dicito meis uerbis, & noſtro* Leoniceno. Vale. Prid. Non. Iul. M D Venetijs.

FERRARIAM.

P. B. Herculi Strotio S. P. D.

VENI *in* Recanum *tuum quarto idus octobris: ubi, cum poſtridie eius diei quieuiſſem, & mihi nuntiatum eſſet, te, in illis piſcinis tuis, inter* Melicertas Cymaclianos*, piſcatoriam exercere; traieci pridie idus in Strotianum.* Itaque *tuo uillico* Ferrariam *proficiſcenti, meisq́; pueris, qui cum libris nauicula circũuehebantur, nihil ad te litterarum dedi: quod pol non feciſſem; ſi te iſtic eſſe intellexiſſem.* Nunc *autem & ſi tui exiſtiment, te, quin hodie nos inuiſas,*

inuiſas, non commiſſurum: hæc ſcripſi tibi; ut ſi non uenires, tamē ſcires te a me quàm primum (quod tuo commodo fiat) uehementer expectari; interea uero me ita tractari a tuis, ut nihil mihi deſit præter te ſi uenires; quoniam lutoſa uia, libenter ædibus me cōtineo; epiſtola tibi obuiam fieret. Cæterum Quirinus, & Gabrieles mei te ſalutant, compaterq́; noſter Valerius. *Reliqua cum una erimus. Vale. Sextodecimo kalen.* Nouemb. M.D.I I. *De Strotiano tuo.*

FERRARIAM.

P. B. *Herculi Strotio* S. P. D.

COENANTI *mihi heri, cum fratre tuo, redditæ ſunt abs te litteræ, perbreues illæ quidem; uti cum hominis occupatiſſimi, tum cui nihil eſſet fere quod ſcriberes, præter ſalutem.* Scripſiſti *tamen, atq; ita ſcripſiſti, ut amore erga me tuò, tuáq; beniuolentia, pagella ipſa etiam redundaret.* Itaq;, *ualde te amo; quod des operam, ut eſſe me tibi quā chariſſimum, non factis tantum omnibus, atq; dictis tuis, ſed etiam ſingulis codicillis intelligam.* Quod *ſcribis, expectatum me ad prandium a* Neæræis, *ualde miror; qui neq; ad cœnam quidem cogitarim: nam ſtatui nihil mihi cum urbanis: uolo enim, & quidem magna perſeuerantia, ruſticari.* De Brandini *carcere,* Lycus, *eſſe te auctore factum nihil, mihi retulit ſciſſe ſe: & ipſe nūquam exiſtimauiſſem.* Sed

nihil

nihil te puto feciſſe temere. Ego *cum tibi iſtinc euolare, per negotia tua, licuerit; te expecto.* Vale. XIII *kalen.* Nouemb. MDII. De *Strotiano tuo.*

FERRARIAM.

P. B. *Herculi Strotio* S. P. D.

CYMACLIENSES *tui; qui heri, quo die omnino nauigatio non fuit, perincommode redierũt ad nos; nunc ad te proficiſcuntur, nimis cito quidem. Quanquam tu in culpa es, qui illos urges cœnis tuis: quibus, quoniam tibi receperant ſe interfuturos; adduci non poſſunt, ut nobiſcum maneant hoc biduum: quod tamen erat ferendum; ſi* Lucretia, *quæ pullata, cœnis non interer it, ipſa manſiſſet: et ego illi omnes delicias feciſſem: quis enim non faceret tam bellæ fœminæ, tam eleganti, tam nihil ſuperſtitioſæ? ſed me omnia fefellerunt.* Et *quoniam erat diſceſſura, eos illi uerſiculos dedi, quos tibi recitaueram: eos tu* Piſtophilo, *ſi uidebitur, oſtẽdes: qui mihi uelim orationem ſuam mittat; quam pollicitus eſt ſe miſſurum.* Herculem Areſtinum *ualde amo: nihil uidi unquam illo iuuene probius, nihil humanius.* Quid? *quæris, mirifice ſum eo delectatus.* Cupiebam *plura: ſed luceſcit: urget turba:* Lecticarij *approperant.* Ripæ *igitur &* Teßiræ *ſalutẽ.* Vale. XVI *kalen.*Decemb. MDII. De *Strotiano tuo.*

Ferrariam.

FERRARIAM.
P. B. Herculi Strotio S. P. D.

VERSICVLOS; *quos ideo tibi ſcripſeram dediſſe me* Lucretiæ *uenienti ad te, quia cum illis ipſis litteris eram daturus; quas heri ad te conſcripſeram; quoniam mihi nõ probabantur, diſcerpſi ante quàm darem, inter illius manus, cum à me auferre pagellã, mira pertinatia conaretur.* Et *tamen, ei epiſtolam dedi, diſcedenti iam; ut adſcribi nihil potuerit.* Nunc *tibi eos mitto immutatos quidem, duobus locis; quàm apte, ipſi uiderint: ego, dummodo illi plane non diſpliceant, nihil laboro. eos tu dabis mulieri per tete; uel, ſi id malueris, per internuntium. nolo poſtea me incuſes, id à me tibi negotij datum, quod inuitus facias.* Sed *omnino extra iocum, ſaluere illam iubeo multum, una cum* Clymene *ſua.* Tu; *ſi quid erit mulieribus opportunum; e mea domo ſumant, facito: nihil mihi eſſe poterit gratius.* Audio *enim illas eſſe* Venetijs, *plures dies commoraturas.* Ego *adhuc pendeo animi de illo, cum ad nos, tum à nobis, tam præcipiti, támque incommodo itinere tuo.* Sed *ut ut ſe res habet; per fortunas caue, ne itiones illiumodi crebro ſuſcipias; ne ue te ita temere ne terræ quidem cõmittas, nedum cœlo ac mari.* Itaque *ſi me amas, fac ut quàm primum ſciam, quàm idonea tempeſtate fueris uſus: tum ſi id (quod ſpero) ita eſt, ut uolumus; de.*

cœnis tuis ſcribe aliquid ad me; uel potius manda ut ſcribatur: neque enim temere in illis bilaritatibus tuis, & iocis, & feſtiuiſsimis commorationibus ut te ad chartam & atramentum referas, eſt petendum: nec me hercule peterem, etiam ſi non eſſes occupatus: habes enim tu quidem ſemper, quibus in rebus, calamo utare, multo maiore fœnore; quàm cum nobis tuis familiaribus ſcriptitas; Apollinem *uidelicet, atque* Muſas *tuas. Sed ſi quid erit eiuſmodi, ut id non ſit librario committendum (quanquã quidem quid poteſt accidere tam myſticum; quod tu committere non audeas tuis?) Sed ſi quid forte erit tale; de eo ipſe ad me ut ſcribas, poſtulo.* Ego die*bus ſingulis quicquid egero, quicquid ſcripſero; cogitationes etiam ipſas meas ad te mittam.* Nicolaum Leonicenum *doctorem meum plurima ſalute uelim impertias.* Vale. XV *kalen.*Decembr. MDII. De *Strotiano.*

FERRARIAM.

P. B. Herculi *Strotio* S. P. D.

SCRIPSERAM *heri ad te peruesperi; cum mihi in atrium deſcendenti, litteræ abs te perferũtur illæ ipſæ* Lucretianæ*; de quibus tecum agebam ijs in litteris, quas dico me ſcripſiſſe.* At *iſtis* Dij *malefaciant, qui tam negligenter litteras perferunt.* Hui *tam bella epiſtola me caruiſſe tam diu?* Nolo *enim exiſtimes latuiſſe me, titulum litterarum*

eſſe

eſſe Lucretiæ manu. Sed heus tu, cur mihi ea de re nihil ſcribis? an te aliqua pupugit ζηλοτυπία? Voluiſti ſcilicet efficere, homo mirus, ſilentio, et taciturnitate, ne nos tantum gaudium gauderemus. Sed quis tibi ego uideor? Mihi enim ſtatim ſuboluit id, quod erat. O mi Stroti, tibi ne etiam illam litteras inſcribere? Itaque, quin tibi ſubinuideam, facere nõ poſſum: iamq; illa ipſa tãgor ζηλοτυπία, qua te criminor. Tuum autem conſpectum ſæpe ante oculos mihi propono; teq; Herculem uideor, quaſi Iolæ adſidentem uidere. Quæ cum cogito; hæc demum, quibus abundo, quæq; tibi ſæpenumero extuli miris laudibus, uilia uideri mihi omnia, ingrataq; incipiunt, otium, rus, uilla, litteræ ipſæ noſtræ, atque Muſæ. Quid multa? mihi ipſe diſpliceo; qui nõ adſim: atque ita diſpliceo; ut tu nunc demum mihi ſapere uideare; qui ea neglexeris, quæ tantummodo ignauiam præ ſe ferunt; illa cures, quibus aſſequendis, animi corporiſq; acies, & robur exerceatur. Nam quanti illud eſt; quod ſcribis te, de Veneris puero talos iacere didiciſſe? peream ni id malim, quàm Homericam ſcientiam, uel ſi uis etiam Ariſtotelicam. Luderem pluribus; niſi me interpellarent ij, quibus ego has litteras eram daturus: qui iam, ut audio, ſunt in equis. Vale.

Octauo kalen. Maias MDIII. De Strotiano tuo.

FERRARIAM.
P. B. Herculi Strotio S. P. D.

ELEGOS *ad* Borgi*am meos, quibus in locis* T*hebaldeo non probabantur, immutatos tibi remitto*. T*u illi, atque* T*eſſiræ oſtendes*. E*quidem in his concludendis feci idem, quod nautæ ſolent; qui tẽpeſtate coacti, non eum portum capiunt, quem petunt; ſed ad illum, qui proximus eſt, ſæpiſſime deferuntur: ſic ego indigentia ſententiarum compellente, qui mihi exitus ſeſe obtulit prior, ad eum delatus, finem uerſiculis dedi*. P*eto a te; ut ſi ne nunc quidem erit, cur placeant; uel perpolias ipſe, atque aliquid de tua odoramentorum theca promas, quod oleant, ut placere poßint; uel igni des, ne ſæpius uobis inepte negotium exhibeant*. O*mnino de tota re quid ſentiatis, cupio ſcire: idq́; ut ſciam; ſi me diligis, curabis*. V*ale*. V *kalen.*S*eptemb.* MDIII. D*e* S*trotiano tuo*.

FERRARIAM.
P. B. Herculi Strotio S. P. D.

AVIAS *ambas meas, effœtas, delporatasq́; fœminas, & iam prope centum annorum mulieres, mihi fata reliquerunt:* V*nicum fratrem meum, iuuenem, ac florentem abſtulerunt, ſpem, & ſolatia mea*. Q*uamobrem, quo in mœrore ſim, ipſe facile potes*

potes exiſtimare. Reliqua *ex meis intelliges*. Heu *me miſerum*. Vale. Id. Ian. MDIIII. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Marino Georgio Legato S. P. D.

DIV *eſt cum tibi ego debere plurimum cupio; debeo autem multum; uel, quia tibi patria debet ipſa; cui omnes debemus: uel, quod ea tua doctrina eſt, ij mores; ut tibi quis non debeat? Sed tibi ego præter hæc, debere cupio plurimum*. Itaque *commendo tibi Gregorium Sacerdotem, doctum hominem, & plane frugi; qui tibi a me has litteras reddidit*. Is; *ſi egebit auxilio tuo; & tu illi faueris: erit mihi pergratum; & tibi eo nomine plurimum, ut dixi, debebo*. Vale. Quarto *kalen*. Dec. MD. Venetijs.

VENETIAS.

P. B. Io. Franciſco Benedicto S. P. D.

INDICEM *librorum, quem petieram; & epiſtolam perelegantem tuam, qua nihil te onerabam; eodem tempore accepi*. Itaque *ualde te amo; quod officium mihi tuum, eſſe mea petitione cumulatius uoluiſti*. Quod *ſcribis patrem meum auctorem extitiſſe, ut in ſenatum accerſereris; agisq; propterea, & mihi, & illis gratias*; Eſt *id quidẽ utri-*

que noſtrum gratum. Vale. Quarto kalen. Mart. M D I. E Noniano.

ROMAM.

P. B. Phædræ Volaterrano S. P. D.

TERENTIANVM librum, quem tibi pollicitus fueram me miſſurum, Petro bibliopolæ, neceſſario tuo, ad te perferendum dedi cum his litteris, ex illo perantiquo meo deſcriptum me hercule diligenter. Equidem ſtatueram, cum primum domũ ueniſſem, dare operam ut deſcriberetur, tibiq; mitteretur. Sed quia is, cum reliqua mea bibliotheca, erat in Noniano; dum ipſe illuc quotidie cogito; partim amicis me, partim negotijs remorantibus, fere tres menſes abiere. Quare ſi in eo mittendo lentior tibi uiſus ſum, quàm tua maxima in me, ſuauiſſimaq; officia poſtulabant; caue tu id languenti, & quaſi refrigeſcenti uoluntati meæ tribuas: qua mediusfidius nihil eſt ardentius, poſtquàm flagrare ſemel cœpit, tuis plurimis, maximiſq; uirtutibus inflammata. Nos item abs te Plautinum librum expectamus, in quo quidem, ſi tibi uidebimur fœnerari, tanquam χρύσεα ἀντὶ χαλκείων, illud mi Phædra cogitabis, decere te, plura dare in litteris, quàm exigere, uel Romanum hominem, uel rei litterariæ plane principem. Sed hæc hactenus. Nos quidem de te, deq; alumnis illis lepidiſſimis tuis, de ueſtra omnium erga nos humanitate, liberalitate, comitate, neque

te, neque deſtitimus prædicare multa; neque deſiſtemus. Itaque, nemo in hac urbe, bonas litteras amat; qui te, atque illos non amet; quique neſciat, quibus ſtudijs nos, quóue honoris genere, eſtis abeuntes proſequuti. Reliquum eſt, ut te orem, des aliquando aliquid ad nos litterarum; & cum Iacobum Gallum τὸν μοίσαις φίλον ἄνδρα, deq́; nobis optime meritum, tum Camillum Portium, & Magdalenum, & Laurentium, reliquosq́;, quos me uelle ſcis, ſaluere iubeas meis, & Quirini mei, & Valerij Phiſici uerbis; atque in primis, Iacobũ Sadoletum Mutinenſem; cui etiam dices, auere me eius litteras legere. Ego tibi Aldi Romani negotia ita cõmendo; ut maiore ſtudio, diligentiaq́; nõ poßim. Huic homini, & Græcæ, & Latinæ litteræ plurimũ debent: quod te ſcire exiſtimo. Eſt præter litteras etiam frugi, & mihi amicus, tuiq́; cupidißimus. Vale. XVII kalen. Octob. MDII. Venetijs.

FERRARIAM.

P. B. Ludouico Teßiræ S. P. D.

DE EO, quod conſtitueramus inter nos, nihil eſt mi Teßira, quod labores. Pituita enim me peratrox inuaſit: & nunc quidem hæc ipſa uix, ægreq́; ad te ſcribo; nedum aëris malignitatem, & uiæ lutoſißimæ incommoda ferre ſine detrimento poßim. Itaque me nõ expectabis: nam ſtatui ædibus ne pedem quidem efferre, quoad me confirmem. Tu, ſi

recte tibi eſt; & tuam, & meam uicẽ ſuſtine: &, cum maximam uoluptatem perceperis ex illis cœnis; ſcribe aliquid ad me: neque enim puto lætius, atq; hilarius illud conuiuium fuiſſe; quod in Vlißis *aduentu, ait* Homerus, *ab* Alcinoo *rege fuiſſe celebratum; quàm iſtud erit.* Græcum *librum; quem cum his litteris accepiſti,* Nicolao Leoniceno *curabis perferendum.* Vale. V Id. Ian. MDIII.
E *Strotiano.*

ROMAM.

P. B. Iacobo *Sadoleto* S. P. D.

EGO *uero perlectis litteris tuis; quibus tu deſiderium, uel potius auiditatem meam legendi, iam aliquid abs te cumulate, atque amantiſsime leniſti; etiam effigiem amoris erga me tui, omnibus prorſus officij, beneuolentiæ, humanitatis, pietatis luminibus expreſſam, ac perpolitam, in illis agnoſcens, non ſum admiratus.* Nihil *enim mihi magis exploratum eſt, quàm me abs te amari, uel, antiquam illam noſtram conſuetudinem, ac pene conuictum, cum* Ferrariæ Leonicenum *audiebamus; uel, poſtremo cum* Romam *ueniſſem, recens tuum in me, atque meis ornandis ſtudium, diligẽtiamq; repetenti: quod quidem ipſum ſedulo facio;* Itaque, *ſi mihi unquam eius rei occaſio dabitur (quæ profecto dabitur) efficiam ſane; ut quoniam, quanti ego ſemper fecerim perſpicaciſsimum illud ingenij tui acumen,*

men, ad omnes bonas artes capeſcendas, quibus te a puero tradidiſti, cum per ſeſe, tum uſu atq; exercitatione incitatiſsimum, coniunctum cum ſuauiſsimis moribus, admirabiliq; lenitate uitæ, ipſe perſpicere potuiſti; etiam quantum tibi debere me exiſtimem, aliquando cognoſcas; uel potius, ut omnes homines utrunq;, & te mihi eſſe chariſsimum, propter egregias uirtutes tuas, & propter ea, quæ dixi, officia me tibi eſſe deuinctiſsimum intelligant. Nunc *uenio ad reliquas partes epiſtolæ tuæ.* De *ualetudine tua, gratulor conualuiſſe te, diuturna præſertim ac graui: ſic enim exiſtimabam coniectura utens, te, niſi tibi recte eſſet, tam bellam epiſtolam conſcribere nõ potuiſſe.* Nam *tu quidem nobis, præter diſcrimen; in quod, te ais uexatum diebus circiter nonaginta, pene extremum perductum; nihil ſcribis.* Caue *autem exiſtimes quenquam te habere; cui tua ſalus charior ſit, quàm mihi: quibus æque chara ſit; fortaſſe habes nõ multos, atque illos quidem uel fratres, uel parentes tuos: cæteros omnes ſi a me in te amando plane uinci ſuperariq; dixero, fortaſſe non mentiar.* Quod *epiſtolam meam miſſam ad* Phædrum *laudas, teq; ipſum inopem nuncupas ab argumentis epiſtolarum; facis tu quidem in altero amoris abundantia, in altero humanitatis.* Sed *omnino neque clam me eſt, quàm tu abundans, quàm fluens, quàm elegans in ſcribendo ſis: neque ſi quid interdum nos fortaſſe non inepte ſcribimus; id, qualecunque eſt, (ſi modo eſt aliquid) ignora-*

re te exiſtimo. Phædrus autem, ad meas ad ſe litteras, adhuc nihil mihi reſcripſit: quod ſi propterea differt, quia illi potior cura uideatur eſſe, Plautinas nobis fabulas, quas ab illo isdem litteris petebamus, ex perantiquo illo ſuo, quem uidi, libro deſcribendi, & corrigendi; equidem minus laboro. Sed illi, uolo te meis uerbis dicere; in eo, nihil agat ſuo incommodo; nihil feſtinet: ſciſſe me cum peterem, ab homine occupatiſſimo petere rem, multæ curæ, multiq; temporis. Sin autem alia cauſa eſt; tu mihi uelim perſcribas: Et quoniam ſtatui æſtatem hanc omnem in Herculis mei Strotiano conficere; quo ueni, ut ſolitudine, quæ me interdum ſummopere delectat, ſolutiore animo fruerer, omneq; hoc, communibus noſtris ſtudijs tempus impenderem; te rogo, ut quotiens litteras domum mittes ad tuos, des etiam illis ad me, ſemper aliquid perferendum litterarum: ſic enim mihi rectius perferetur: nam ab illis minus longe abſum, quàm a meis. Quod ſi feceris; profecto nunquàm mihi unas litteras miſeris, quin tibi alteras remittam. Iacobum Gallum plurima ſalute imperties meis uerbis: eiq; dices, ut quàm mihi fidem præſenti dederit, quæ ipſe carmina ex Aſulanis meis deſcripſerat, apud ſe retinendi; eam præſtet etiam abſenti: ualde enim immutata ſunt poſt id tempus, quo illi eos libros dedimus, te quidem internuntio perlegendos. Quàm ob rem, maior tibi etiam adhibenda cura eſt, ne exeant; qui mihi pro illo ſpopondiſti. Vincentio

Quirino,

Quirino; & Angelo Gabrieli; & Valerio phiſico mittam tuarum litterarum exemplum; quibus quidem ipſis, tarde ad nos (ut uides) propter noſtrum diſceſſum perlatis, tarde reſpondimus. Cura ut ualeas. VI *kalen. Apr.* MDIII. E *Strotiano.*

ROMAM.

P. B. Iacobo *Sadoleto* S. P. D.

PRIMVM *quidem*, Iacobum Gallum *mortem obijſſe, quod ſcribis; doleo, probum hominem, & doctorum uirorum cupidiſsimum, & amantiſsimum tui, & cui ego multum debebam*. Itaque, *tuæ mihi litteræ lachrymas excuſſerunt; neque ſolum lachrymas, ſed elegiolam etiam*. Non *enim potui cōtinere me, ne quid mandarem carminibus, in tanto mœrore. Quàm quidem ad te mitto*. Tu, *ſi uidebitur, & quibus uidebitur, oſtendes*. Deinde *tuum, de tribus meis, Aſulanarum quæſtionum, ſermone uernaculo conſcriptis libris iudicium, mihi ualde gratum eſt. modo ne tu ad indulgentiam pronior fueris amore; qui multum ſæpe fallit: quo me ſemper es proſequutus. Sed omnino Sadolete, ſiue tu amāter; hoc eſt indulgenter noſtra iudicas; ſiue, ut alia ſoles, diligenter: tua iſta, de illis libris, ſententiæ ſignificatio mihi gratiſsima eſt*. Poſtremo *autē, quod petijſti, ut memoriam ueſtræ coniunctionis, apud* Valerium *phiſicum reuocarē: ea re nihil opus fuit, ipſe enim ualde te diligit; honorificeq; de te, & ſentit, &*

tit, & loquitur. Quærit etiam crebro de me, ecquid abs te habeam litterarum. Mirifice enim delectatur tuis litteris. Ab eo igitur tibi multam ſalutē. Reſcripſi epiſtolæ tuæ ſeptimo kalē. Octob. datæ. Sed heus tu, cur mihi adhuc eos tuos uerſiculos non miſiſti, quos pollicitus es te miſſurum? An quia ſponſorem eius rei non habeo, nihil penſi tuam fidem facis? Vide quid agas. Nam ſi te in ius uocauero, duplum petam. Domus te tota noſtra ſalutat, in primisq́; Bembus pater: cui quidem ualde es in oculis. Vale. kalen. Octobribus MDV. *Venetijs.*

ROMAM.

P. B. *Iacobo Sadoleto* S. P. D.

ACCIPIO *excuſationem tuam, de intermiſsione litterarum: non tam quidem neceſſariam; quàm & prudenter, amiciſsimeq́; ſcriptam, & mihi magnopere iocundam, & gratam. Nam neque ego eram neſcius, in uera, & recte ab initio conſtituta, & plurimis, maximisq́; officijs confirmata; ac iam inueterata beneuolentia (qualem eſſe noſtram, fere poſſumus dicere) non multum requiri; quantum quisque calamo, & papiro utatur: neque tu is eras; a quo, creberrimæ litterarum miſsiones expectarentur: cum, quia ipſe otio non abundas; quem quidem ſcio, omne tuum tempus in optimarū artium ſtudijs inſumere, etiam non ſine incommodo ualetudinis tuæ; tum propterea, quod ij, qui te amant,*

mant, propter morum tuorum elegantiam, præſtantiſſimasq; uirtutes, atque doctrinam, ſatis uberem ſe ex te capere fructum debent exiſtimare, abs te ſi amantur; eosq; tu, item grata, atque mutua animi charitate proſequare. Itaque, *tibi quidē neceſſe non multum fuit, plurimas te afferre cauſas, cur ad me non ſæpiſſime ſcripſeris. Sed quoniam dū eas colligis, de tuo erga me amore, omnibus reliquis officiorum generibus culto a te ſemper diligentiſſime, multa, & grauiter, & amanter diſputas; non modo non moleſte tuli, in quo te nihil reprehēdebam ipſe, tamē excuſari abs te factum tuum; ſed plane etiam, ea commemoratione tuæ in nos uoluntatis, tam alte abs te, tamq; religioſe repetita, uehementer ſum delectatus.* Nam *cum in omnium hominum, præſertimq; litteratorum beneuolentia libentiſſime conquieſco: tum certe in tua (ita me* Dij *ament) ſic uiuo; ut quaſi aëre ad reſpirandum, ſic eius memoria quotidie utar.* Quare *ſcito, illa ipſa parte tuarum litterarum (dicendum eſt enim ſæpius) nihil mihi eſſe potuiſſe iocundius.* Nam *quod attinet ad eam partem, in qua me miris laudibus ad cœlum fers; uideo te tanquàm* Zeuſim*; qui in depingenda* Crotoniatis Helena*, multarum uirginum pulchritudinem, in illam ſuam imaginem tranſtulit; ſic innumeras uirtutes, quas fortaſſe, ſingulas in aliquibus agnoſcis uiris, undecunque mutuatum mihi uni tribuiſſe; ut me ornares.* Qua *in re utinam uel te, tuus erga me amor ſummus nō fefelliſſet; uel,*

cæteri

cæteri omnes ita ſe decipi facile ſinerent, ut tu es deceptus: in altero, nihil tibi ſuſtinendum eſſet; in altero nihil mihi. Nunc *autem, tibi quidem, uel iudicij, uel etiam conſtantiæ tuæ cauſa, ut me perpetuo exornes, uidendum curandumq́; eſt: mihi uero dignitatis meæ, ut facere id poßis, elaborandum.* Vtrū *præſtare maius, difficiliusq́; ſit; nemo facile dixerit:* Ego *tamen, quod erit facillimum, ſi quiſpiam tuo teſtimonio deceptus, me appellabit; ad te reijciam: tu; ſi tibi abiurare ſatius non fuerit; pro me depēdes.* De Galli *tumulo quod ais; hui, an non tibi ſatis ineptiarum, in elegiola illa noſtra; qui me etiam ad epitaphium uocas? Sed omnino tibi morem geßimus.* Itaque *rem exametris quinque confeci: qui ſi tibi fortaſſe, plures etiam, quàm opus erit, uidebuntur; reſecare eos poteris, nullo negotio, duobus reiectis prioribus: ſi mali; pagellā concerpito.* Camillo Portio; *quem, de me ſcribis, publice uerba, in illa ſua funebri laudatione, feciſſe; multa cū mea laude, ac dignitate; quibus uerbis gratias agam, nō reperio: ita me illi plus debere ſentio; quàm quod declarare ſermone ullo poßim.* Tu; *qui omnem dicendi artem mirabiliter tenes; promito, ſi me amas, de tua illa uberrima, ſuauißimaq́; facundia, aliquod genus uerborum, ad hanc rem idoneum; eiq́;, pro me, gratias quàm potes maximas, & quàm ampliſſimas agito.* Quod *ſi etiam, eius orationis exemplū, ad nos miſeris; tibi omnia ſecundum illum debebo.* De Laochoonte, *legi centies carmen tuum.* O *te poëtam mi-*

tam mirificum; ita non modo eius ſigni nobis quaſi aliud ſimulachrum effinxiſti; ſed plane etiam ſignũ ipſum prorſus in animo inſculpſiſti meo. Quid? quæris. Equidem cum Beroaldo ualde ſentio: non iam enim Romam cogito, ut Laochoontem uideam; cũ habeam tuos uerſus. Sed heus tu, parúmne tibi uidebaris effeciſſe; qui oratoriam nobis omnibus, quaſi de manu eripueris, teq́; eius diſciplinæ principem feceris: niſi etiam poëticen eripias, præ teq́; unum feras? o profundam ingluuiem gloriæ. Sed me hercules, omißis iocis, non poſſum dicere, quantum me illa carmina delectarint. Nolo me tibi aſſentari exiſtimes, ſi utar uerbis tuis: ſed profecto ſic eſt: eo te carmine ſpem, atque expectationem eorum omnium, qui te in oculis ferunt, uiciſſe, longeq́; reliquiſſe: puto etiam, quemadmodum a Cicerone Græcos homines, ſcriptis commentariolis eius conſulatus, ſic poëtas reliquos, a ſcribendo eo de ſigno deterritos, iſtis exametris tuis. Salutaui tuis uerbis quos iußiſti. Tu item & ipſorum, & meis ſalutem dices eis omnibus; quos me uelle, atque illos ſcis, tibiq́; in primis. Quanquàm quidem, & tibi, & Cetrario etiam inſonuiſſe aureis debuerunt; ita uterque nuper, ſingulis fere horis, in ſermone Phriſii, & noſtro: qui plane Phriſius, quando eſſet ad uos uenturus, cum ab eo diſceßi, ſatis exploratum non habebat; ſed ſperabat propediem. Ego uero ſerius ad tuas litteras reſpondi; quoniam in Gallia Ciſalpina abfui, uiginti totos dies. Vale.

Tertio

Tertio nonas Maias M D V I. *Venetijs.*

CARPENTORACTE.
P. B. Iacobo *Sadoleto* S. P. D.

CVM Venetias, ad Binum tuum *ſcripſiſſem, ut ſi quid haberet abs te litterarum, me certiorem faceret de omni ſtatu tuo; expectaremq́; iam aliquid ab illo, & quidem auide: perdiu enim erat, cum nihil omnino de te, ad nos perferebatur: ecce mihi ab illo, tuas ad me ipſum litteras, quas prope ſum deoſculatus; ita mihi opportunæ uiſæ ſunt.* Nam *iocundæ tuæ, mihi quidem, ſemper ſunt litteræ; eoq́; nunc magis; quo, ut ſcribis, rarius id uterq́; noſtrum iam facit: ut uideamur litteras ſcribere prope intermiſiſſe. Sed cum tu eſſes* Romæ, *in maximarum rerum occupationibus; ipſe uero, interpellandum eſſe te meis litteris nõ putarem: ego & tu ſilentio uſi ſumus, diuturniore fortaſſe, quàm par erat: ſed id temporibus tribuendum fuit.* Nunc *uero; cum & tu otio abundes: quod tamen otium, non tu quidem plus optaſti ut tibi cõtingeret, quàm ego: & ipſe me huc contulerim, ut mihi liceret, meo iam arbitratu uiuere: erit noſtræ beneuolentiæ, ab adoleſcẽtia quidem mea, a tua uero, etiam pueritia conſtitutæ; ab utroq; autem, cultæ ſemper diligentiſsime; id curare atque efficere: ut ſi minus commode, ego ad te, tuq́; ad me uenire, propter locorum longinquitatem, poſſumus; deſideriũ oculorum, atq; aurium utriuſq; noſtrum, litteris dandis, con-*

dis, conſilijsq́; communicandis leniatur. Quod quoniam tu iam facis; non committam; ut, quod recte ab utroque noſtrum requiritur; a me uno prætermittatur. Sed uenio ad tuas litteras. Quod mihi gratias agis, propterea quia Binum *tuum, & libenter uiderim, & ei liberaliter ſim pollicitus: uideo te humanitate tua uti: qui mihi laudi eam rem uertis; quæ a me negligi ſine magna culpa non poterat. An ego tuum hominem, elapſum ex auariſsimorum, & crudeliſsimorum hoſtium manibus, fortunis omnibus ſpoliatum, probum ipſum iuuenem, ad me uenientem; non amanter exciperem? nō etiam meis opibus tuerer?* Vtinam *apud me eſſe uoluiſſet: non plus ei defuiſſem, quàm* Colæ *meo.* Idq́; *tu uelim ei ſcribas: mihi eum, rem gratiſsimam facturum; ſi meum ad conuictum ſe contulerit; meisq́; rebus omnibus ſic uſus fuerit, ut tuis. Quanquàm nunc quidem, mihi etiam gratior tuo teſtimonio eſt futurus: qui mihi illum utroque in genere ſcribendi laudas. Sed de* Bino *hactenus.* De *tuæ uitæ ratione quæ ſcribis, deq́; oppido iſto, a bellis omnibus uacuo; ea mihi ualde grata ſunt: ſperoq́; te cum tuo pacato animo, optimisq́; artibus dedito, tum loci ſecuritate perfruentē, præterita multorum annorum tempora, aliorū traducta arbitrio, breui, & legendo, & ſcribendo ſarciturum: quæq́; iam inſtituta habes ſcripta, commētationesq́;, eas, uel cum fœnore abſoluturū:* Hortenſiumq́; *in primis tuum: qui mihi liber, quantopere probaretur; ipſe ex me cognoſcere potuiſti, tum,*

cum Romæ poſtremo eſſem. Eum ualde cupio confe=ctum; & perpolitum habere. Idemq́; cupiunt mul=ti; quos, incenſos audio priorum eius libri partium lectione; ad reliqua cognoſcenda magnopere flagra=re. Nam, quod oſtendis uehementer perturbatum eſſe te; atq; angi, cum tuis ipſius incommodis, quæ plurima, atq; grauiſsima es perpeſſus; tum multo maxime reip. Romanæ calamitate, multorumq́; ami=corum tuorum interitu; neque poſſe, adhuc quidẽ, iſtum tibi dolorem exhauriri ullis doctrinæ præce=ptis, quæ abs te adhibeantur ad leuationem, & con=ſolationem: haud tu in eo, multo duriore es condi=tione, quàm nos ſumus. Amiſi enim ipſe quoq; mul=ta: atque in communi reip. naufragio, eam iacturam feci; quàm mihi, mediusfidius, repenſum iri nunquã puto: idq́; cum doleo: tum nullum fore tempus exi=ſtimo; quo mihi finem faciam, multorum mihi cha=riſsimorum acerbiſsimos caſus, et pulcherrimam, atq; ſanctiſsimam omnium noſtrum, uel potius omnium hominum altricem urbem, atque patriam elugendi: cuius ſolitudinem, uaſtitatem, interitum, quis tam ferus eſt, tamq́; ferreus; qui non defleat? Sed ſunt o=mnino eiuſmodi, uel luctus, uel mœroris, ſua quoti=die tempora: quæ cum ei cogitationi dedi: neque e=nim poſſum, quemadmodum neque tu potes, aliter facere: me tamen a legendo, uel ſcribendo non mul=tum abducunt. Quinetiam; credas mihi uelim; in eo plus nunc quidem aliquanto ſum, quã antea, pro=pterea; quod ea in re animus occupatior minus a do=

lore

lore conficitur. Itaque, a quibus antea uoluptatem tãtummodo capere ſolebam ſtudijs, litteriſq; noſtris; ab ijs nunc, etiam fructum capio maximum, doloris uidelicet, mei perfugium & auocationem. Quare & ſi tu is es; qui & propter prudentiam tuam, conſilijs aliorum non egeas, & propter doctrinam, & philoſophiæ ſtudia, alijs præcipere omnibus facile poßis: tamen uide; an ea tibi quoque res aliquid opis afferat: ut cum te in litteras abdideris, adſcribendumq; tranſtuleris; dupliciter tibi prodeſſe tuum ſtudium ſentias: & quia te a lamentationibus, atque angore animi auocet; & quod ea commẽtere, quibus pulcherrime nomẽ æternitati commendetur, & illuſtretur tuum. Sed de ijs etiam hactenus. Quod ſcribis; ſi qui fructus otij tui extabunt; de ijs omnibus meum iudicium fore: amo equidem amorem tuum: neque quicquàm mihi accidere poterit gratius; quàm te mihi lucubrationes tuas mittere; non tam quidem, ut earum iudex ſim: quid enim tu iudicio cuiuſquàm utare? quàm, ut ea uoluptate quàm celerrime perfruar, legendi tua. Ego autem ad te mittere eum librum cogitabam; quem de Vrbini Ducibus conſcripſeram: in quo tu tuas agis partes: noſti enim morem dialogorum: ut eum legeres; & ſi qua tibi non probarentur, uel emendares, corrigereſq; ipſe; uel mihi ſcriberes iudicium tuũ. Sed qui fieri poßit, in tanta Galliæ perturbatione, tam ſuſpectis itineribus, cum omnia multis in locis excutiantur, tuto ut liber ad te perferatur, plane non ui-

deo. Sed ſi erit opportunitas, mittetur. Naugerius *noſter, eſt apud* Carolum Imperatorem*, iam prope triennium, publicè illo miſſus.* Teupoli *fratres, bene rem ſuam gerunt: quorum alter, etiam publicam adminiſtrat, multa cum dignitate atque gratia.* De Nigro *habebis a* Bino *tuo.* Vale Decimo nono *kalen.*Ianuarias. M D X X V I I. Patauio.

Etiam, *quod pene præterieram,* Egidius Cardinalis *mihi diligenter mandauit, ut tibi ſalutem adſcriberem.* Is, *cum ſe* Patauium *hac æſtate contuliſſet; ex uehementi pituita in febrem incidit permoleſtam: quàm expellere, ut adhuc ſe res habet, non potuit.* Itaque *ſextum iam menſem illam fert, ægre ſane: ſed eſt ſpes eum conualiturum.*

CARPENTORACTE.

P. B. Iacobo Sadoleto, Epiſcopo Carpen*toractis* S. P. D.

NON *queo ſcribere, quantæ mihi uoluptati fuerint humaniſsimæ tuæ, ſuauiſsimæq; litteræ: quibus ad eas meas litteras reſpondiſti; quas ad te cum meis miſeram libris* Patauio. Multa *enim in epiſtolam conieciſti; quæ me ſingula, mirum in modum delectarunt:* Primum *uoluptatem; quàm te ais capere ex meis ſcriptis, non* Latinis *modo, ſed uernaculis etiam: quorum quidem ego ſcriptorum rationem omnem exiſtimabam tibi penitus non probari:* Deinde *memoriam, quàm te uideo non abieciſſe, noſtrorum*

ſtrorum ſtudiorum : cum adoleſcentes & amore bonarum artium, & ætatis ardore incenſi, nihil non aggrediebamur : Deinde *tui erga me amoris ſummi, atque incredibilis commemorationem, coniunctam cum grauiſſimo, atque conſtanti de me teſtimonio iudicij tui : qua nihil mihi eſſe potuit optatius :* Poſtremo, Pauli *fratris tui filij, cum mirificum in me colendo ſtudium; tum, magnos iam acceſſus ad bonas arteis : atque ad omnem imitationem tui : cuius etiam erant ad me ipſum litteræ; quæ tuæ quidem orationis ſuauitatem, elegantiamq́; redolerent; una cum tuis litteris.* O *aureum adoleſcentem : teq́; ; qui tam celeriter, tuorum in eo erudiendo laborum ſuſceptorum, fructus uberes, iocundiſſimosq́; percipis; plane felicem.* De *quo tibi equidem gratulor; eoq́; magis; quod ipſe in* Carolo *fratris mei filio; quem alueram, educaueramq́; pro meo,* Sacerdotio *etiam auxeram honeſtiſſimi prouentus; afflictior deſperatiorq́; ſum. Sed ut ad tuas redeam litteras; illud mihi etiam, & quidem omnium iocundiſſimum fuit; quod ſcribis conſilio profectionis tuæ, te in dies ſingulos magis magisq́; delectari; capereq́; ex otio* Gallico *fructum.* Cuius *rei teſtem locupletiſſimum mihi miſiſti librum tuum : quem auide ſane legi : uideoq́; te in ſacris etiam litteris excellere : quibus quidem litteris, propter* Romanos *labores tuos multorum annorum, ſatis impendere temporis nequiuiſti. Sed omnino tuum præſtans, & eximium, atque ad omnes capeſſendas bonas arteis, & diſciplinas mirificũ*

ingenium; quod alij longinquo uitæ ſpatio uix conſequuntur, ut ferendi ſint; ipſe in eo, breui, ut emineas, efficit. Itaque, nihil eſt tam egregium, atq; ſummum; quo te non poſſe progredi exiſtimem; ſi perges eius generis res tractare, ac ſcribere. Sed te malim, priore in palæſtra tua illa, ſcilicet, robuſtiore hilarioreq́; uerſari: ex qua minore cum labore tuo, ut mihi quidem uidetur, plus in te laudis & gloriæ redundabit. Quanquam, quid te, ad ullum genus horter ſtudiorum, atque ſcriptorum: cum uideam, eorum magnam partem, non tam noſtra ipſorum uoluntate, atque conſilio; quàm caſu etiam, & fortuna regi, atque adminiſtrari? Ego enim, qui profecto ad ſcribendam hiſtoriam, nunquã animum induxi meum; neque putabam poſſe accidere, ut in eam cogitationem me darem; nunc quidem, nihil prope aliud cogito noctes, ac dies; ut reip. ſatisfaciam: quæ me his proximis menſibus, propter Naugerij noſtri mortem, qui confecti nihil reliquit; x. uirum decreto, ad eam ſcriptionem ſibi aduocauit. Ei ego negare non ſum auſus. Itaque, totus in eo nunc quidem ſum, non ut conſcribam iam aliquid, mandemq́; litteris, quod in manus hominum ueniat: Sed, ut in rerum geſtarum ueritate indaganda, & cum temporum, tum locorũ, cæterarumq́; eius muneris partium, rationibus colligendis, meus omnis labor uerſetur. Id cum erimus conſequuti; tunc ad ſcribendum me conferam. Quod eo mihi erit difficilius; quod ad otium iam, & requietem me conuerteram

uerteram, annis animiſq; conſeneſcentibus. Quæ ſcripſi pluribus: ut nihil mearum, non modo rerum, ſed etiam cogitationum te lateret. Cæterum quod poſtulas, ut perſpiciam quorum fide, & opera noſtræ litteræ commeare commode poßint: Id optime fiet; ſi tu, quas ad me litteras deinceps dabis, eas ad Lazarum Bayſium, oratorem Regis Gallorum, Venetias mittes, hominem, & doctum, & perhumanum, & utriq; noſtrum amicum, etiam ſi tibi, minus fortaſſe eſt, adhuc quidem, cognitus. Hoc iã ipſum, quonam modo facere apte poßis, non eſt meum tibi præſcribere. Puto tamen te Lugduni habere amicũ aliquem, uel hoſpitẽ; qui tuas ad Oratorem litteras accipiat: in quibus, ſit faſciculus tuarum ad me ipſum litterarum. Is obſeruabit tabellarios regios huc uenientes: eſt enim in ipſa uia Lugdunum: eiſq; dabit. Ita belle negotium procedet. Peto autem abs te id, de quo tu me amantißime hortaris; ut in hac litterarum colloquutione, quæ nobis reliqua eſt, ne ceſſemus inter nos; amoremq; illum noſtrum, de quo ſuauißime commemoras, & beneuolentiam, qua coniuncti ab adoleſcentia fuimus; ſilentio deliteſcere ne ſinamus. In quo, ſi tibi forte hoc tempore, negligentior ſum uiſus: non committam poſtac, ut me reprehendere iure poßis. Flaminius Tomarotius quem ſaluere iußiſti, cum Romam, explicandæ rei familiaris ſuæ cauſa, reuertiſſet; magiſtratum, neſcio quem, a populo Romano, extra urbem, adeptus, in eo ſe exercet. Credo tamen il-

 lum ad

lum ad nos cogitare; ut in philoſophiæ, bonarumq́; artium ſtudijs, quibus ſe totum tradiderat, confirmare ſeſe poßit. Valet ingenio multum. Eſt etiam, ut adoleſcens, & prudens & grauis et plane bonus. Itaque, patrem omnibus numeris anteiſſe mihi quidem uidetur: amaturq́; a nobis in maiorem modũ. Cola meus, uel potius noſter, tibi gratias agit; quod de ſe tam honorifice ſentias. Ego quidem eo ſic utor; tanquàm oculis aut manibus: ſic hominem diligo; ut nihil mihi ſit in uita neque charius neque iocundius. Itaque uideor mihi rex eſſe, qui illum habeam; cum eius fidem atque in me amando conſtantiam; cum tuendis rebus meis diligentiam; cum uirtutem, ingenium, iudicium, ſtudia, litterasq́; ipſas caſtiores mundioresq́; intueor. Ab eo te ſaluere iubeo plurimum: itemq́; a Marco Antonio Michaële; qui te unum pluris facit, quàm omnes homines. Is eſt nũc quidem paterfamilias: habet enim & uxorem eleganti ſane forma, & liberos, remq́; ipſam familiarem ſatis amplam, atque commodam. de Hortenſio tuo ſi quid confeciſti, fac ut ſciam. Vale. Quartodecimo kalen. Febr. MDXXXI. Venetijs.

CARPENTORACTE.

P. B. Iacobo Sadoleto, epiſcopo Carpentoractis S. P. D.

CVM Franciſcus Audritius Auinionenſis ad me ueniſſet; dixiſſetq́; ſe domum proficiſci: mandatum autem

autem ſibi abs te fuiſſe; ut ante quàm Patauio diſcederet, me adiret; & ſiquid ei uellem ad te litterarum dare, ſe redditurum polliceretur: ſumpſi ſtatim calamum; ut ad tuas epiſtolas reſcriberem: quæ quidem erant duæ. Nam ad priorem illam; qua tu unis meis litteris, uernaculo ſermone ſcriptis, reſpõdiſti; quod reſcriberem, nihil erat, præter unum; amore illo tuo mirifico erga me; qui omnibus in epiſtolis tuis ſuauiſsime ſe oſtendit; me magnopere delectari. De quo tibi gratias agerem: niſi mallem referre te amando: aut ſi tu non idem fere de meo in te amore ad me ipſum ſcriberes. Quanquàm eſt & illud; quod te ſcire in primis uolo: Federicum epiſcopum Salernitanorum aduentum ad nos ſuum, de quo ad te ſcripſeram, in annum proximum reieciſſe: Quod, equidem ualde dolui. Reſpondebo igitur ad illas nouiſsimas duas tuarum epiſtolarũ; atq; ad antiquiorem quidem prius. Accipio excuſationem tuã, & cauſas; quibus te in illum hominem acerbius, in oratione tua inuectum oſtendis fuiſſe: quæ mihi quidem probantur. Quare quod addis, te in meam ſententiam tamen ueniſſe: agnoſco in eo humanitatem & facilitatem tuam. Liber quidem tuus; quem ad me Cardinalis Mantuanus miſit; adhuc apud me eſt: neq; remittam; niſi te ita uelle intellexero: ille enim nõ repoſcit: ut tibi integrum ſit demere de eo; ſi uolueris. Marcum Antoniũ Michaëlem, poſt eas tuas litteras, non uidi: audio autem ei recte eſſe. Quin etiam ædificat. Parat n. ſibi uillam amœno,

& ſalubri loco. Breui, ut uis, ſalutem ei dicam tuis uerbis: Venetias enim cogito: quo illum uenturum arbitror ante, quàm ego inde abeam. De Auila meo, gratiſsimum mihi quidem eſt, eum tibi illum uiſum eſſe, quẽ dicis: amo enim hominem: & facio, uti debeo, plurimi. Ille uero domum reuerſus, fratrem, fratriſq; uxorem; de qua nihil dum etiam eiuſmodi audierat; in anguſta repperit uitæ ſpe uerſari, morbo implicitos; cuius curatio nulla eſt. Illis mortuis, ad nos redire, quemadmodum ſtatuerat, minus poterit uir plane bonus, & ſuorum amantiſsimus. Reſpondi ad priorem epiſtolam tuam: nunc ad poſteriorem uenio. Capellus apud me maximas tibi gratias egit, non tam quidem, quod tua opera, ſuis in rebus uſus ſit: ſibi enim opus nõ fuiſſe: quã, quod ei liberaliter fueris pollicitus: quodq́; te ipſum, tuoſq́; omnes mea commẽdatione cũ beneuolos in ſeſe; tum ſingulari humanitate, atq; officio præditos & perornatos cognorit. Quod, quanquã mihi antiquiſsimum eſt rerum omnium: quid enim tam notum, atq; perſpectum habeo; quàm tuam in me, meoſq́; omnes uoluntatem, conſtantiam, fidẽ? Tamen ea; quæ ipſe de te prope a puero ſentio, cum amare inter nos cœpimus; prædicari etiam ab alijs incredibiliter me delectat. Es enim tu unus propemodum e multis, a fortuna mihi relictus, his miſeris perditiſsimiſq; tẽporibus: in cuius amore, atq; beneuolentia libentiſſime conquieſco: cum quo in otio, in negotio, complures annos coniunctiſsime, concordiſsimeq́; uixi:

cuius

cuius pene ſemper eadem ſtudia, quæ mihi ipſi fuerunt: ijdem mores; idem animus; idem, aut nõ multum differens uitæ curſus. Sed hæc, & alias utriq; ſæpe iam diximus; &, ut arbitror dicemus: Neque enim ſunt pœnitenda. Amaui te de celeritate eius ipſius epiſtolæ; quàm mihi Capellus reddidit manu tua ſcriptam: in quàm tamen, nihilo tu minus tuorum ſtudiorum rationem coniecciſti: te ſcilicet, in Pauli priore declaranda epiſtola occupatum nunc eſſe. De quo tibi etiam gratulor, propterea quod multi docti homines ei rei operam dant; ut librum illum interpretentur. Puto autem te præſtiturum, ut exſtet laboris tui fructus cum uberrimus cæterorum omnium, tum multo etiam ſuauißimus. Concurſus quidem certe, atq; celebritas ea legẽtium, cum erũt edita, tibi non deerit. Arripui autem libentißime; quod adſcripſiſti; eo opere confecto te ad Hortenſiũ tuum reuerſurum. Quod ut facias; neq; te ſinas, alijs inſtituendis operibus, ab iſto conſilio auocari; etiam atque etiam abs te peto. Incredibile eſt; quanta me cupiditas eum legendi librum, teneat. Quod ſi tanto locorum interuallo nõ diſiungeremur: dudum eſt, cum ad te ueniſſem; ut quicquid eius confectum eſt, inſpicerem. Itaq; ſi me amas, uel te ipſum potius; effice, ne eius abs te ſcriptionis abſolutio diutius protrahatur. Tibi nullam aliam uoluptatem reliquã eſſe, præter litterarum, ſtudiorumq; noſtrorũ, quod me certiorem facis; nihil miror. Ego enim, qui non nullis alijs uoluptatibus, quibus plærunque humanus animus

animus capitur, non omnino careo; quemadmodum neque te carere arbitrarer; ſi tu eas eſſe recipiendas putares: tamen nihil habeo; quod ſit cum illis ulla ex parte conferendum. Reliqua *enim omnia ſæpe ingrata nobis ſunt; illæ nunquàm: aliarumq; rerum uoluptatibus interdum quidem dolor, ſæpius autem labor coniunctus eſt: ſæpe ipſæ fruſtra cõquiruntur: ſæpe earum ſatietas nos tenet.* Legendi *autem, & ſcribendi delectatio, ſemper innocua, ſemper præſto eſt: nulla unquàm ſatietas eam ſequitur.* Itaque *te uel propterea beatum exiſtimo; quod nulla alia uoluptas tua ſtudia interpellat: in quibus quidem, cum propria tui nominis gloria & uitæ dignitate ſplendoreq; uerſaris.* Quod *ſupereſt; ego menſes aliquot, a mea ſcribenda hiſtoria me continui, alijs ſeuocatus & impeditus curis. Sed iam ad eam me retuli, non ut omne meum tempus ei dem; diſtrahor enim: ſed ut quicquid otij ſuppetit, impartiam tamen.* Habes *ad omnia.* Nos *hic magna in expectatione rerum* Germanicarum *eramus, cum hæc ſcriberem: qua me hercule angebamur: ambigui enim rumores afferebantur: neque dum hoſtes appropinquauerāt. Si congredientur; magna erit ſtrages.* Noſtri *eſſe ab omnibus rebus paratiſsimi dicebantur:* Quod *ut euentus comprobaret; optabam equidem magis, quā futurum confidebam.* Cola *meus tibi plurimam ſalutem dicit; ego item* Paulo *tuo.* Vale. V Id. *Auguſti.* MDXXXII. *Patauio.*

Carpentoracte.

CARPENTORACTE.
P. B. Iacobo Sadoleto Epiſcopo S. P. D.

LIBRVM de recte inſtituendis liberis tuum, a Reginaldo Polo mihi Venetijs redditum, legi magna cum uoluptate. Cognoui enim te, in eo perſcribendo, ſane omnia præſtitiſſe ſummi & doctoris, et oratoris, & philoſophi hominis officia. atque partes. Nam & in tenuibus præceptis; ut ſunt multa ætatis primæ tempori conſentanea; amabilitatem; & in puerilibus diligentiam; in reliquis cum doctrinam, tum dignitatem, ita tuis ſcriptis aſperſiſti; eáſque uirtutes omnibus artis & ingenij coloribus atq; luminibus perpolitas reddidiſti; nihil ut illis fieri poßit ſplendidius, probatius, conſideratius. Multa tum quidem, de Græcis ſcriptoribus ſumpſiſti, quæ percommode in tuum migrauerunt: ſed ea omnia, tanto interuallo feciſti meliora; ut iam nō minus tua eſſe, quàm illorum uideantur. De latinis perpauca. Neque enim erat præclarum quippiam fere quod ſumeres; præter illa Terētiana; de quibus quidem aptißime meminiſti. Nã Petrum Paulum Vergerium, qui eadem prope, qua tu, de re librum cōſcripſit: poſthac qui legat, neminem futurum eſſe arbitror. Eſt enim nullo ordine, nulla propoſitione, nullis partibus: doctrina non multa, eloquentia, quam illa ætas tulit. Tuus uero ordo, tua rerum, quibus de rebus dicendum erat, capita; tum eorum partes,

partes, ac ſuo facta loco repetitio, quàm prudenter, quàm docte ſingula? quanta monitorum, et ſententiarum, quanta orationis cum dignitate? Quàm multa denique, in humili, ac prope ieiuno ſcriptionis argumento, atque perſona, copioſe, ſubtiliterq; tractas: eaq; complecteris; quæ maximã ſecum afferunt cum ubertatem, et uarietatem; tum uero etiã, atq; in primis quidem, grauitatem, atque conſtantiam. Quid etiam perpetua tua illa, & continens, cum Paulo fratris tui filio, tecumq; illius colloquutio, quàm appoſita, quàm ſuauis? Itaque gratulor lucubratiunculæ iſti tuæ: ſic enim malo dicere, quã labori. Scio n. quàm facile, quãq; celeriter ſoleas conſcribere: Sed tamen, quàm nullus aliorum hominum in ſcribendo, uel labor, uel mora conſequi, & æquare poßit. Eoq; magis etiam gratulor: quod; quemadmodum ipſe tuo in libro ſuauißime ſcripſiſti, non ſine Deorum immortalium fortaſſe numine, hunc te librum ante Hortenſium confeciſſe; erit hoc illius ædificationis, quoddam quaſi atriolum; in quo ſe apparent ij, qui ad intimos philoſophiæ thalamos atque adyta erunt admittendi. Quare, quod ſcribis, in eo a me legendo libro opem te expectare, non laudem: eaq; te cauſa, ante quàm ederes, ad me miſiſſe, ut ſublatis erroribus, liber ſplendidior, & limatior prodeat: agnoſco in eo & amorem ſummũ erga me, & iudicium honeſtißimum de me tuum: quorum in altero, me non decipi, ego certo ſcio: in altero, ipſe ne decipiare, tua cautio eſt. Quanquàm

quæ

quæ dico, ſumma fide conſtantiáq; dico; librum iſtũ tuum eiuſmodi eſſe; ſingularem ut tibi cum doctrinæ, tum integritatis laudem apud omnes homines, omnemq́; poſteritatem, plane allaturus uideatur. Feci tamen quod petiſti: notauiq́; aliqua; quæ quãti facienda ſint, ſtatues ipſe. Nam ego non tã quidem quod neceſſe eſſe ducerem; quàm ut ſcires tuum me librum diligenter perlegiſſe; ea in pagellam cõtuli, quæ erit cum his litteris. Quod autem ſcribis, ut tuum librum mittam cum Herculi Gonzagæ*, tum etiam* Ioanni Franciſco Pico*, ſi petierint; aut etiam alijs dem, ſi uidebitur, deſcribendum: ego uero exire illum in uulgus non patiar, quo ad tu mihi reſcripſeris, uelisne quid eius immutari propter eos locos, de quibus in pagella ſcripſi ad te quid ſentirem.* Neque *tamen non interea de eo doctorum iudicia exquiram, ut poſtulas: daboq́;* Lampridio *legendum: cuius ego ſenſum atque iudicium facio me hercule plurimi.* Eſt *enim cum oratorijs in ſtudijs ſane frequens; tum in philoſophia etiam frequẽtior, acri ipſe præſtantiq́; ingenio, & doctrina prope ſingulari: cui recte permittas tua.* Lazarus *quidẽ noſter librum etiam legit præbente me, dum* Venetijs *non bona ualitudine uterer. Quæ res fecit, ut tibi tardius reſcriberem, quàm uolebam. Sed de tuo libro finem faciam ſcribendi; ſi unum prius addidero; me cum ſingulæ eius partes libentiſſime tenuerunt: ualde n. mihi probabantur; tum uero ſum procemio illo tuo, libriq́; ad* Bellaium *miſſione incredi-*

biliter

biliter delectatus. Eſt n. rei toti ita coniuncta, ita decens, ita uerbis illuſtribus declarata, ita etiam, quod caput eſt, & prudens & grauis; ut omnino nihil ſupra. Redeo igitur ad illud, quod ſuperius dixi: ut tibi de eo etiam atque etiam gratuler. Cōfido enim ex illo non parum laudis, & gloriæ, tuæ priſtinæ dignitati, hominumq́; de tua doctrina, tuóque iudicio, atque in primis probitate opinioni, quæ quidem certe maxima iampridem ampliſsimaq́; eſt; acceſſurum. Quod reliquum eſt; multa mecum Polus de te, de tuis ſcriptis, quæ habes nunc quidem in manibus; de Hortenſio etiam tuo: de quo, deq́; Pauli epiſtolis interpretandis, cum ſermo eſſet inter nos, ut aiebat, inſtitutus; quod tibi ille quærenti, in utro potiſsimum ſcriptionis genere tuam tibi operam eſſe ponendam exiſtimaret; in Paulo reſponderit; ſane non probo. Confici enim illum abs te dialogum quàm primum, tua intereſſe ualde puto. Nam quod magnam eis de libris priore confecto libro hominum expectationem excitaſti: tot iam illam annos cum differas, neque expleas, magnum præſertim nactus otium, uide ne hoc aliquanto tibi minus concedatur; quàm ſi nihil dum eius confeciſſes, nihil abs te homines expectarent. Sed de eo tu uideris. Polus quidem ipſe Venetijs hyemem conficiet. Patauium deinde cogitat. Quo ſi ueniet, erit mihi gratum; cōplectarq́; hominem omnibus officijs. Marcus Antonius Michaël tibi ſalutem plurimam dicit. Tu mi optime, optatiſsimeq́; Sadolete, etiam atque etiam uale.

uale. Septimo kalen. Nouemb. MDXXXII. Patauio.

CARPENTORACTE.

P. B. *Iacobo Sadoleto Epiſcopo* S. P. D.

REVERTENTI *ad ſuos* Antonio *Damaſcio, quem mihi per litteras commendaueras, mandaui; uti te de meo ſtatu, ſi quid peteres, erudiret.* Mecum *enim fuit ſane frequens: cum meis etiam frequentior: adoleſcens ingenio feruido, & ad omnia, quibus ſe det, addiſcenda ſane peracri; humano præterea & comi, planeq; amabili: ut tibi gratias agã; qui mihi illum tradidiſti; atque ut in familiaritatem meam ſuſciperem, auctor fuiſti.* Is *mihi oneri nulla in re fuit.* Vtinam *fuiſſet: ut clarius meam erga te uoluntatem perſpicere potuiſſet. Sed perſpexit tamen.* Multi *enim de te habiti, ſumma cum mea uoluptate, inter nos ſermones: & ego quàm te amem, illi; & quàm tu omnibus ab hominibus, & colaris, & ameris iſtis in locis, fidem mihi iocundißimam fecerunt.* Tametſi *teſtibus quidem, ea in re nihil indigebam: qui te, moresq; ſuauißimos tuos, & uitæ integritatẽ, ac prope ſanctitatẽ, ab ineunte tua ætate, agnouerim, dilexerim, expetiuerim.* Iuuenis *enim admodũ cũ eſſem; te adoleſcentẽ incredibili beneuolẽtia cõplexus ſum, annis aliquot me ipſo minorẽ: neq; tu me nõ adamauiſti.* Qui *quidẽ certe amor, propenſioq; mutua uoluntatum, non ſolum poſtea nunquàm eſt*

coli

coli deſita ab utroq; noſtrum: ſed aucta etiam offi-cijs innumerabilibus, neceßitudineq́; uitæ; collegio demum, in Leonis decimi pontificatu clari muneris, ac prope quotidiano conuictu, tum ſtudijs plane communibus, litteriſq́; noſtris ita creuit; ut nihil poßit eſſe nobis duobus coniunctius. Quod cum ita ſe habeat; atq; in hoc noſtro perueteris amicitiæ in-ſtituto, ego iam ſenex factus ſim; tu non multum abſis a ſenectute: unum, ut uideo, nobis deeſt ad plenam ex eo ſuauitatem percipiendam; locorũ ſci-licet, ut animorum coniunctio. Nimis n. ſemoti, atque diſcreti regionibus ſumus: ut neq; mihi ad te ueniendi; quod ſæpe poſſe facere concupiui; ſpes ulla iam ſit reliqua: neq; tibi in Italiam reuertendi, cauſa poſſe dari ſatis apta uideatur: quod Pontifi-ces maximi, doctrina & moribus præſtantißimos uiros, clarißimosq́; omnibus uirtutibus homines, nõ tanti omnino, quanti oporteret, faciunt. Sed quo-niam hoc quoq; deſiderium; quod commune tibi me-cum eſſe non dubito; uiſendi alterum congrediendiq́; unà; ut tu olim ad me, in quadam epiſtola ſuauißi-me ſcripſiſti; litteris mittendis leniri multum po-teſt: fruàmur ſedulo ſcriptionis munere, ad hanc moleſtiam minuendam: & crebritate nos littera-rum fulciamus. Quod & te facturum confido: & de me futurum polliceor; ut nullo ſcribendi genere tam libenter ſim uſurus; quàm ad te. Sed neſcio quo pacto ad hæc commemorãda, de Antonio ſermo no-bis inſtitutus, defluxit; amoris abundantia potius,

quàm

quàm temporis: quod mihi plane non ſupereſt. Occupor enim ut ſcis. Conſcripſi autem tres iam prope libros rerum Venetarum. Neq; tamen non impedior domeſticis etiam rebus: quæ me a ſcribendo ſæpe reuocant. Sed quid agas? Sic uiuitur: Quod libet, quodq; non libet, etiam facias. Audio te alium fratris filium iſtic habere; quem in philoſophiæ ſtudijs item inſtituas; miro ingenio alacritateq; diſcendi. O te magiſtrum plane felicem; & illum alterum iam diſcipulum, quem Dij reſpexerunt. Vale. Septimo kalen. Maias. MDXXXIII. Patauio.

Scriptis iam litteris, Antonius, huius urbis iureconſultis mirificum ſe iureconſultum præſtitit: ſummamq; laudẽ eſt adeptus. Egit enim apud illos cauſam ſuam ita memoriter, ita docte: ut magna collegij approbatione, ſit magiſter lectus. Qua de re patri eius, tibiq; plane gratulor. Ei ego pro mea in te beneuolentia non defui.

MASSILIAM.

P. B. Iacobo Sadoleto Epiſcopo S. P. D.

OSVAVES tuas litteras XII kalen. Auguſti datas: in quibus cum multa iocunda: tum illud iocundiſſimum; quod te ſcribis delectatum Damaſcij ſermonibus de me ipſo. De quo et ſi libenter audis quæ uis: tibi tamen nõ concedo; ut ea iocundiora tibi ſint; quàm mihi item illa; quæ de tuis optimis ſtudijs,

mis ſtudijs, moribus, doctrina, comitate, integritate, continentia, uitæ denique totius, atq; uictus ratione quotidie iam ad nos quidem afferũtur, nuntijs ſermonibusq; omnium. Caue enim putes quemquam eſſe ueſtri ordinis; quo de hominès tam honorifice, cum ſentiant, tum etiam loquantur; quàm de te. Polus quidem noſter; homo haud paulo plus omnibus bonis artibus clarus, quàm nobilitate, qua eſt a Britanniæ regibus; nunquàm me conuenit, aut ſe a me conueniri ſinit; quod quidem iam crebro accidit; cõduxit enim domũ in hac uicinia: quin te in ore habeat; tuarumq; uirtutum recordatione, tuiq; memoria ſermones mediusfidius omnes condiat, atq; conficiat ſuos. Quem ſane uirum eo pluris facio, quod mihi uiſus eſt te diligere mirandum in modũ. Ex illius igitur, & cæterorum ſæpe multorũ eiuſmodi prædicationibus afficior incredibili uoluptate. Nam quoniam nihil eſſe poteſt nobis duobus coniunctius; magna tuarum laudum pars in me ipſum quaſi redundare mihi uidetur: atque illis ſic triumpho, ut plane meis. Qua ego una re maxime quidem leuor ea moleſtia, qua te quoque angi uideo, locorum ſcilicet intercapedine, quæ nos uoluntate conglutinatos, magno corporum interuallo ſeparauit. Sed eam etiã mittẽdis litteris, & fide pietateq; mutua, ut tu amãtiſsime præcipis, quoad poſſumus leniamus. De Alciati litteris, quas ad me miſiſti, ualde te amo. De Hortenſio tuo, ad quem te primo quoq; tempore confirmas reuerſurum; nihil eſt, quod te malim facere, ut tibi

ut tibi ſæpe antea ſignificaui. Hæc ſcribenti mihi, litteræ Maßilia uenerunt: quibus certior factus ſum te Maßiliam ueniſſe Clementem Pont. max. ſalutatum, ualetudine ſane & uultu bellis. Vtrunque gaudeo, & ualere te, eoq; magis, quod adſcripſeras tibi non ſatis firmo æſtatem effluxiſſe; idq; unum tuis in litteris me pupugerat: & illò acceßiſſe. Modo Pontifex is ſit; qui eſſe debet. Te enim ſecum Romā reducturū eſſe illū ualde mihi perſuadeo. Quod ſi fit; celerius te quidē fortaſſe uiſuri ſumus, quàm putaramus: nō quod ego ad urbē cogitē: nihil enim profecto minus: Sed hæc DEVS aliquis gubernabit. Modo te Italia teneat: neq; nobis aut tranſmittēdæ Alpes ſint, aut mare ſuperum percurrendū: ut te uidere atq; alloqui poßimus. Hoc idem utique optat Niger tuus; qui ambitione tādem reiecta ex urbis ſe laboribus in litteras abdidit: otioq; Patauino fruitur plane liber. Damaſcio; cum uellet domum redire; neque aliter, ut aiebat, explicare ſeſe poßet, equosq; ad profectionē coëmere; nūmos aureo Gallicos XXV petenti dedi: quos mihi pollicitus eſt, cum primum ſolum patriū attigiſſet, ſe eueſtigio curaturum. Omnino adhuc ab illo non modo nūmorum nihil habeo, ſed ne litterarū quidem. Peto a te hominem moneas, ut mihi fidem præſtet ſuam. Cola meus multam tibi ſalutem dicit, itemq; Paulo tuo: quem quidem ego et ualere et ſaluere iubeo plurimum, illumq; alterū ſororis tuæ filiū; qui; quod ita eſt, quemadmodum uis, ut ſcribis, & tibi eum uoluptati futurum putas; ualde iam a me

 diligitur.

diligitur. Vale. Quarto kalen. Octobres. MDXXXIII. *Patauio.*

CARPENTORACTE.

P. B. Iacobo *Sadoleto, Carpentoractis* Epiſcopo
S. P. D.

CVM *gratiſsimæ mihi fuerunt litteræ tuæ nono* Kalen. Decembris *datæ: quãquàm quidem hoc nunquàm non accidit, cum abs te litteras accipio; ea tua eſt humanitas, ſuauitas, amor erga me: tum* Renerij, *familiaris tui, ſermo acceſsit plane iocundiſsimus. A quo multa cognoui de tuis ſtudijs; maximeq́; de tua in ſcribendo mirifica diligentia; de fundo ſuburbano; de reliquis uillis, quas habes peropacas, & quibus nihil ſit alſius: quo te per æſtatem confers ad turbas, & calores euitandos, ualitudinemq́; firmandam equitationibus. Quanquàm is magnum te* Peripateticum *dixit eſſe: qui millia paſſuum quatuor ſæpe ambules, una itione indefeſſus. O hominem mirum. Subinuideo tibi cum multa; tum iſtud maxime. Seſſor enim iam ex ambulatore factus ſum: ut plus mille meis pedibus conficere non ſæpe audeã. Sed hæc; ut ætas & temperatio fert; ita ſunt inſtituenda. Illo etiam ſum magnopere gauiſus: quod & tu ſcribis, & mihi* Renerius *confirmauit; cito fore, ut* Hortenſium *tuum explices: ad kalen.* Februa*rias ſcilicet: hoc enim adſcribis. Quod ſi erit: peto abs te maiorem in modum; ut quàm primum eius le*gendi

gendi mihi facultas ſit. Non *poſſum dicere, quantopere iſtum habere librum cupiam.* Tametſi *eadem cupiditate, noſtri homines plane omnes tenentur: quibus ſit ullum cum litteris & philoſophia contubernium & conſuetudo. Scriberem in hanc ſententiam plura: niſi te imprimis conſiderem hoc, quod dico, ipſum ex te cognoſcere: qui meã hiſtoriam aues legere, ut ſcribis.* Quod *tamen non tu plus optas; quàm ego; ut tibi eam dem legendam. Sed nondum ad tertiam totius operis partem perueni.* Neq; *enim otio abundo: qui ſæpe interpellor uitæ, ut fit, moleſtijs & perturbationibus.* Quod *ſi uolumen, aut totum, aut ſaltem iuſtum confecero: mittam ad te aliquem ex meis cum libro; ut tu; qui mihi es pro multis millibus; illum perlegas, & iudicium adhibeas tuum; quid recte putes eſſe confectum; quid improbes; quid immutari uelis. Sed hæc tunc conſyderabuntur.* Interea *ualetudinem curabis tuam; quemadmodum quidem iubes facere me.*Neque *enim mihi te quisquàm eſt charior; neq; hercule dignior, qui a quoquàm diligatur.* Renerius *mihi ualde gratus fuit, adoleſcens frugi & permodeſtus: ut te patronum imitari uideatur uelle.* Pauló *tuo &* Florebello *multam ſalutem.* Vale, Quinto Id. Ianuarias. M D X X X V. Patauio.

CARPENTORACTE.

P. B. Iacobo Sadoleto Epiſcopo S. P. D.

OMNINO *nihil abs te officij prætermittitur*. Vt *nuper; quas raptim* Petro Gallo *ad me dediſti litteras; quàm plenæ ſunt illius tuæ perpetuæ erga me officioſiſsimæ uoluntatis*. Petrus *quidem ipſe multam mihi abs te ſalutem attulit; adoleſcens, eiuſmodi; qui per ſe & gratus eſſe poßit & optatus*. De *litteris; quas* Renerio *familiari tuo, primis anni diebus, ad te dederam, neque ſunt perlatæ; dolerem; ſi aliquid in illis fuiſſet; quod uel tua, uel mea interfuiſſet ſcire te; quemadmodum quidem ſcribis*. Cum *uero eiuſmodi fuerint, ut noſtræ pleræq; ſunt, argumento prope nullo*: Nihil *enim fere habebant, niſi memoriam mutuæ noſtræ neceßitudinis: mitto tamen earum ad te exemplum; quoniam de eo me requiris*. Te Hortenſium *tuum confeciſſe, ualde lætor*. Expectabo *eius libri exemplum, quo ſcribis tempore*. Contarenum *ſalutaui tuis uerbis peropportune; cum illi gratulatum me* Venetias *cõtuliſſem; quod eum* Paulus Pont. *max.in* Cardinaliũ *collegium cooptauerit: gratißima illi miſſa abs te ſalus fuit*. Nigrum *item noſtrum: de quo id te ſcire uolo, eum ab epiſtolis apud* Contarenum *futurum: qui quidem* Contarenus *ſe accingit, ut* Romam *his æſtiuis diebus properet, a* Pontifice *miro ſtudio accerſitus*. Tum & Polum; *qui* Venetijs *eſt apud* Con-

tarenum

tarenum frequens: & Lazarum; qui nobiſcum. Cũ his erunt litteris Superantij litteræ ad te, & Contareni de noſtra rep. libri quinque: quos tibi is deſcribi iuſsit. Valetudinem tuam cura diligenter: qua te non commoda uti uideo. Id mihi unum in tuis litteris moleſtum admodum fuit. Sed confido, quàm prudentiam in reliquis omnibus adhibes rebus, ea etiã in teipſo cuſtodiendo te uſurum. Vale. Decimo kalen. Quintiles. MDXXXV. Patauio.

P. B. Iacobo Sadoleto Epiſcopo S. P. D.

ACCEPI tuas litteras; quas e uico Sandoniano dediſti; fideliter mihi ab illo, qui tibi caſu ſeſe obtulit, perlatas. Quibus litteris me certiorem facis; te iter flectere, ut ad me Patauium accederes, propter feſtinationem tuam nõ potuiſſe. In quo etſi dolui hoc quidem tempore mea me ſpe uidendi tui lapſum, & deiectum fuiſſe: tamen gaudeo; quod ineunte uere tibi non defuturum confirmas; quin me uiſurus ſis quoquo modo. Ego uero tametſi te ita facturum puto: non enim dubito, quin me ames, & uidere cupias: tamen etiam atque etiam abs te peto; primum quidem; ut ante, quàm in Galliam tranſalpinam reuertare, huc te conferas: ut una eſſe commodius poſsimus. Deinde; ſi tibi id erit difficilius; ſcribas ad me, cum Roma proficiſci cogitabis; quẽ ad locum, qui quidem ſit in uia, quamq; ante diem ipſi ad te ueniam. Statutum n. mihi eſt tecum biduũ

aut triduum, ante quàm omnino abeas conficere. De *Paulo tuo quæ adſcribis; ea mihi gratiſsima iocundiſsimaq; ſunt.* Non *enim ego illum minus diligo, quã ille me. Multo etiam iuſtius meus in illum amor proficiſcitur; quàm in me illius: qui plane adoleſcens & doctrina & uirtutibus excellit.* Reſcripſi *fere ad tuas litteras.* Nunc *uenio ad id; quod ante etiam quàm illas dares, ipſe te ſcire magnopere cupiebam.* Librum *epiſtolarum; quas* Leonis Decimi Pont. max. *nomine ſcripſeram, cum in eo munere collega meus eſſes, edidi proximis diebus.* Is *tibi Romæ a procuratore meo afferetur.* De *eo ſcire aueo, quid ſentias, nihilo ſane minus, quàm ſi editus non eſſet.* Nam *iterum & ſæpius cudi poterit.* Etiam *alijs in ſcriptis hoc idem feci.* Tu *modo ne grauere; quæ tibi diſplicebunt, quæ non probabuntur; aperte ad me omnia fraterneq; perſcribere.* Cæterum *Federicum Archiepiſcopum Salernitanorum te iam uidiſſe ſane puto.* O *feſtiuos congreſſus ueſtros.* Omnino *facere non poſſum; quin tibi tantam uoluptatem inuideam.* Cuius *meæ mediusfidius ægritudinis una tantum ſanatio eſt; ſi te uidero.* Vale *mi frater.* Vale *& ſalue. Septimo kalen.* Nouemb. MDXXXVI. Patauio.

ROMAM.

P. B. *Iacobo Sadoleto Cardinali* S. P. D.

QVANTA *me lætitia is nuntius affecerit; qui te a Paulo* Pont. max. *in Cardinalium collegum*

fuiſſe

fuiſſe cooptatum, his diebus ad nos attulit: profecto intelligis ipſe etiam tacente me: Qui quidem quàm te ab ineunte tua ætate cõſtanter, atque unice amauerim, quantiq́; ſemper fecerim; nullo non tempore cognouiſti. Sed noſtra neceßitudo tam illuſtrem curſum habuit: ut non te modo ipſum, ſed omnes etiam homines exiſtimaturos putem nihil mihi accidere optatius potuiſſe eo nuntio. Gratulor igitur tibi mi Sadolete, non tam quidem, quod ſis nullo ambitu, nulla poſtulatione tam egregium dignitatis, amplitudinisq́; gradum conſequutus: nam eo tu quidem multo ante te digniſsimum præſtitiſti: quàm quod campum es nactus eiuſmodi; in quo tuæ ſe plurimæ, excellentesq́; uirtutes exercere aptius, atque commodius poterunt, et ad cæterorum hominum utilitatem, & ad tui nominis famam, gloriamq́; ſempiternam. Equidem amabam antea Paulum plurimis maximisq́; de cauſis: atque ut ei omnia in Pontificatu fauſte atque feliciter euenirent, a DEO *opt. max. ſummis precibus expetebam. Hoc uero nomine tantum acceßit ad meum ueterem erga illum cultum: ut flagrare atque ardere amore illius & pietate mihi ipſe nũc demum uidear; antea caluiſſe. Ex Hieronymi Nigri, qui nos utrosque diligit, litteris, cognoui, ei tibi meo nomine gratulanti te dixiſſe, nihil tibi de peruetere beneuolentia noſtra nouam iſtam dignitatẽ detraxiſſe, nihil noui addidiſſe: eundem te mecum deinceps futurum; qui antea ſemper fueris, germanum ſcilicet fratrem; aut ſiquid eo fieri poteſt*

ri poteſt arctius atque cõiunctius. Quæ tua ſane uox meam uoluptatem magnopere auxit: non quod aliter futurum exiſtimarim: noui n. conſtantiã in tuẽdis amicitijs tuam: ſed quia nihil libentius iam pridem audio; quàm me abs te amari. Tibi *magiſtratum* Dij *fortunent.* De *quo etiam* Paulo *tuo, atque adeo maiorem in modum gratulor.* Vale. Quarto *kalen.*Ianuar. MDXXXVI. Patauio.

ROMAM.

P. B. Iacobo Sadoleto Cardinali S. P. D.

EGO VERO *amo probitatem tuam, uel potius uerecundiam: qua te perturbari uideo uerentem ne non recte feceris: qui ampliſsimum a* Paulo Pont. *max. delatum tibi munus non reſpueris.* Oſtẽ*dis n. in eo te ijs honoris & dignitatis inſignibus non magnopere commoueri; a quibus plæriq; clari & præſtantes uiri ita ducuntur, ut etiam inſaniant.* Tui *autẽ magni antea & erecti animi noua iſta cõtractio ac debilitas; ut uere dicam, quod ſentio; mihi non probatur.* An *qui omni tempore nullum laborẽ recuſaueris, ut prodeſſe hominibus poſſes, cũ exẽplo & inſtitutione eorum, quos te regere oportuit, populorum; tum lucubrationibus & ſcriptis; quæ plurima longeq; præſtantiſsima confeciſti: nunc; cum te* DEVS Opt. Max. *ad rem ſuam una cũ reliquis principibus procurandam euocarit; quid te deceat facere, ignorabis aut ambiges? neque lætus*

atque

atque alacer in commune bonum hoc, quod tibi oneris imponitur, ſuſtinebis & perferes? Omnino *tanquàm fabulæ, ſic uitæ, poſteriorem quemq; actũ eſſe optimnm atque luculentißimum oportet.* Itaque *qui adoleſcens, qui uir ſemper te laudabiliter geßiſti; nunc, cum ætas ingraueſcat iam tua; profecto omnes ueræ gloriæ partes tibi ſunt cumuliq; colligẽdi: ut non hominum modo expectationi, quàm de te recte agendo recteq; ſentiendo excitaſti; ſed tibi ipſi quoque decenter atque magnifice reſpondeas.* Etiam *times; néquid de mea priſtina æſtimatione tui, opinioneq; amiſeris.* Amißiſſes*; ſi oblatam dignitatem reieciſſes: Suſcepta, multo te prudentißimũ fuiſſe, & rectißime iudico, & agnoſco libentißime. Illud quidem, quod ais; ipſe ſi te defendendum ſuſcepero; purgatum te omnibus hominibus fore cõfidere: nihil fuit neceſſe te adſcribere.* Tua *te anteacta uita, mores, probitas, doctrina, munus ipſum epiſcopale, quo multos iam annos fungeris, te tuentur: atque ita quidem tuentur; ut aliter ſtatuiſſe ſalua conſtantia non potueris.*Me *abs te indies magis magisq; diligi, ualde mediusfidius gaudeo: teq; uidere atq; amplecti incredibiliter cupio: ut etiam hac ætate, qua ſum,* Romam *cogitem.* Cardinali Capuano *ſi plurimam ſalutem dixeris meis uerbis; erit mihi gratum.* Vale. Prid. Non. Ian. MDXXXVII. Patauio.

Romam.

ROMAM.

P. B. Iacobo Sadoleto Cardinali S. P. D.

TE confirmatum eſſe in ea uitæ ratione, quam tibi Pauli Pont. max. erga te beneuolentia, uel potius de tuis maximis uirtutibus iudicium nuper, ut ſuſciperes, coegit, illuſtrem illam quidem, & in ipſo orbis terrarum theatro poſitam; ualde gaudeo. Neque uereor, quin uberrimam ea de re uoluptatē, atque fructum & capias ipſe; et amicis tuis ac reip. des afferasq́; prudentia & ſapientia tua. Sed maturitate opus eſt. Itaque iter tibi patefactum eſſe uideo ad ſummam laudem, ſummamq́; gloriam. Reliqua pariet atque accumulabit dies. Cures modo ipſe ualetudinem tuam; in qua una ſunt omnia: teq́; ad tuorum publicamq́; utilitatem conſerua & tuere. Quod amorem erga me tuum una cum uita tibi retinendum ſtatuiſti: facis, ut te dignum eſt, & probitate illa tua; qua nulla cuiusq́; maior, nulla candidior. Id mihi quidem certe, æque maximum atque iocundiſſimum abs te proficiſcitur. Neq; tamen uinci me in eo, ſi potero, patiar: amaboq́; te deinceps mutuo, ut ſemper quidem feci; ſed aliquanto etiam ardentius: Vt quo tu maior dignitate es; eo tibi ego quoque non ſane plus amoris: qui enim fieri poteſt? Sed plus, uel curæ, uel diligentiæ ad te amandum impartiam. De Vbaldino, quæ in extrema epiſtolæ pagella, tua manu adſcripſiſti; ea mihi grata acciderunt.

derunt. Valde enim cupio; ut is non minus innocentia, & bonitate, quàm doctrina & litterarum elegantia excellat. Equidem habeo eius rei, de qua illum purgas, locupletiſsimum teſtem: quod te ſcire uideo. Sed nemo mihi eſt te ipſo locupletior. Faciam igitur, quod uis: exuamq; omnem illam, quàm indueram, de hominis in me maledictis opinionem: neque ulli maiorem habebo fidem, quàm tibi. Beneuolentia & etiam amore, ſi iuſſeris, proſequar. Nihil enim facio libentius. Vale.

Quint. Id. Feb. MDXXXVII. Patauio.

CARPENTORACTE.

P. B. Iacobo Sadoleto Cardinali

S. P. D.

EPISTOLAE tuæ VI Idus Septembris datæ; quàm mihi Romæ appropinquanti Carolus noſter reddidit: nunc demum reſpondeo, ſerius omnino quàm debueram; propter eas occupationes; quas quidem noſtri ordinis hominibus primo ad urbẽ uenientibus conſuetudo ipſa ingerit. Tametſi primis diebus; uernaculo ſermone ſcriptas litteras ad te dederam: quæ me negligentiorem fecerunt. Quod te excuſas, non ſtatim, ut dignitate auctus ſum, te ad me ſcripſiſſe: quid uero mihi opus fuit ea de re tuis litteris: cum ſcirem te ad Paulum ipſum Pont. max. tum, cum a nonnullis magnis uiris honos meus oppugnabatur, honorificentiſsime de me ſcripſiſſe,

meamq;

meamq; illi dignitatem diligentiſsime commendauiſſe? Quod mihi gratulandũ eſſe nõ exiſtimas: agnoſco in eo naturæ morem & probitatem tuæ. Qui cũ illo ipſo fere die, quo es Cardinalis creatus, me de ea re litteris manu tua ſcriptis certiorẽ faceres; ſubdubitare te oſtendiſti, ne improbarem iudicium tuũ: quod in eum te ordinem cooptari permiſeras; qui quidem ordo, tuis illis iocundiſsimis, & ſuauiſsimis prioris uitæ ſtudijs impedimento potius, quàm ulli uſui eſſet futurus. Idem ſi de me nunc ſentis: gaudeo. Sic n. ſe res habet: ut ſæpius peccaſſe me exiſtimẽ; qui meum priſtinũ uiuendi morẽ libertatemq; abiecerim: quàm læter; hæc me honoris & dignitatis inſignia ſuſcepiſſe: præſertim cum qua maxime re me gauiſum iri putabam, quod Romam ueniſſem; ea deſtituar; facultate ſcilicet te uidendi atque amplectendi, & abſentiam multorum annorum, utriuſque noſtrum conſuetudine, ac conuictu prope quotidiano ſarciendi. Nam tu quidem, ut uideo, nihil minus, quàm ad urbem cogitas: quod eo iſtic otio ad ſcribendum, ijs ad uictum commoditatibus abundes; ut te Carpentoracti eſſe non pœniteat: Quibus ſane rebus aut omnibus, aut certe plurimis careres, ſi hic eſſes. Ea te a ſententia & conſilio abducere conarer: Incredibile eſt enim quàm te uidere cupiam; quãque me omnibus ab hominibus eſſe deſtitutum putem; qui te uno careo: Niſi te ſumma prudentia ſtatuere, quæcunq; ſtatuis, exiſtimarem. Sed omnino nullus eſſe locus poteſt noſtro ordini nec
honeſtior,

honeſtior, nec aptior; hoc theatro: in quo maxime omnium actiones uirtutesq; recitandæ, ac concelebrandæ eſſent tuæ. Itaq; *ſi mihi hoc concedis, ut te rogare poßim: etiam atque etiam te rogo; ne te a tuis, qui* Romæ *ſumus, deſiderari diutius ſinas:* Eoq; *maxime; quod* Collega *noſter* Polus *heri ad urbem redijt; quem uirum non tu quidem plus tuis in litteris laudas, atque in cœlum fers; quàm ille tulerit te in eo ſermone; quem, cum apud* Contarenum *cœnaremus, mecum & cum illo multum de te habuit.* Qua *in cœna ſi affuiſſes; quis me eſſet fortunatior?* Sed *hæc quanti faciẽda tibi ſint; tu pro tua ſapiẽtia iudicabis.* Interea, *ſi ad me interdum ſcripſeris, leuabo ea re plurimum ægritudinem meam.* Caue *enim putes ſuauiores, amantiores ullas eſſe litteras epiſtolis tuis.* Ita *in illis aliqua ſemper eſt, uel meæ in te beneuolentiæ iocunda commemoratio; uel declaratio grauis & conſtans amoris erga me tui.* Florebellum *tuũ ualde me hercule amo.* Egregiã *enim doctrinam, & ſcriptionis candorem ſane mirificum, cũ optimis mitißimisq; moribus, & naturæ probitate coniunxit.* Illum *proficiſcens domi reliqui, una cum* Cola *meo ſtudioſißimo & obſeruantißimo tui.* Procurator *tuus crebro me inuiſit officioſus ſane uir & modeſtus & prudens.* Paulo *fratris tui filio: quem quidem in oculis fero: multam ſalutem.* Sacrato *etiã &* Renerio. Vale *mi optime optatißimeq;* Sadolete. Tertio Non. Decembris. MDXXXIX. Roma.

FERRARIAM.

P. B. Herculi Pio S.

ET Calmetæ noſtri ſermo, & tuæ ad me perhumaniter ſcriptæ litteræ effecerunt; ut nõ iam ſolum cupiam beneuolentiam utriuſque noſtrum ſurgentem, & nouam; cuius tu fundamenta prior iecisti, officijs, & conſuetudine conglutinari; quod a me ipſe amantiſsimis uerbis poſtulas: ſed etiã doleam; tui cognoſcendi, atque amandi occaſionem non fuiſſe mihi iam pridem datam. Non enim uereor, ne, ſi te antea cognouiſſem, non magnum iam fructum, & uoluptatem percepiſſem, ex illa morum tuorum comitate, quam audio, pleniſsima urbanitatis, & ſuauitatis, adiuncta cum ijs ſtudijs litterarum, quibus ipſi magnopere delectamur. Quamobrem dabimus operã; ut te quàm primũ uideamus; atque hanc tarditatem ineundæ noſtræ beneuolentiæ, initæ iam, & conſtitutæ amore, ac ſtudio ſarciamus; eoq; libentius, quod ſororem tuam Emiliam, fœminam lectiſsimam, ac ſummi ingenij, ſummæque elegantiæ mulierem, iam diu amo & colo: apud quàm erám, cum mihi tuas Calmeta litteras reddidit. Vale.

Quarto Id. Sept. MDIII. De Strotiano.

P. B. Leandro Alleſio Iureconſ. S. P. D.

CVM tuum officium, quod in meo grauiſsimo caſu adhibuiſti, conſolãdi mei mihi gratiſsimum fuit: perſpexi enim ex tuis litteris, & doloris, quem ex mea ægritudine capiebas, ſigna illuſtria: & amoris erga me tui. tum ea, quæ ſcribis, quoniam ad meum uulnus ſanandum inueniri nulla remedia poſſunt; ad molliendum eius uulneris dolorem certe quidem plurimum ualuerunt. Nam neque, ut ipſe non angar, doleamq; Carolum fratrem meum, optimum lectiſsimumq; adoleſcentem, & mei amantiſsimum; quem quidem erat æquius, uti poſt me introierat in uitam, ſic poſt etiam exire de uita, ereptum mihi eſſe, in primo iuuentutis ſuæ limine, ulla unquam efficiet dies. Et tu ea collegiſti, cum facta, tum dicta ſapientium uirorum; quibus interdum cogar aliquantum acquieſcere; admonearq;, ut feram moderatius ſolitudinem, & ærumnam meam. Itaque tibi eas habeo gratias; quas habere poteſt is; qui fortunæ acerbiſsima iniuria, magna de ſpe deq; omni ſuæ uitæ dulcedine, atque ſolatio deiectus, in maximo mœrore luctuq; uerſatur. Vale.

XIIII kalen. Febr. MDIIII. Venetijs.

P. B. Marco Cornelio Cardinali S. P. D.

NON poſſum dicere, quanto me gaudio extulerit nuntius, qui ad nos, de recuperata ualetudine

tua populo quidem primum, deinde tuis fratribus au-ctoribus, eſt perlatus. Nam quoniam pro mea in te obſeruantia, & pietate uehementer dolebam te, iuuenem florentiſsimum, nobiliſsimum, in altiſsimo dignitatis faſtigio poſitum, magna pedũ imbecillitate iam biennium laborare: atque ita laborare, ut ex eo morbo tibi aliquando recte fore, ſpem perexiguam haberemus; nunc quidem repente conualuiſſe te cum intellexerim; ſane mirifice atque ſummopere ſum lætatus: tibique uere ac perſancte affirmo, nihil mihi potuiſſe contingere tua iſta ſanatione iocundius. Itaque *cum tibi omni ſenſu animi gratulor: tum illud in primis peto; ut mihi* DEVS *optimus maximus perpetuam eius rei lætitiam, & uoluptatem faciat. Quanquã quidẽ hac mea cum uoluptate eſt etiã totius reip. uoluptas cõiuncta: quæ profecto in te uno plurimum ſibi, & ornamenti, & præſidij poſitum & conſtitutum putat.* Reliquum eſt; *ut quod præſens tibi pollicitus fueram, me ad te de prima æſtate uenturum; idem nunc abſens multo etiam libentius recipiam: cum uideam, te firmo atque incolumi, quàm mihi ea profectio hilaris & iocunda ſit futura: maximeq́; ſi etiam* Agathopædis *quartana ſe remiſerit.* Vale. X *kalen.* April. MDIIII. Venetijs.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM FAMILIARIVM
LIBER QVARTVS.

P. B. Ioanni Aurelio Augurello S. P. D.

ACCEPI *litteras tuas: quæ quidem nobis, tuorum carminum expectationẽ, quorum te ſcribis rudem maſſam uerſare, magnã mehercule iniecerunt.* Itaq; *te meis, & Quirini mei uerbis etiam atque etiam rogo; ut cum primum opus confeceris, des operam ad nos ut perferatur.* Leuſippo *tuo; cuius mihi negotium nimis multis uerbis commendaueras; recepi me omnia, quæ uellet, facturum: tibiq; idem recipio.* Pater *te meus, & domus tota noſtra ſalutat.* Tu *uelim* Antonium *compatrem tuum, doctum & probum uirũ, &* Hieronymum Bononium *poëtam, & reliquos, quos me uelle ſcis, plurima ſalute impertias meis uerbis.* Vale. Non. Iul. MDIV. Venetijs.

P. B. Hieronymo Bononio S. P. D.

PERLECTIS *tuis litteris, quibus mihi negotium commendas collegij tui,* Leonardo Pẽta-

rino recepi me ea, quæ uelles, eſſe facturum: is enim mihi litteras tuas reddiderat. Itaque ad patrem meum detuli omnem rem: rogauiq; illum, ne te, collegasq; tuos ſineret, a malis hominibus iniuſte uexari; tuereturq; tuas partes: neque permitteret quicquàm de ueſtris iuribus minui. tum etiam ne audirentur ij, quibuſcum uobis res eſt, niſi præſtitutis diebus; intra quos iſtinc accerſiri poſſent ij, quos ueſtræ cauſæ patronos legiſtis, quoſque uobis circũducere difficile eſt. Quamobrem ſpero fore, ut te ſpes, quam de me, deq; patre meo habes, nihil fallat: qui quidem tuo illo epigrammate propoſito uehementer eſt delectatus. Vale.

Prid. Id. Octob. MDIIII. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Philippo Beroaldo Minori S. P. D.

CVM per ſe gratiſſimæ mihi tuæ litteræ fuerunt: perelegantes enim ſunt, & amoris erga me tui beneuolentiaq; pleniſſimæ: tum mehercule propterea, quod ferre diutius non poteram ſilentium tuum etiã peropportunæ acceſſerunt. Nã præter quã quod tu mihi Romæ pollicitus fueras te ad me litteras crebro daturũ; dolebã etiã; quod ad eas litteras, quas tibi, & Hadriano Card. Roma rediens de itinere dederã, adhuc nihil reſcripſeratis. Quanquã quidẽ eis de litteris uerbũ ullũ ne nunc quidẽ facis: quod ualde miror. Niſi tu id propterea feciſti; quod excuſabilius eſſe

lius eſſe duxeris nihil omnino te reſcribere, quàm ita ſero: & quemadmodũ meſſes atq; uindemias; ſic etiã litterarum miſsiones exiſtimaueris fieri non niſi in tempore oportere. Sed redeo ad tuas litteras. Beroaldum gentilem tuum præclarum ſane uirum, & optimarum artiũ ſtudijs pereruditum, mortem obijſſe ualde dolui, hoc præſertim tempore; quo doctorum, ueréq; litteratorum hominum nõ nimis magna ubertas eſt. Recordari enim debes paucorum annorum ſpatio quot & quales uiros amiſerimus, Picum, Politianum, Pontanum, Pomponium, Hermolaum; qui quidem omnes uno tempore floruerunt. Nunc autem ſi unum aut alterum excipies; quotus erit quisque iam in Italia reliquus, quem cum ijs conferre poſsimus? Itaque quo nũc quidem minus multi ſunt, qui iuuare rem latinam poſsint; hoc magis dolendũ nobis eſt, illum interijſſe; qui ei mirificam operam nauabat inſtituendis adoleſcentibus: cum ingenio et doctrina, tum multo etiam magis, ut audiebam, labore ac diligentia prope ſingulari. Quem quidem plane interitum; ſi modo ſenſus aliquis remanent in ijs, qui moriuntur; minus ei eſſe acerbum puto, propter te. Videt enim ſeſe nobis reliquiſſe uerißimũ exemplum atque ſimulacrum ſui; qui te ſuperſtitem reliquerit: cui quidem non eruditionem modo, & doctrinam, & probitatem; Sed plane nomen etiam ipſum dederit ſuum: ut mihi quidem in eo uideatur homo mirus, diuturnitati ſuæ conſuluiſſe. Nam quoniam ſemel ei moriendum fuerat; te habere uoluit;

in quo quaſi reuiuiſceret, nobiſcumq; prope æuo altero frueretur: quod ei contigiſſe plane lætor. Itaque eum dolorem, quem de tanti uiri morte percepimus, ſic ſolamur; ut exiſtimemus, quicquid in illo amiſimus, id omne nobis te ſoſpite atque ſaluo eſſe uberrime ac præclariſsime reſtitutum. Quã quidem expectationem noſtram tu pro tua dignitate, adhibere curam debes, non ut confirmes modo; Sed plane etiam, ut augeas. Ea enim es ætate; in qua cum tãtum iam in litterarum ſtudijs profeceris, exiſtimare te oportet, nihil eſſe tam arduum; nihil tã eximium, aut extra uſum horum temporum poſitũ; quod non in poſterũ homines uel expectare a te audeant, uel etiam flagitare. Quamobrem ſi Bononienſes *ciues tui, te per litteras publice miſſas hortantur, ut ad ſeſe uenias, demortuiq; tibi locum pollicentur; non eſt iam mirandum. Qua in re quod te dicis pendere animi, neque plane ſtatuiſſe quid ſis facturus, uelim quæ tibi uſui futura ſint, ea conſtituas. Sed tamen neſcio quo pacto* Roma *te diſcedere ex re tua eſſe plane non puto.* De Phædri *laudatione quod ais; nihil miror. Quid eſt enim eius ingenio uberius? quid oratione facundius? quid ſplẽdidius toto illo genere uerborum ac ſtilo? niſi putas exiſtimare me illum, quemadmodum corpore, ut ſcribis; ſic etiam animo habitiorem factum. Quod ſi eſſet; eius diſcipulo* Camillo Portio *gratularer; quẽ tu de hortatione illa tantopere laudas.* Non *enim uereor ne dicas, iſti etiam ilia & ceruices pingueſcere. Sed*

re. Sed quemadmodum ſe res habet, illum certe poſſumus heroum more ἠΰτε μέγαντε dicere: de hoc poſteri ita loquētur, μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής. Quod mihi Brutum Riccium Ticianenſem commendas; ualde te amo: qui doctum & probum hominem mihi notum eſſe uoluiſti: iamque illum in beneuolentiam & familiaritatem meam ſuſcepi; quem quidem eſſe uideo in tua. Dabo etiam operam; ut ei per me, quoad fieri poterit ſatisfiat. Sed ſcire te plane uolo; præter eos, qui publice bonas arteis profitētur; qui nec multi quidem ſunt, & admitti, niſi ſenatusconſulto non poſſunt; huiuſcemodi hominibus, in noſtra Vrbe, non nimis amplas conditiones patere. Priuatis enim in fortunis uiuimus, intraq; mediocritatem, ut ſcis, more maiorum. Sed ſi apparebit aliquid; faciam te continuo certiorem. De meo ad Vrbem aduentu; quem quidem cum Romanæ Academiæ, tum in primis Ioanni Medici Cardinali gratiſſimum dicis futurum; fere tu iam ea, quæ uelles, audires; ſi paulo minus ipſe aliunde penderem, quàm ſoleo. Non enim ſentio cũ Bruto tuo; cui hoc, quàm illud ſolum magis placet. Mihi quidem maius tribui munus nullum poteſt; quã poſſe me iſto cœlo, meo nutu frui: libẽterq; omnem hanc Venetiæ oram, cum uno ueſtro in Quirinali hortulo commutarem. Sed hæc alias, & fortaſſe coram. Illud autem ſic habeto; me, ſiue hic, ſiue, quod malim, iſtis in terris uitam duxero; Ioãni Cardinali tuo, qui me Romæ, hac æſtate perhumaniter

eſt complexus, ſemper plurimum debiturum. Phædro & Auguſto multam ſalutem. Sed quid ago? pene oblitus ſum dicere. Tua me Carmina ſummopere delectarunt; neque me ſolum, ſed etiam omnes meos, in primiſq; Laſcarem noſtrum; culta mediusfidius, lenia, dulcia, numeroſa, erudita; præſertimq; illa Triulciana. Quid? quæris. etiam pluſculum te nunc amo, quàm prius. Itaq; ſi mihi, ſi doctis omnibus rem gratiſſimam facere uis; ſic, quàm ſæpiſſime facito. Mitterem etiam tibi aliquid nõ de Myrothecijs, ut ipſe appellas, noſtris: temere enim nobiſcum Camenæ, ſi modo id aliquando agunt, diuerſantur: ſed potius de arcula ſaligna quidem ac obſoleta, qua utor, ſi haberem. Verũ illæ ipſæ ſubruſticulæ Muſæ noſtræ; quæ tepere quidem raro, calere nũquàm uidentur; hac plane hyeme penitus refrixerunt. Vale. Id. Ian. M D V. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Philippo Beroaldo Minori S. P. D.

LITTERAS cũ ueſtris carminibus de Laocoontis ſigno tuas accepi, cum iam in equum me intuliſſem, ut in Galliam Ciſalpinam proficiſcerer. Itaque illis tanquàm comitibus uſus ſum iens ac rediens Patauium uſq;: quod plane iter non modo mihi nõ moleſtum fuit; ſed id etiam iocundiſſime confeci: ita mihi uidebar quaſi uobiſcum eſſe, quorum uerſiculos legebam. De quibus quidem non puto te expectare

quid

quid ſentiam, non ſolum, quia peregrinationis mihi tædia belliſsime lenierunt; quod non feciſſent, niſi eſſet in ijs mira ſuauitas, mirus lepos; ſed etiã propterea, quod aliorum iudicio non eges, qui abundas tuo: quo etiam ſi egeres; tamen ab Hadriano poſſes tu quidẽ mutuari. Quanquã quod ad Sadoleti hexametros attinet; adſcripſiſti tu quidem mihi etiam iudicium tuum: in quo tibi uehemẽter aſſentior. Reliquorum carmina mihi etiam probabantur, non tã quidem ut illa Sadoletiana; nec omnia eodem modo: Sed probabantur tamen. Itaq; mirificas tibi gratias ago; qui me hilaraueris iocũdiſsima ſuauiſsimaq; lectione: Quæ quidem tibi res laudi etiam & gratiæ apud remp. Vicetinorum fuit. Nam cũm proximis diebus Vicetini, de conducendo publice rethore cogitarent, egoq; ibi forte eſſem; in Galliam, ut dixi, proficiſcens; petierunt a me honeſti aliquot et prudentes ex ea ciuitate uiri, cum de alijs nonnullis doctis hominibus, tum de te quid ſentirem. Ego uero cum eorum petitioni magna tua cum laude ſatisfeciſſem; oſtendi ijs epiſtolam tuam & carmen, quod de Laocoonte confeceras: & quoniam eram ipſe fere illa hora profecturus; me rogarunt, ut ſibi & carmen & epiſtolam relinquerem. Feci quod uolebant. Itaque cum e Gallia redeuntem me iterum illi ipſi ciues ſalutauiſſent; dixerunt mihi plurimũ apud ſeſe teſtimonium de te meũ ualuiſſe: proximis enim eorum comitijs legem latam eſſe; ut tibi honeſtiſsimo ſtipendio locus decerneretur; miſſasq; iam ad te

publice

publice litteras Romam; quæ te de tota re certiorem facerent, ad ſeq; ut uenires hortarentur. Quàm rem ideo tibi ſcripſi; ut ſcires mihi magnæ curæ eſſe dignitatem tuam: quàm quidem & fieri ampliorem in dies cupio; & eſſe iam ſentio ampliſsimam. Laſcarem ſalutaui rediens tuis uerbis; cui etiam detuli Vicetinorum Senatusconſultum de te: quod illi plane gratiſsimum fuit. Ab ipſo igitur & a communibus amicis multam ſalutẽ, præter Aldum; qui quidem aberat, cum has ad te litteras darem; & Sabellicum; qui mortem obierat ad XIIII kalen. Maias. Eum Egnatius laudauit oratione mediusfidius luculenta magno deſiderio elatum ab uniuerſa ciuitate, honeſtiſsimoq; funere. Vale.

Tertio Non. Maias. MDVI. Venetijs.

ROMAM.

P. B. Philippo Beroaldo Minori S. P. D.

ACCIPIO excuſationem tuam, cur Bononia Romam rediens nos, quemadmodum pollicitus fueras, non inuiſeris; perq; Hetruriam profectus ſis. Quanquàm quidem pro eo quanti te facio, tu mallem eius rei nullam potius cauſam attuliſſes; quàm iſtam ipſam, quam commemoras infirmi animi atq; omnia pertimeſcentis iudicij plenam. Quid enim cẽſes nobiliſsimas lectiſsimasq; fœminas Ducem ipſam, Emiliam, Conſtantiam, Margarim etiam tuam dixiſſe; ubi te intellexere, decem aut uiginti noſtrorum

rum

rum militum itione per Flaminiam audita, timuiſſe iter facere, tutiſsima celeberrimaq; Italiæ uia? Me quidem ualde pœnitet te ſcripſiſſe; ita magnos riſus excitaſti; ita iſta tua imbecillitas illis contemptui prope ac ludibrio fuit. Quod ſi mulieres te deridēt; quid tu facere exiſtimas Octauium, Iulianum, Caſtilionem, Cæſarem, ſtrenuos atque fortiſsimos uiros; qui quidem tuas litteras perlegerunt? Non poſſum dicere quantum apud illos dignitatis, quantum nominis amiſeris. Me uero, qui cauſam defendebam tuam, aiebamq; prudenter feciſſe te; prope conuitijs obruerunt. Sed de hoc tu uideris. Mihi illud permoleſtum; quod de pugillaribus & gladiolo ſcribis. Etiam ne me tuis tam bellis, tāq; lepidis munuſculis manum inijcere eſſe auſum, in animo induxiſti tuo? Quanquàm hercule utrūq; poteram ex æquo & bono. Quid enim tibi uel cum pugillaribus; qui tam longas epiſtolas conſcribis, ut nulla eas tabella capere poſsit: uel cum gladio; qui arma tantopere perhorreſcis, ut ne ſonitum quidem eorum perferre poſsis? Sed omiſsis iocis, Gladiolum quidem miſi tibi: eum Terpander afferebat. De pugillaribus adhuc nihil eſt ad me allatum. Si mittentur; eos ſtatim habebis. Verſiculi de Nape tui mihi ualde probantur. Salutaui etiam tuis uerbis, quos uolebas. Tu item meis Phædrum, Sadoletum, Camillum. Bibienæ item multam ſalutem: qui plane unus ſapere præter omnes homines mihi uidetur; ſi tecum dormire non uult; quemadmodum ſcribis. Mihi etiam nunc

oculi

oculi dolent: ita me Romæ hac æſtate inſomnē red=
dideras; cum mecum duas aut tres ad ſummum no=
ctes dormitum ueniſſes. Quid dixi dormitum? qui
non modo ſomnum oculis ipſe nō recipis; ſed ne pa=
ti quidem dormire illos, qui tecum ſunt, aut omnino
quieſcere ſemihoram potes. O hominem plane uigi=
lantem. Vale.

XVI kalen. Ian. MDVII. Vrbino.

BRIXIAM.

P. B. Franciſco Bragadeno, Brixianorum
Prætori S. P. D.

DOMINICVS Bonominius Brixianus, uir cum optimus, tum Grecis & Latinis litteris pereruditus, multis ac ueteribus neceſſitudinis cauſis, atque in primis ſimilitudine, uſuq́; longo ſtudiorum, ita mihi coniunctus eſt; ut pro eius ſalute, incolumitate, fortunis omnibus tuendis, augendisq́; non laborem minus, quàm ſi laborarem pro meis. Is controuerſiam habet cum quibuſdam; nolo dicere malis hominibus; ſunt enim ciues Brixiani, quorū tu Prætorem geris; ſed omnino non iuſtiſſimis uiris: què illum iampridem litibus implicant, uexantq́; neq; patiuntur hominem probiſſimum, innocentiſſimum, Muſis ac philoſophiæ natum, nullius rei præter litteras cupidum, omne ſuum tempus in bonarum artium ſtudijs inſumentem, frui otio ſuo. Ob eamq́; cōtrouerſiam nunc iſtuc proficiſcitur non ſine magna

quidem

quidem iactura, non modo ſtudiorum ac propoſiti ſui; ſed rei etiam familiaris, quæ illi tenuis & per=anguſta eſt, ſperans, quæ tua eſt prudentia, fore; ut cum plane rem cognoueris, eius laboribus, uel æ=rumnis potius imponas modum. Iſtam autem profe=ctionem hoc tempore ſuſcepit maxime, ſuadente at=que hortante me. Putaui enim; ſi eſſet is quidem un=quàm quicquàm a Brixiæ magiſtratibus petiturus; tuum tempus non eſſe prætermittendum. Quem enim poſſunt ſuis litibus cognoſcendis, finiendiſq; nanci=ſci æquiorem iudicem probi ac docti uiri; quàm eũ; in quo cum ſumma prudentia, iuſtitia, uitæ ſancti=tate, inſit etiam ſumma rerum urbanarum, cætera=rumq; optimarum artium ſcientia, maximeq; phi=loſophiæ? Patiare autem a me iſta prædicari de te; quæ ſunt quidem proprie tua. Nemo eſt enim fere in noſtra urbe; cui ea, quæ commemoraui, tam om=nes homines tribuant; quàm uni tibi. Itaque & ſi ſciam te in Dominici controuerſia ea, quæ fieri æquũ eſt, tua ſponte eſſe facturum; tamen quia magno=pere eius cauſa omnia cupio; pro eo, quanti apud te ſum, a te etiam atque etiam peto ſic, ut maiore cu=ra, maiore contentione animi petere nihil poßim: primum; ut ipſe cauſam omnem cognoſcas non per uicarios tuos, ſed per te te: ita enim & ipſe de to=ta re facilius iudicabis; & illi gratißimum feceris: Deinde, ne permittas rem ab aduerſarijs differri ca=ptiunculis triciſq; iudiciarijs; quo illi uno admini=culo innituntur: confidunt enim ſe id, quod iure aſ=

ſequi poſſe non ſentiunt, mora dilationibusq́; conſequuturos: utpote qui cum aduerſario inopi, ac imbecillo, minimeq́; contentioſo rem gerunt: Demum *ut eum, quibuſcunque rebus honeſte ac pro tua dignitate poßis, ita tractes, tanquàm alterum me; efficiasq́;, ut is intelligat & ſe a me, & me abs te amari; meamq́; apud te commendationem tantum ponderis habuiſſe; quantum & ipſe confidit, ſibiq́; iam pollicitus eſt, et meus in te amor poſtulat.* Quod *ſi feceris, ſpondeo tibi, in meq́; recipio, ex ipſius gratißimis atque probißimis moribus, liberaliq́; animo, de tuis in eum officijs maximam te uoluptatem, qui eſt fructus uberrimus, eſſe capturum.* Erit *id mihi præterea uehementißime gratum.* Reliquum eſt, *ut, aſſeſſores tuos uiros optimos plurima ſalute impertias meis uerbis.* Vale. *kalen.* Martijs. MDV. Venetijs.

P. B. *Guido Vbaldo* Feretrio V*rbinatum* Duci
S. P. D.

QVANQVAM *ea tua humanitas eſt, ea pietas, ea rerum fortunæq́; uariorum euentorum experientia; ut non dubitem, quin in tuendis bonis uiris, propter inuidorum improbitatem aliqua affectis illuſtri iniuria; qui tuam opem, tuum auxilium implorant, ſatis per te ipſe incitatus, inclinatusq́; ſis:* Tamen *cum* Marcus Polionius, *cui iuſtißima in cauſa, tuo patrocinio magnopere opus eſt, uir cum perhumanus & prudens, tum mihi ab illa celebri*

Quirini mei Romanenſi diſputatione; quàm familiaris, ita ſibi perſuadeat; ſi tibi ſeſe ipſe commendauero, fore, ut ad illam tuam propenſionem, quam dico, magnus in ſe tuendo cumulus uoluntatis accedat: petenti amico deeſſe nolui: ne uiderer uel benignitati tuæ, qua me dum hic eſſes, perhumaniter es complexus; uel meo erga te ſtudio, obſeruãtiæ, cultui, quibus te ſemper ſum proſequutus, diffidere. Itaq; te breuiter, etiam atque etiam rogo; ut ipſius Marci cauſam, dignitatem, fortunas omneis ſic tuẽdas ſuſcipias, ut plane meas; exiſtimesq; me abs te mihi ipſi petere, quod illi peto. Ab eius procuratoribus intelliges; quàm maligne, quàm improbe, quã impudenter fecerint; qui illum, qua in cauſa ſemel fuerat ipſis iudicantibus abſolutus, in eadem nunc condemnarint: nõ ſolum non præſentem; erat enim tunc in Gallia Ciſalpina domi ſuæ; nec ſe per procuratores defendentem; ſed plane etiam non uocatum: quo me hercule uno nihil poteſt eſſe iniuſtius, nihil inuſitatius, nihil a Romani fori dignitate magis alienum. Quæ cum ita ſe habeant; peto abs te; ut illi fautor adiutorq; ſis; ut ea ipſa cauſa iterum in iudicium deferatur; eiq; integrum ſit pro innocentia, pro dignitate, pro fortunis ſuis, pro capite ea omnia agere; quæ iure ac lege ijs, quibus crimen aliquod obiectum eſt, conceduntur. Qua in re non poſſum dicere, quàm multis noſtris ciuibus, magnis ac bonis uiris, & obſeruantiſſimis tui, qui ægerrime iſtam iudicij indignitatem perferunt, ſatisfeceris; uel

ris; uel potius uniuerſæ ciuitati: quæ quidem etiam litteras his de rebus ad legatum ſuum Romam *publice miſit.* Q*uamobrem non agam tecum pluribus.* Ex *eo enim; qui has tibi litteras reddidit; omnia, quæ te ſcire opus eſt, facile intelliges. Sed ad illud, quod initio dixi, rediens; ſcire te plane uolo; quæcunque in* Polionium *contuleris, ea abs te omnia in me fuiſſe collata me exiſtimaturum.* Q*uàm bene autem officium tuum ſis poſiturus, ſi illum innocentem ſubleuabis; multa te docere poterunt: quæ malo re, quã uerbis, te cognoſcere.* Vale.
Non. *Mart.* M D.V. *Venetijs.*

P. B. Iacobo *Syncero Sanazaro S. P. D.*

E T T E *amabam antea plurimum: nam ſæpe in tua ſcripta incidi cum uernacula, tum latina; quibus in omnibus felicitatem illam ingenij tui ad poëtices facultatem ſum uehementer admiratus:* Et *nũc quidem* Egidius Monachus Viterbienſis, & Antonius Agnellus *effecerunt; ut nihil me uno ſit in te amando, obſeruando, colendo plane ardentius.* Ex *ipſorum enim oratione cognoui; præter ea, quæ dixi; utriuſque linguæ ſtudia litterarum; delatumq; iampridẽ in illis tibi a* Muſis *atq; ab* Apolline *principatum;* Q*uã ſis etiam in ipſo uſu uitæ, cum humanitate, & ſuauitate; tum hercle, omni uirtutum genere, atq; illa in primis uel probitate, uel morum animiq;, ſi latine ſatis poſſum dicere ſynceritate,*
quæ

quæ quidem uirtus tibi etiam agnomen dedit, politiſsimus. Itaq; hæc ad te uolui ſcribere primum, ut tibi notum facerem hunc ipſum animi mei ſenſum in te, ac uoluntatem: iaceremq́;, tanquàm fundamenta beneuolentiæ; futuræq́; noſtræ neceſsitudini, quaſi quoddam uinculum adhiberem, amorem ſummũ erga te meum: In quo quidem pergratum mihi erit; ſi me ſic amandum ſuſceperis, ut utare; ſic fueris uſus, ut plane tuo. Deinde ut ſcires, me uidendi tui deſiderio magnopere teneri: nam fruendi quidem nõ audeo dicere: qui neq; ſalutari te permiſeris, cum nuper e Gallia rediens, ut audio, de itinere Venetias inuiſiſſes. Quod ſi tua culpa effectum eſt, ut, cum fieri utriuſq; commodo potuerit, ut te uiderem, me tamen latueris: dabo ipſe operam, ut id aliquando fiat; etiam ſi nõ poterit ſine magno incommodo meo. Interea tamen, etiam atq; etiam a te peto; ut quoniã hoc tempore in ſeceſsu iſto Neapolitano tuo, puto te otio mirifice abundare; mittas aliquid ad nos de tuarum Muſarum penu; quo minus a nobis moleſte uidendi tui deſiderium perferatur. Quod ut libentius facias; hoc te genere officij etiam prouocabo. Aſolanos enim meos habebis cum his litteris. Qui quidem, quãquàm libri, amicorum meorum aſsiduis poſtulationibus, ac prope etiam impulſu, exire iam in uulgus, atq; haberi cœperint; ad te tamen ueniũt nõ minus, ut eos emendes, ſi qua tibi non probabuntur; quàm ſi; quòd mallem, placuerint, ut probes. Vale. Idib. April. M D V. Venetijs.

AD FOSSAM CLODIAM.

P. B. Petro Franciſco Flaminio S. P. D.

De ſuauiſsimis litteris tuis, quibus me iſtuc prætoris tui nomine in ius uocas, ualde mi Flamini te amo. Video enim te, quo mihi eſſe iocũdius nihil poteſt, noſtri memoriam non abieciſſe, præſertim in illa nuptiarũ feſtiuitate ac iocis: inter quos prope deſipere, ac ſui quemq; obliuiſci, aiunt, nõ modo dulce eſſe, ſed plane etiam decere. Verum heus tu quàm technam excogitaſti? an tibi ego idoneus uideor, quem deludas? Ante prætorem uxoriũ contra nouam nuptam me dicturum cauſam putas? Aliã inſiſtas uiam oportet, ut nos hinc auoces; ubi magni ciues ſumus; ubi honeſtas legationes Senatum depoſcimus candidati: neq; me ficus illæ ueſtræ luculentæ littorales ſua dulcedine allexerint; ad quas me inuitas, quasq; tam cupide ſoles eſſe; ut committam, ut mihi aliquando poſsis obijcere, me non tam pedibus, quàm palato duci. Sed tamen extra iocum: Cum primum Hiſpanienſis legationis comitia erunt confecta, quæ quidem iam in proximum quemq; Senatum reiecta ſunt; ad uos me conferam cum Philomuſo: modo me aliæ non impediant tricæ comitiorum. Nam Bembo patri meo uel Patauinam uel Cremonẽſem præturam deferri ualde cupio; quarum utrarumque comitia fient, ut quidem audio propediem. Interea gratias ago prætori tuo Clariſs.^mo^ uiro,

uiro, quemq́; ego propter eius plurimas maximasq́; uirtutes unice diligo; quod dici mihi diem iuſſerit abs te, potius apud centum Clodianas *ficus; quàm apud noſtrorũ Quadraginta uirum ſubſellia, uel ipſum etiã* Decemuiratum. Vale, *meq́; mutuo dilige. tertio kalen.Sept.* MDV. *Venetijs.*

P. B. *Vberto Gambaræ* S. P. D.

LITTERAE, *quas te ſcribis dediſſe ad me, mihi non ſunt redditæ: eas ſi accepiſſem, tibi reſpõdiſſem: nemo eſt enim tam in ſcribendo impiger, quã ego. Quod ſi eſſem pigerrimus; tuæ tamen litteræ me excitauiſſent.* Amo *enim te: haud paulo plus, quàm tu tuos fratres.* Itaque *lætor tuis me litteris laceßitum ad ſcribendum. Sed uolo ne defatigere unis epiſtolis: ſcribasq́; ad me etiam crebriuſcule cũ de te aliquid, tum de parentibus tuis: atq; in primis de ſorore tua ſuauißima lepidißimaq́; uirgine* Berẽnice *amoribus & delitijs meis.* Nam *quas ad me dediſti litteras eæ nimis ieiunæ ſunt.* Vide *quàm te urgeo.* Vale.Id. *Sept.* MDV. *Venetijs.*

ROMAM.

P. B. *Nicolao Prendilaquæ* S. P. D.

TARDITATEM *in ſcribẽdo uel ad te, uel de te meam, tibi moleſtã eſſe gaudeo: uideo enim me amari abs te; cum uel meas litteras expetis, uel eſſe*

in meis ſcriptis memoriam aliquam de te noſtrã cu-pis. Itaq; *tua iſta expoſtulatione, quaſi præteritæ a me noſtræ neceßitudinis, nihil mihi eſſe potuit iocũ-dius*. Ego *uero poſt diſceſſum iſtinc meum reditio-nemq́; domum in multis occupationibus ferè ſemper ſum uerſatus: ut ſcribendi ad te, nullis præſertim de rebus, mihi otium non fuerit*. Q*uàm plane excuſa-tionem meam ſi recipis; dabo ſane operam, ne me iſto nomine accuſare poſthac poßis*. S*in aliter ſentis; ne cum homine iniuſto mihi controuerſia ſit, ſilẽtio me continebo*. S*anutum noſtrum adhuc nõ uidi:* I*ta-que de ſcriptione illa* T*erentiana nihil eſt actum*. T*u ſi membranas illi miſeris; omnia, ut poſtulas, tran-ſigentur*. S*ed uelim ſi tibi incommodum non eſt, ut feſtines:habeo enim & eum librum, & alios aliquot in manibus; quos quidem hac hyeme deponere ſatis pacato animo non queo*. V*erumtamen faciã, ut iuſ-ſeris*. C*um ualetudine tua tibi nondum belle eſſe ual-de doleo: ſed eſt ferendum*. A*uguſto & amicis reli-quis multam ſalutem*. Vale.
kalen. Decemb. M D V. Venetijs.

P. B. Danti Tertio Aligero S. P. D.

ELEGOS *tibi meos placuiſſe, plane gau-deo: quid enim mihi poteſt eſſe iocundius; quàm ei mea carmina probari, qui quidem ſit in conſcriben-dis carminibus ſummam ipſe laudem conſequutus?* S*ed uellem tãtiſper, dum de meis ſcriptis iudicas, me*

non

non tam, ut facis, amares: uereor enim ne tanquã in libra lanx adiecto pondere; ſic animi tui iudiciũ, amore addito, facile uergat in gratiam ſublata ueritate. Sed de eo tu uideris: Ego ſane interea falſo fortaſſe, aliquo tamen gaudio certe fruar. De conducendo rhetore quod ais; gratulor reip. tuæ; quæ in eam curam incumbat, ut ueſtri iuuenes in optimarum artium ſtudijs exerceãtur. Quod autem poſtulas, ut uobis adiumento ſim; quo res commodius conficiatur; egerunt idem mecum Legati ueſtri tuo & reip. tuæ nomine clari et diligentes uiri; qui mihi tuas litteras reddiderunt: quibus perlectis ſtatim ijs reſpondi cum magnam eſſe penuriam doctorum hominum; tum eorum multo maximam; qui quidem & abundarent bonarum artium diſciplinis, & florerent optimis moribus, uitæq; illuſtri ac perſpecta probitate; qualem eſſe illum oporteret; quem et ipſi peterent, & tu præclare in tuis litteris effinxiſti. Quamobrem cum multa eſſemus inter nos ea de re colloquuti; ſermonemq; de ijs omnibus, qui & docti & probi eſſent, habuiſſemus, in primisq; de Ioanne Franc.° Philomuſo Piſaurenſi; dixi legatis, mihi illius & uitam & eruditionem ſatis probari, tum & ætatem & dignitatem, quodq; faciebã plurimi, in formandis inſtituendisq; ad litterarum ſtudia adoleſcentium animis uſum & exercitationẽ. Sed nihil agerent temere; inueſtigarentq; omnia diligẽter ante, quàm aliquid ſtatuerent. Itaque ſic ab illis tunc diſceßi; ut me pollicerer omnem meam co-

gitationem in eo poſiturum; ut ſpem, quàm de meo iudicio concepiſſent; eam fide ac diligentia confirmarem. Quæ poſt eum diem acta ſunt, ſermonesq́; ſingulos noſtros; fuimus enim una ſæpius; puto tibi illos perſcripſiſſe: quamobrem non agam tecum pluribus. Summa eſt, ut intelligas me in eam ſentētiam quotidie magis adduci; ut putem ex ijs, qui cōditione iſta moueantur, qui quidē idonei ſint; neminem eſſe cum Philomuſo comparandum. Nam de Tribacho neſcio quo illo Mutinenſi, quem audio iſtic circumire ſingulos, uos uideritis. Ego quidem iſto nomine doctum eſſe aliquem neſciebam usquàm gētium. Reliqua Legati ueſtri. Tu Vale, meq́; mutuò dilige. XIIII kalen. Apr. MDVI. Venetijs.

P. B. Ioanni Franc.° Buranæ S. P. D.

PRAELECTIONES tuas, ſic enim appellas, treis multo ſtudio diligentiaq́; conſcriptas libentiſsime perlegi miſſas ab Alexādro Phyſico mihi de mēſe Decembris. In ijs enim ea, quæ antea de ingenio ac doctrina tua perceperam, cognoui; quæ me quidem ſummopere delectarunt: magnamq́; uoluptatem cepi, quod unum ex ijs libris mihi potiſsimum miſiſſes; idq́; epiſtola eſſes teſtatus ei libro adſcripta, ſumma cum mea laude, ac dignitate. Nam quo tu quidem es in ſtudijs litterarum præſtantior; eo me apud omnes homines gratioſiorem futurum exiſtimabam

mabam tuā beneuolentia. *Itaque maximas tibi gratias ago, cum quia mihi tantum tribuis, ut etiam tuas lucubrationes dices; tum quod me amas ignotum tibi hominem, quodq; ad ineundam conſtituendamq; noſtram beneuolentiam accedis prior: quam etiam uideris feciſſe plurimi; cum eam tam magno pretio ſis mercatus*. *Quamobrem ſic exiſtimes uelim; amari te a me: & quoniam tu iam tua humanitate ac liberalitate, ut tibi multum deberemus effeciſti, dabo ipſe operam; ut, ſi mihi unquàm ſe facultas obtulerit ornandi tui, te intelligas non omnino ingratum hominem tibi deuinxiſſe, qui me ornaueris officio tuo*. De *imprimendis tuis libris quod ſcribis; puto tibi* Alexandrum Phyſicum *reſcripſiſſe, quid egerimus: ſic enim mihi pollicitus eſt ſe facturum: quæ etiam communicaui omnia fratri tuo. is ad te ea deferet*. *Quæ quidem quoniam in dies poſſe confici ſperabamus quoquo modo; ſerius, quàm debebamus, tuis litteris reſpondimus*. Dantem *a magno illo tertium, de quo ſcribis, ſi ſaluere iuſſeris ex me; mihi gratum feceris; idq; ut facias, abs te peto*. Vale.

Nono *kalen*. Maias. MDVI.

P. B. Alexandro Cribello S. P. D.

EGO *uero de tuis ad me tam humaniter ſcriptis litteris ualde te amo; quibus me de tota nauigatione tua certiorem facis*. *Quanquàm uellem eam te*

uento ſecundiore confeciſſe. Id fuiſſet; ſi Aquilones noſtri, qui ſtare cœperant ſoluente te, a ſua conſuetudine non receßiſſent. plures enim cõtinentes dies fere ſemper ſtant, quàm ulli alij uenti, præter Eteſias: *qui tamen ſuo tempore, atque eodem prope quotannis, leniter ſpirare conſueuerunt.* Aduentum *ad nos tuum Sabellici doctoris tui cauſa non eſt cur feſtines. Is enim mortem obijt, clarus me hercule uir, & plane bonus, neque tuo certe tempore. Sed ſi ueneris; nõ deerunt, a quibus bonas litteras queas diſcere.* Itaque *te expecto.* V*aſculo illo fictili perantiquo, quod mihi dono miſiſti; ſum delectatus.* Ita*que te hortor; ut ſi quid eiuſmodi poſthac in manus tuas uenerit, mihi emas.* Cæſarem Lupium Iure*conſultum multa ſalute imperties meis uerbis.* Ego *illum ualde diligo ut & præceptorem tuum, & doctum ac eruditũ hominem, & ſtudioſum mei.* Vale. O*ctauo kalen.* Maias. M D V I. Venetijs.

P. B. Cardinali *ſanctæ crucis* S. P. D.

E T *ſi tuam amplitudinem ſemper colui plurimum: nam & ante hoc triennium te cognoui eo tẽpore, quo* Vincentius Quirinus *meus innumeris illis in omni fere diſciplinarũ genere propoſitis quæſtionibus,* Romam *diſputaturus acceſſerat; cum te quidem maximis difficillimiſq; de rebus, magno ueſtri collegij conſeſſu, magna totius urbis corona diſſerentem, atque ab alijs diſceptata finientem, &*

ſententiam

ſententiam ferentem audirem: & poſtea anno ſuperiori; cum Bernardus Bembus pater meus unà cũ ſeptem collegis, a noſtra rep. Romam miſſus, apud Iul. Pont. maximum legati munere fungeretur; multa populariter accepi de tuis optimis grauiſsimisq; moribus, digna uere Chriſtiano principe, digna Cardinali, digna te: Tamen his proximis menſibus; ſiue ita caſus tulerit; ſiue quia ego diligẽtius hoc quidem tempore, quàm antea; quæ de te ferebantur, hauriebam; cum ab alijs plurimis optimisq; hominibus, tũ in primis a Nicolao Phryſio familiari tuo uiro peracuto ea de ingenio, de doctrina, de prudentia, de grauitate, de religione, de ſanctitate denique intellexi tua; ut nemo me uno iam ſit in te obſeruando, colendo, animiq; omni ſtudio, omni reuerentia proſequendo plane ardentior. Quam ad rem etiam illud accedit; quod exploratum habeo ab Alberto Pio Carpi Domino, uiro cum doctiſsimo, tum plane bono, & mihi antiqua neceſsitudine multisq; de cauſis coniunctiſsimo, ex ueſtro Cardinalium collegio, neminem amari, neminem magnifieri, neminem exiſtimari dignum Pontificatu illo maximo, & Petri clauibus æque, ac te: qui quidem certe cũ eſt homo reliquis in rebus mirus; tum acerrimum in iudicando ſenſum habet. Quanquã quidem poterã maxime ad te obſeruandum, ſuſpiciendumq; ob hoc unũ duci; quod nulla eſt urbs, nullum oppidum, nullus me hercules in tota Venetiæ ora, aut ĩ Ciſalpina Gallia uicus; in quo quidem fuerim ipſe; fui autem &

quidem

quidem proxime in multis; ubi non inuenerim aliquos; qui te miris laudibus in cœlum ferrent; & tanquã Herculẽ *ad ſuſtinenda ſydera, ſic te ad rem illam publicam* Romanam *labentem iam, & fatiſcẽtem ſubleuandã, cœlo nobis demiſſum dicerent. Quod cum ita ſe haberet, ſtatuiſſemq́; ipſe nihil mihi eſſe debere antiquius ea cogitatione, in qua omnem meã curam, omnem induſtriam ponerem, ut te deinceps, quibuſcunque poſſem officijs, colerem optimi ueriſsimiq́; clientis; hoc mihi primum ſumpſi, utinam non tam temere, quàm amanter, ut his litteris tibi notam atque teſtatam facerem hãc ipſam meam erga te cultus, & obſeruantiæ uoluntatem, iam dudũ quidem ſuſceptam, ut dixi, ac inſtitutam; Sed ita nunc adauctam; ut interdum mirer tantam eius acceßionem in homine potuiſſe fieri, tibi non plane familiari.* Eóque *feci libentius; quod uidebam, quo diutius tacuiſſem, eo fieri longius id tempus, quod ego maxime adeſſe cupiebam; cum me in aére tuo reciperes; cumq́; ſi tuæ amplitudini ulla mea cura, ſtudium, diligentia, ſedulitas, labor, cogitatio, animi deniq́; mei, meæq́; mentis in te colendum alacritas eſſe uſui poſſet, me uterere.* Cuius *quidem mei uoti, cum me illud a ſpe deterreret, quod ſciebam non deeſſe tibi uel qui te colerẽt, uel quibus ipſe uterere: nam cum illis quidẽ non tota modo* Italia, Germania, Galliæ, Hiſpaniæ *refertæ repletæq́; ſunt; Sed etiam apud ultimas gentes, in alieniſsimis a noſtro orbe regionibus, non unis regibus es chariſsimus:*

tum

tum autem multo plures ac maiores clientelas habes ipſe ſummorum, in omni genere artium ac diſciplinarum, hominum ex te pendentium, expectantiumq́; tuos nutus, quàm tibi etiam neceſſe ſit: Ita *me confirmabam; quod ij, qui te laudabant, ita laudabant; ut inter tuas innumerabiles præſtantiſsimasq́; uirtutes unam ponerent humanitatem; in qua quidem mirabiliter excelleres; tum ſumma cũ grauitate tibi a natura datam, tum etiam cultam a te diligentiſsime, coniunctamq́; cum ſuauiſsimis moribus, uitæq́; dulci ac iocunda comitate. Quamobrem non committam; ut pudore meo, & tibi promouendæ, & mihi experiundæ tuæ humanitatis impediam occaſionem. Itaque illam ipſam humanitatis, quam iam ſæpius appello, ac ſuauitatis tuæ uim, atque magnitudinem oro obſecroq́;, ſic exiſtimet, me quidem eſſe tui ampliſsimi clariſsimiq́; nominis tam obſeruantem, quàm qui maxime, aut prope etiam quàm is, cui nihil ſupra: neque eſſe fere quemquàm ex tuis intimis familiaribus, cui omnia minima, maxima, imperare magis fidenter poſsis, quàm uni mihi: Quod quoniam ne te lateret, puto me his litteris effeciſſe; ſpondeo tibi me aliquãdo etiam, ut omnes homines idem intelligant, ſtudioſiſsime curaturum: Atque utinam mihi contingat ea, quæ nunc quidem, ut ſe res habet, de te Cardinali cogito; breui de eodem* Pont.max.° *liceat, ut ſpero, cogitare: quem ego diem ſi uidero; omnia me conſequutum putabo.* Vale Princeps *in Chriſtiana rep. omnium*

doctiſsime

doctiſſime atque religioſiſſime. Nonis Iun. MDVI. Venetijs.

P. B. Cardinali Sanctæ Crucis S. P. D.

CVM *primum mihi renuntiatum eſt id, quod maxime intelligere cupiebam; te ex illa tua laborioſa legatione Germanica,* Romam *multa cum laude, atque gloria, ſaluum ſoſpitemq́; redijſſe: cum meum officiũ eſſe duxi, ut tibi gratularer: qui quaſi ex tempeſtate in portum, ita ex magnis laboribus & longo itinerũ errore incolumis redieris ad tuos: tum mihi ſtatui gaudendum, quod te, quo ego uno patrono optimo, atque humaniſſimo utor; non iam inter ultimas, efferasq́; gentes uerſari, ſed apud* Iulium Pont. *max. in ueſtro Cardinalium* Collegio *eſſe* Romæ*: hoc eſt in orbis terrarum theatro maximo, atque pulcherrimo audierim.* Itaque *hæc ad te ſcripſi; ut ſcires me, & tui memoriam abſentis diligẽtiſſime ſemper coluiſſe; & nunc reuerſi amplitudine atque gloria uehementer lætari.* Quod *ſi mihi per negotia licebit; præſens te in urbe propediem ſalutabo.* Vale. XVII *kalen.*Febr. MDVIII. Vrbino.

P. B. Paulo de Canali S. P. D.

SVMMA *moleſtia me affecerunt litteræ tuæ: quibus, mortem obijſſe* Maurum *ſacerdotem tuum, me certiorem facis.* Sed *quid agas? an neſciebas ipſum ea*

ſum ea lege natum; ut eſſet, qui omnibus horis poſ=ſet mori? Te iſta non ferre fortiter, eo turpius tibi erit; quo te magis philoſophia iam erudiuit. Scri=bam longius, cum ero aliquid nactus otij: nunc im=pedior maximis curis. Tuum negotium mihi curæ erit: faciamq́; ut poſtulas. Vale. XXVI *Sept.* MDVI. *Vrbino.*

P. B. *Ioanni Gozadino, ſummi* Pontificis *a libellis dandis* S. P. D.

BELLVM Bononienſe *ita, ut uolebatis, con=fectum eſſe, pro tuis in me liberalibus officijs, meaq́; in te ſingulari obſeruantia, uehementer gaudeo, cũ propterea, quod eos homines, qui te ſummis iniu=rijs affecerant, uictos ac profligatos uides: tum, quia maxime ad tuam dignitatẽ pertinere arbitror, heri tui ſummi* Pontificis, *& gloriam, & imperiũ augeri. Qui quidem, quoniam ijs cogitationibus, quarum tu particeps fuiſti, magnas opes, maxi=mamq́; laudem eſt conſequutus; nõ committet, quin te quoq; earum rerum participem faciat; præſer=tim cum nullus honorum, aut amplitudinis cumulus, tantus futurus ſit; ut non is, tuæ doctrinæ, tuæ pro=bitati, tuis plurimis, præclariſſimisq́; uirtutibus plane debitus fuiſſe uideatur.* Itaq;, *de hac* Roma=*ni* Pontificis *uictoria, tecum dupliciter lætor.* Nam *& ea quæ acciderunt, tibi magnæ uoluptati eſſe certo ſcio; & quæ euentura ſunt, maximo tui no=minis*

minis & familiæ ornamento ac ſplendori uideo fo=re. Quæ quidem omnia tam mihi eſſe debent iocun=da; quã quæ iocundiſſima. Tu *enim, cum te proximis diebus, mea tibi negotia commendaturus, apud* Fo=*rum* Liuium *ſalutauiſſem; ita me humaniter comple=xus es, ignotum tibi hominem; ita in tuam fidem amice honorificeq́; ſuſcepiſti, ope etiam, diligentiaq́; iuuiſti tua; ut niſi & te maximum, atq; ampliſſimum fieri cupiam, & factum magnopere gaudeam; ue=rendum mihi ſit, ne non ſatis dignus tuis officijs fuiſ=ſe uidear, tuaq́; beneuolentia.* Maxime *autem me de=lectat; quod hoc meum initium colendi tui, lætæ hila=resq́; tuæ res ſtatim ſunt ſubſequutæ. Spero enim ni=hil mihi ex te non iocundum futurum; ad quem co=lendum, tanta cum uoluptate, tamq́; feliciter acceſ=ſerim.* Heliſabetta *Vrbini* Dux & *Aemilia* Pia, *o=ptimæ, lectiſſimæq́; fœminæ, atq; in primis amãtiſ=ſimæ tui; apud quas eram, cum hæc ſcriberem, iiſdẽ tuis de rebus euentisq́; proſperrimis tibi gratulantur maiorem in modum.* Vale: *meq́; eſſe in ære tuo exi=ſtima, quaſi numum ſi non magni pretij, at certe materiæ probæ. Sexto* Id. *Nouembr.* M D V I. *Vrbino.*

P. B. Ioanni *Baptiſtæ* Pio S. P. D.

LITTERAS *tuas kalen. Septembrib. ſcriptas ad octauum* Idus *Decembris accepi: in quibus erat exemplum earum litterarum; quas ad me dederas*

multo

multo antea, neq; mihi redditæ fuerant. Ita ſit; ut mihi tuæ litteræ uel omnino nunquàm reddantur, uel plane ſero: quod eſt quidem eorum negligentiæ tribuendum; qui a te accipiunt. Nam mei nihil prætermittunt; ut ad me cum tuto, tum celeriter dent: ſi quid habent litterarum. Itaque uidebis poſthac, ſi me amas, cum erit aliquid dandum, cui des: impediri enim uoluptatem meam, quam ex tuis litteris capio, ferre æquo animo nõ poſſum. Sed hæc hactenus. Verſiculi ſuper myrto tui me delectarunt. Sunt autem in illam ipſam ſententiam; quam tibi dixeram me, de Herone ſumptam in illum meum librum coniecisse, quem ad Herculem Strotiũ conſcribo. Quod ais cupere te ſcriptis meis inſeri nomen tuum; eſt mihi quidem gratum; qui tuis ſcriptis immortalitatem alijs afferas, ipſum tibi locum in meis quærere. Sed te uideo Ciceronem imitari; qui, ea facundia cum eſſet, qua nemo; Lucceium tamen rogat, ut de ſe ſcribat. Maxime autem uellem tantum adeſſe mihi facultatis, ut abs te rogandus eſſem; quantum affuit Luceio, ut eum Cicero rogarit. Sed de eo tu uideris; cuius fabula agitur. Mihi quidem curæ erit; ne quid ipſe a me fruſtra petijſſe uideare. Aloiſio Georgio Prætori ueſtro, uiro cum docto, tum plane bono; quem auctum filiolo audio; mihi gratiſſimum feceris, ſi meis uerbis ſalutem dixeris, eiſq; gratulatus. Vale. Sexto Id. Decemb. M D V I. Ex Vrbinatium finibus apud Metaurum.

P.B. Iulio

P. B. Iulio Tomarotio S. P. D.

MITTO *ad te eos meos uerſiculos; quos ad urbem cum eſſem, abs teq; tuos illos politiſſimos elegos accepiſſem, tibi receperam me miſſurũ. Quod quoniam aliquanto ſerius fit, quàm tibi ſum pollicitus; habebis tu quidem eos, non ſolum cum uſura, ſed etiam cum anatociſmo.* Nos *hic cum* Iuliano, Caſtilione, Cæſare *amantiſſimis tui; quibus quidem nihil eſt humanius, nihil comius; dum* Romam *repetendi, uosq; inuiſendi tempus idoneum fieret, libentiſſime commorabamur: non ſine creberrima recordatione, cum* Phedræ *&* Portiorum, *et* Magdalenæ, *maximeq;* Sadoleti; *cuius quidem* Curtius *ualde eſt hic in hominum oculis; tum in primis tui.* Beroaldus, *cum itineris incommoda, & anni æſtum nobis leuiorem feciſſet ſua comitate, triduum nobiſcum commoratus; recta* Bononiam *abijt.* Terpãder *ab hilaritate ſua non diſcedit: niſi quod in* Petrarchæ Poëmata *mirabiliter incubuit. Qua in re præter quod ſæpe me conſulit; etiam adiutore utitur* Cola *meo, ſic tamen; ut illi iam prope non concedat. Quid? quæris.* Nihil *ſibi amplius eſſe uult cũ* Romanis *ſcriptoribus.* Hetruſce *poſthac & loqui et ſcribere cogitat: ſibiq; pollicitus eſt, ſi eo neruos intenderit ſuos, magnum ſe poëtam illorum lingua breui futurum. Quoniam ex pollicis offenſione laborabam, hæ ſcriptæ litteræ non erant mea manu.*

Vale:

Vale: meq́; mutuo dilige. *Quarto kalen. Sept.* M D V I I. *Vrbino.*

P. B. Ioanni Baduario, Legatum Romæ agenti. S. P. D.

ARIMINENSEM *Præturã tibi proximis ſuffragijs, magno ciuitatis conſenſu fuiſſe delatam, ipſi, an reip. gratuler; neſcio. Quãquàm enim hac ſignificatione comitiorum uoluntatis, nihil poßit eſſe optabilius, bono præſertim uiro, gloriæq́; ſplendorem, qua ſuorum ciuium iudicio proficiſcitur, recte æſtimanti, & amanti ſuos: ea tamen tua uirtus eſt, ea prudentia, uitæq́; ratio; ut quotiens aliquod munus in te confert noſtra ciuitas; confert autem iã fere ſemper, cum poteſt; ſibi ipſa magis, quàm tibi prope conſuluiſſe uideatur. Sed faciam utrumq;. Nam cum tibi ex animo, uereq́; gratulor: utq́; uoluptati, dignitatiq́; is tibi magiſtratus ſit, uehementer opto: tum reip. lætor; quàm quidem plane confido magnum ex tua prudentia in illo obeundo fructum & uoluptatem eſſe capturam. Mihi uero; qui profecto quanta te obſeruantia uſque a puero coluerim, ipſe optime ſcis; hæ tuæ honorum acceßiones tam iocundæ ſunt, tam gratæ; quàm cuiuis tuorum: Cui etiam illud gratißimum; quod ea de cauſa celerius te, quàm putaram, uidebo. Comiti Purliliarum, Scribæq́; tuo Paulo ſi multam ſalutem dixeris meis uerbis; mihi pergratum feceris.* Vale.

in re ſcio equidem mihi neque uituperatores unquã, neque laudatores defuturos. Quas enim quiſque artes atque ſtudia coluit maxime; ea laudat: damnat autem improbatq; facillime; quæ neglexit; quo recte ipſe ſenſiſſe uideatur. Sed ſi plures bonos uiros noſtrum conſilium delectabit, quàm offendet; feremus æquo animo, eſſe non nullos; quibus ſua uitæ ratio, quàm noſtra magis probetur. Quod me de tuis item ſtudijs certiorem facis; gaudeo. quod autem te ais cupere his in locis aliquando atque patrio in ſolo nobiſcum uiuere; tantum tibi reſpõdere poſſum; id iam nihil me minus cupere, quàm tu cupias. Quod ſi Guidus Vbaldus Dux uiueret; efficerẽ profecto, ut eſſe hic optima conditione, quàm diu uelles, tibi liceret. Nunc hic dies aliam uitam, alios mores poſtulat. Verũtamen quoniam ijs de rebus te ſcribis litteras ad Odaxium dediſſe; cum is Patauio redierit, rem cum illo communicabimus; tibiq; certi aliquid perſcribemus. Vale. XVI kalen. Decembr. apud Metaurenſes.

BONONIAM.

P. B. Federico Fregoſio, Archiep. Salern. S. P. D.

AD XIIII *kalen. Ianuarias Vrbinum uenimus integro, ſed plane feſſo comitatu; cum uſi eſſemus cœlo interdum bene pluuio, ac nũquàm non lutoſiſſima uia. Suſcepti ſane frigide fuimus. Parum lætitiæ in ædibus, parũ hilaritatis. Vrbis etiã prope*

idē, qui ſemper uultus. Noſter autē Fortunatulus omnino ψυχρότατος. Sed eſt ſpes poſſe illū caleſcere, ſi ad ignē acceſſerit, quē illi noſtræ Promethides de ſole furatæ, attulerunt. Nā, ut nunc quidē ſe res habet, adhuc flammam e longinquo ſpeculatur. Octauiano fratri tuo præter quartanam omnia recte, & eam quidem non permoleſtam. Itaq; Romam cogita ante kalen. Ian. Bibienam hodie aut ad ſummum cras expectabamus. Anni mihi dies ſinguli fiunt, dum illum uideam; dum eius hominis ſuauiſsimis congreſsibus, amantiſsimis ſermonibus, ſalibus, iocis, uultu, amore deniq; totos dies, magnam etiam noctiū partē fruar. Mihi quidem ægre eſt, quod te ſocium eius meæ uoluptatis non habebo; cui omnino nihil deeſſet, tu ſi adeſſes. Sed homo mirus iſthic eſſe mauis, ubi te homines magno cum imperio eſſe uident; quàm hic, ubi tu alios uideres rerum omnium dominos, itaque etiam tuarum. Paleotto multam ſalutem: in quo amando neque tibi, neque ulli omnino concedo, cum optimarum artium magnæq; doctrinæ uiro, tum cādoris, fidei, ſuauitatis miræ. Ei etiam uelim referas, de primis decennalibus quod petebat, ludos fuiſſe ita dictos propterea, quod decimo quoque anno fierent: quemadmodum ſæculares, qui confecto ſæculo celebrabantur. ij cum primum inſtituti ſunt, primi Decēnales uocati in illius Imperatoris titulos, qui eos inſtituit, acceſſerunt, re, nummis æreis inſcripta. Eos celebraſſe alterum ex Gallienis Pollio auctor eſt; qui tamen non Decennales eos appellat,

Sed

Sed Decennia, quàm appoſite, ipſe uiderit: mihi certe non probatur. Nam etiã Quinquennales apud Tranquillum, ij ludi dicti, quos ad Actium Auguſtus inſtituit. Non enim ita dicimus Decennia; ut Floralia, Cerealia, Rubigalia. quod Decennia proprium uocabulum eſt alterius rei: Floralia uero & Rubigalia nullius, præter ludorum. Sed in Pollione multa inepte. Itaque redeo ad Camillũ: cui etiã dicito, Blanchinum noſtrum ſaluere iubeat meis uerbis, hominem ſane perelegantem, & quem ego plus diligo; quàm quod una cõgreßione poſſe confici exiſtimauiſſem. Orationem meam græce ſcriptam & quidem manu mea habebis cum his litteris. Vale. X kalen. Ian. M D I X. Vrbino.

P. B. Federico Fregoſio, Archiepiſcopo Salern. S. P. D.

PVTO te exiſtimare iocundißimas mihi fuiſſe tuas litteras, tam belle, támque amanter ſcriptas. Hui tam cito magnus epiſtolarum ſcriptor es factus, magnus etiam orator. Efficis enim in ijs litteris, ut ualde mihi ipſe diſpliceam, quod Bononia mane diſcedens, in illa tui atque noſtri comitatus digreßione, te non ſum colloquutus: cum tamen totam noctem una fuiſſemus, uno in cubiculo, atque etiã uno in lectulo; neq; aliquid uideretur eſſe reliquum, quo de ſermo habendus eſſet. Cum autem meum librum de Vrbini Ducibus laudas; perficis ſane, ut quas mi-

hi non adeſſe plane ſentio partes egregij ſcriptoris, ijs abundare me tamen putem. Itaque falſo gaudio, tāquàm uero fruor: qua in re cum reſipiſco, bis peccare mihi uideor; & quod te decipi atque labi amore non uideo; & quod me ipſe decipio, tibiq; habeo fidem. Sed profecto, quoquo modo ſe res habet, magnopere lætor te in hoc ſcribendi genere tantum, tāque breui profeciſſe: tum id gaudeo, me abs te eſſe prouocatum. Leonoram nouam nuptam Vrbini Ducem ſalutaui tuis uerbis. Multus de te ſermo inter nos fuit magna cum tua laude; cum mihi illa etiam tuas ad ſe litteras oſtendiſſet. Credas hoc mihi uelim: uenuſtiorem, feſtiuiorem, ſuauiorem puellam nunquàm ſum colloquutus: quæ cū ingenio eſt amabili; tum mehercule prudētiæ notam, omnibus in rebus præ ſe fert in ea ætatula, uix credendam. Quid? quæris. eius omnia mirabiliter me delectant; neque me ſolum, ſed plane omnes, & præcipue, quod maxime optabamus, eius uirum. Itaque, quod ad te ſcripſeram, frigere hic omnia; ita ſane tum per illos dies fuit. Sed poſtea quàm cum illa tandem puer eius cōſuetudine moribusq; delinitus concubuit; nihil illo amantius, nihil ardentius. Nam illa nocte nuptiali, quæ nox ante diem octauum kalen. Ianuarias fuit, quàm in eius complexu primam confecit, ita exultauit gaudio; ut cum mane ad eos mater accederet, ipſe e lecto occureret prope ſine ueſte, matremq; cōplexus deoſcularetur pene lætitia deſipiens. Neque reliqui deinceps dies minus hilaritatis habuerunt. Ipſe etiam

ſe etiam ſe Dux *beatiorem in dies, fortunatioremq́; nuncupat; qui quidem hanc puellam coniugem habeat. Sed hæc atque alia ex tuis, qui cum his ad te litteris ueniunt, melius intelliges.* Tullianos *codices, quos tibi recepi me miſſurum, cui darem ſi habuiſſem; antea dediſſem.* Heri*, cum tuos haberem, quos quidem primum ſcirem ad te uenturos & perferre poſſe; eis dedi. Quam ob rem uelim ne me accuſes, ſi minus celeriter tibi reddẽtur, quàm tua expectatio fuit.* De Romana *profectione nihil poſſum tibi certi ſcribere quo tempore: puto tamen, ut cõiectura aſſequor, propediem. Illud eſt plane firmũ nos profecturos. Vbi, ſi per* Pontificem *licebit, tam diu morabimur; dũ nos inde æſtatis calor extrudat: Sin is tam longam moram non perferet; quo minus* Romæ *menſem* Martium *conficiamus, iam ſe* Dux *pollicitus eſt nihil impediturũ.* Camilli Hexametros *adhuc fruſtra expectamus, & ut uereor, expectabimus. Ei tu, ſi me amas, hac de re auriculam uellito, hominemq́; admoneto. Vale. kalen.*Ian. M D X. *Vrbino.*

P. B. Federico*, Arch. Salern.* S. P. D.

GAVDEO *te in plurimis maximisq́; occupationibus, & rerum cum publicarum, tum domeſticarum grauiſſimis perturbationibus implicitum; ſtudiorum tamen communium, et litterarum noſtrarum curam non abieciſſe. Valde enim mihi perſuadeo; qui*

deo; qui difficillimo, ac turbulentiſsimo tempore ſcriptites omnino aliquid ac commentere; fore, ut nunquàm quidem abs te, tuus hic & prudenter ſuſceptus, & iam, ut uideo, præclare confirmatus ſcribendi labor intermittatur: Quæ res quanta tibi in poſterum ornamenta, quot uoluptates ſit paritura; ipſe per te; ſi ad ea, quæ multi his ſtudijs conſequuti ſunt, animum adhibebis; facile perſpicies. Nunc uenio ad tuas litteras. Quibus in litteris, quod te ais integro ac forti animo eſſe in hac euerſione rerum tuarum; id me ſummopere delectauit. Quãquàm quidem nollem te iſto uerbo uti. quam enim tu rerum tuarum euerſionem appelles, non uideo; incolumi Octauiano fratre tuo: qui etiam parũ abfuit; quin res atque fortunas omneis euerteret inimicorum ueſtrorum. Itaque cupio te, cum conſtanti animo ſis, etiam orationem afferre non imbecillam, Sexcenta ſunt; quæ te in eam ſpẽ adducere poſſunt, ut cogites, ea ipſa, quæ quidem nunc aliter ac cupiebamus ceciderunt, breui reſumptura eſſe ſuas uires: & firmiori quàm antea gradu, quo progredi cœperant, peruentura. Sed nolo ea commemorare; ne præripere tibi uidear parteis prudentiæ tuæ. De diſceſſu tuo quod ſcribis; doleo impediri te. Puto tamẽ te id ipſum multo antea præuidiſſe; itaque animo etiam occaluiſſe ad eam fortunæ iniuriã quã leuiſsime perferendam. Quod moleſte fers me ad te cum reliquo comitatu non ueniſſe; agnoſco amorem erga me tuum: qui cum tibi chariſsimos eoſdemque

tui amãtiſsimos uno tempore permultos tecum præter ſpem habueris; quorum omnium optatiſsimis cõgreſsibus, ſuauiſsimisque ſermonibus fruerere; me tamen etiam adeſſe concupiuiſti. Quod ſi tibi accidit; quem tu debes exiſtimare meũ illum dolorem fuiſſe; qui uobis omnibus caruerim tam diu? Sed hæc aliquando ſarcientur. Erant *cum tuis litteris Sacerdotis* Lauræ *litteræ ad me; cui ſtatim reſcripſi.* Heliſabetta Dux *cum lectica iter lentiſsime feciſſet propter febrim; heri* Vrbinum *uenit perueſperi: poſteaq; ei meliuſcule fuit.* Itaque *ſpes eſt ipſam breui conualituram.* Vale. V Id. Aug. MDX. Vrbino.

P. B. Federico, Arch. Salern. S. P. D.

CVM *hæc ad te ſcriberem; præter onerarias naues, quas quidem milites noſtri conſcendebant; nullæ omnino apparuerãt, quibus uti poſſem ad proficiſcendũ.* Itaq; *loco plane incommodo detinemur, littus & mare proſpectantes. quã ſane rem ſi præuidere omnino potuiſſem; &* Octauianum *fratrem tuum iſthic expectauiſſem; quem quidem plurimis maximisq; periculis elapſum, domum redeuntem uidere, atque amplecti magnopere cupiebam; & meo in lectulo has ipſas noctes cõfeciſſem: quas ut inſomnes ducerem, & importuni culices, & aſsidui calonum & lixarum clamores effecerunt.* Nunc, *quoniam nihil horum futurum putaui; pœnas perſoluo:*

non

non quidem deſidiæ atque inertiæ, ut noſtri milites; Sed mehercule diligentiæ ac celeritatis. Itaque illud rectius σπεῦδε βραδέως, cuius ſentẽtiæ, quoniã in profectione noſtra domũ nihil meminimus; cũ mihi erit redeundum, ea me ſpero plane uſurum. Sed heus tu, quid mulieres ueſtræ, quid Dux; quàm uos reliqui proceres rem agitis? Quid mea Hippolyte; heretne illa in Secundianis, an in Triultianis plagis? O me illepidum & plane inſipientem; qui meos amores bellicoſis hominibus, prædæ ac rapinæ relinquẽs, in littore atque arena conchis ipſis ignauior, & ſtupidior ſedeo. Ei tu tamen uelim multam ſalutem. Vale. x kalen. Iul. MDXI. De Ceſenatico portu.

P. B. Federico Fregoſo, Arch. Salern. S. P. D.

VERSICVLOS meos; quos quidem dum huc uenio, in itinere compoſui, ut uia, dum tecum quaſi loquerer, minus moleſte conficeretur; mitto ad te. eos tu, qui otio abundas; & Caſtalio, quem quidem exiſtimo, bello caſtris amiſſis excedentem, ad noſtras litterulas et Muſarum ſtudia reuerſurum; uel abſtergite; puluerulenti enim ſunt; uel concerpite. Naues longæ hoc in loco, quas conſcẽdam, adhuc quidem nullæ ſunt: aiunt tamẽ ſingulis horis affuturas. eas mihi ſtatutum eſt expectare. Ducibus ambabus, & Aemiliæ meis uerbis multam ſalutem, & lepidiſſimæ Margaritæ, & multorum amantiũ

Hippolytæ,

Hippolitæ, & Alexandro Triultio riuali meo. Vale. XI kalen. Iul. MDXI. De Ceſenatico portu.

AD LYGDAMVM.

Heu diuerſa tuis quàm ſunt mea Lygdame fata:
Vt nos non uno uerſat in orbe DEVS.
Tu, quod amas, crebro inuiſis; longumq́; tuendo
Aegrum animũ, atq; auidos paſcis amore oculos:
Et lateri admiſſus iocundos aure ſuſurros,
Pendulus & fragrantem excipis ore animam:
Summa uel auratæ ſuſpendis baſia mitræ;
Dum loqueris uacuam blandus ad auriculam:
Leuibus aut raptum digitis, teretiue lacerto
Molle decus domina non renuente geris:
Et trabis a prima ſerus conuiuia nocte;
Dum ſol frenatos ad iuga poſcat æquos.
At mihi longinquæ gentesq́; urbesq́; petuntur;
Vt toto a domina ſeparer orbe mea:
Et modo nimboſas mannis tranſmittimur alpes,
Saxaq́; uix ipſis exuperanda feris:
Nec cæci nemorum tractus ſuſpectaq́; luſtra,
Nec tardant noſtras flumina adaucta uias:
Interdum audaci uaſtum trabe currimus æquor;
Velaq́; noſtra ijdem uenti animamq́; ferunt.
Qua tamen in terra eſt mea lux, conuertor ad illam;
Et fruſtra Eurydices nomen in ore meo eſt:
Atq; ita coniunctorum animis & amore duorum
Alteri adeſt ſemper quod cupit; alteri abeſt.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM FAMILIARIVM.

LIBER QVINTVS.

P. B. Dominico Contareno, Patriarchæ Veneto S. P. D.

VELLEM *profecto & uehementer cuperem; ut, quoniam in ea, quam* Bernardus *Bembus pater meus tecum habet, magna & perueteri familiaritate, atque cõſuetudine, & mea ſumma erga te multorum annorum obſeruantia, tamen adhuc nullas ad te litteras dedi; ſcribendi quidem initium lætiori a re atq; cauſa mihi facere licuiſſet: quàm id eſt, quod me, ut ad te ſcriberem, impulit.* Sed *ſi ita caſus tulit, ut qua de re uerba fieri mihi ſemper moleſtiſsimũ fuit, tibi fore pro tuo erga nos amore, atque beneuolentia exiſtimo; ipſe in eo nunc quàm maxime auxiliũ implorarem tuum; feram animo æquiore, propterea, quod negotium eſt eiuſmodi; ut neque ego iuſtiorem cauſam habere poſsim ſupplicandi tibi, neque tu concedendi mihi.* Peto *enim abs te, ut* Antoniæ Marcellæ *ſorori meæ, fœminæ innocentiſsimæ,* Marcelli *eius mariti meretricio amore animus turpi-*

ter abalienatus per te reſtituatur. Nam quoniam apud illum adhuc, neque bonorũ hominum, & grauiſsimorum auctoritas, qui illum monere non deſtiterunt; neque cum noſtræ cæterorum, tum Bembi patris mei expoſtulationes iuſtiſsimæ, preces etiam prope quotidianæ, dolor ipſe noſter, lachrymæ, pietas, pudor, nihil ualuerunt; tu nobis unus reliquus es, ad quem confugeremus. Præes enim religionibus ſacriſq́; noſtris. Itaque coniugiorum leges tibi conſeruandæ in primis ſunt: Semper enim habitæ ſunt ſanctiſsimæ. Quas quidem leges, quia temere non ſolum negligit, ſed plane etiam proterit, conculcatq́; ſororis meæ uir, omnium hominum impudentiſsimus Marcellus; cum per te debes ipſe non ferre eam indignitatem; tum, quoniam eo perducta res eſt, ut niſi abs te aliquid nobis adiumenti proficiſcitur, nihil ſit plane reliquum ſpei; curãdum tibi certe eſt; ne ſoror mea, ne pater, ne mater, ne uniuerſa noſtra familia, cum a te uno, quaſi a ſacra ancora huius noſtræ tempeſtatis fruſtra perfugium petierimus; ab illius impura audacia, tanquàm ab infami ſcopulo naufragium paſsi, ſecure tandem, ac plane libere irrideamur. Nam ut adhuc ſe res habet; quãquàm parui is quidem facere DEVM *atque homines uidetur; te tamen, ac tuum iudicium ueretur, ceſsiſſe ſibi reliqua omnia exiſtimans. Quod ſi te etiam peruicerit; conclamatum negotium erit: nos ille atque ſe perdat neceſſe eſt. Nolo tibi commemorare quot, aut quantas indignitates Antonia ſoror,*

uniuerſum

uniuerſum biennium pertulerit; dum prudens atque optima mulier, humanitate, pudore, continentia, patientia, labore etiam ſummo ſuo, quodq́; in huiuſmodi rebus ſolet eſſe difficillimum, taciturnitate, uiri improbitatem, perditiſſimosq́; mores placare ac flectere in melius cupit. Pudet me ſcribere, quæ cõuitia, quas offenſas, quantam, & quàm inauditam arrogantiam in nos ſingulos a Marcello profectam obliuiſci, quàm ulciſci maluerimus, ſperantes fore; ut uel rei familiaris ſuæ, uel dignitatis iactura; quarum utrarũque ab illo magna diminutio facta iam eſt; uel ipſa etiam die, ætate iam deferueſcente admonitus, uel ſatietate peccati ſæpe, ut fit, ſuboriente, ipſe ſe tandem reſpiceret, atque expergiſceretur; deq́; noſtra facilitate atque indulgentia magis etiam nos amaret. Audio autem Bembum patrem meum cauſam ad te detuliſſe; teq́; rei atrocitate permotũ, iudicium facere ſtatuiſſe pro tua pietate; idq́; iam cœptum eſſe agi. Quod ſi te ille omnia edocuit; nihil eget res mea commemoratione: Sin te aliqua celatũ eſſe uoluit; uerecundia puto ipſum id feciſſe, moleſte ferentem palam fieri, unicam ſe filiam ſuam, tã impuro homini nuptui tradere uoluiſſe. Quamobrẽ non permittam, ut patris mei conſilium reprehendere uidear; ſi quæcũque poſſum ulcera, noſtris animis ab illa labe impreſſa, inuſtáque retexero. Satis hercle illum nobis etiam tacentibus ea condemnant; quæ uel ipſe a ſe facta eſſe non pernegat, uel Marcellorum omnium, propinquorumq́; eius cæterorum

ſermonibus

ſermonibus prædicantur. Neque tamen eo nunc ad te ſcribo; quod tam piam, tam iuſtam cauſam, tam apertam, tam per ſe explicatam egere exiſtimem patrocinio meo, apud te præſertim; cui quidem pro tua integritate, ſanctitate, prudentia, nec monitore opus eſt, ad ea quæ recta ſunt aggredienda: nec hortatore ad conficiēda. Sed quoniā Antonia ſorore mea, nihil mihi prope in uita charius a Dijs immortalibus relictū eſt, nihil iocūdius, non poſſum facere, etiam ſi minus neceſſe eſt, quin te rogē atq; orē, te ut uindicē præbeas eius iniuriarū: mulierēq; plane probā, ſubleues iacentē, deluſamq; indigniſsimis modis. Qua in re uidēdū tibi imprimis eſt, ne Marcello tibi aliquid recipiēti credas, etiā ſi arā tenens iurauerit. Eſt enim omniū hoīum cū exblādiri et polliceri paratiſsimus; tum certe multo etiā perfidiſsimus. Nihil illo mitius uidetur, nihil blandius, nihil etiam ſanctius; dum a te, quæ uult, impetret: impetrata re neq; te, neq; fidem ſuam, neq; piū quicquā aut fas omnino, neq; DEOS ullos nouit. Inſtes, urgeas hominē, cōcludas, nihil ei des, nihil remittas neceſse eſt; dū uniuerſum negotiū conficias: quod ni feceris, iā tibi hoc prædico, tuis e manibus elabetur; teq; ac tuū iudicium eluſerit: Tū ad peccatum redibit pronior; deq; nobis, quaſi de uictis hoſtibus, multo intolerantiſsimus triumphabit. Quod quoniam ferendum non erit; dabit ille mediusfidius ſuorum ſcelerum pœnas alia uia. Itaq; redeo ad id, quod antea dixeram; nos atq; ſe Marcellus plane perdat neceſse erit; niſi tu negotium pro tua dignitate

gnitate confeceris. Quamobrem nō ſua minus intereſt, quàm noſtra, nihil abs te ſe impetrare; ſed modis omnibus compelli, & cogi diſſidium cum illa peſte facere. Quod ad te attinet; profecto quia nobis neque maius, neque gratius, neque optabilius accidere quicquàm poteſt; quàm ſi dederis operam ut hæc ita, ut uolumus, æquúmque eſt, conficiantur; quantum tibi ſinguli debebimus, ipſe facile iudicabis. De Marcello etiam ſpero fore; ut cum ſe ille meretricia conſuetudine, plena infamiæ, plena calamitatis, liberatū per te, ſolutumq́; ſedato animo atq; pacato cognorit; tibi gratias maximas agat; quod illum belluarum more ſine pudore, ſine lege, ſine ullo officio degentem, ad hominum uitam, rationemq́; traduxeris. Vale.

Non. Iul. MDX. Vrbino.

P. B. Sigiſmondo Fulginati S. P. D.

LIBRVM; quem de Guido Vbaldo Vrbini Duce, deq́; Eliſabetta eius uxore nuper a me confectum, ad te his cum litteris attulit Iacobus Sadoletus meus; peto abs te, ut diligenter perlegas: quæcunque tibi, quacunque de cauſa non probabuntur; uel deleas ipſe, uel corrigas. Nolo exeat, in lucemq́; prodeat; niſi tu eum prius expenderis, adhibuerisq; ei limam iudicij tui. Quē te laborem ſuſcipere propterea erit æquiſſimū; quod primas, potioresq́; parteis eo in libro ſuſtines. Id autem eo feci; cū ut tua grauitas,

grauitas, atque perſona ſcriptis afferret noſtris au-ctoritatem; tum uel maxime, ut omnibus hominibus teſtatum facerē, quantū tibi et doctrinæ tuæ tribuā, quantumq; te amē. Ipſum autē librum libētiſsime Iulio Pont. max.º hero tuo dicauiſsem: quid enim illi non debeam; cuius ea nuper in me liberalitas extitit, ut propterea meis ſtudijs otium honeſtiſsimum comparatum putem, ſi ea hoc in libro tractarentur; quæ quidem eius uiri amplitudinem & maieſtatem poſſent ſuſtinere? Itaq; quoniam mihi leuior ſane atq; ieiunior, omnis horum ſermonum ratio uiſa eſt, quam cui tantū oneris imponatur; dabo operā, ut illi quaſi frugem aliquam aliquādo afferam meorum ſtudiorum, ſi non optimam, at certe minus inanem. Vale. VII kalen. Decem. MDX. Apud Metaurenſes.

P. B. Sigiſmondo Fulginati S. P. D.

AVRELIVS Superchius Piſaurenſis non ſolum legum & Iuris ciuilis ſcientia, ſed uniuerſæ etiam humanitatis, & optimorum tum ſtudiorum, tum morum elegantia præſtantſsimus, Bernardo Bēbo patri meo multis ex cauſis unice charus, a me non minus diligitur; ac ſi mihi eſset frater: Itaq; eius rem atq; fortunas omneis ita tibi commendo; ut maiore ſtudio, cura, diligentia, contentione animi commēdare nihil poſsim. Scit is iampridem ex me ipſo, atq; ex meo quidem nuper dialogo de Vrbini Ducibus, quātum te amem; pollicitusq; ſibi eſt, nihil ſe abs te fru-

ſtra nobis rogantibus petiturum. Ea *ſpes ne ipſum fallat, etiã atq; etiam te rogo.* Habet *is fratrem* V*alerium medicinæ artis profeßione clarum; poëticis etiam & rhetoricis ſtudijs illuſtrẽ, omni lepore, omni ſuauitate, urbanitateq́; perpolitũ: cuius & huius* Aurel*ij una cauſa eſt.* Homines *optimos, honeſtißimos, ſui municipij facile principes, alienis etiam hominibus charißimos, indignißime tractatos intelliges.* Eos, *ſi tuo beneficio tibi deuinxeris; cum uberem fructum capies ab eorum gratißimis animis; tũ ad tua erga me promerita magnus cumulus accedet.* Hæc *dictaui in lecto, cũ ex ſtomacho laborarẽ.* Vale. Idib. Iul. M D X I. Vrbino.

P. B. Georgio Caßiano S. P. D.

DEBEO *tibi quidem plurimum,* Caßiane, *de iſta ſignificatione amoris erga me tui, deq́; tuis ad me honorifice, humanißimeq́; ſcriptis litteris: quæ mihi gratißimæ fuerunt, non tam quidem quod abundant meis laudibus: quæ ſi ueræ ſunt; tamen ſit uerendum, te id ſuſceptæ abs te beneuolentiæ initijs tribuiſſe: ſin minus ueræ ſunt; non debeo ipſe falſa lætitia frui: quàm propterea, quod cum ignoti mihi hominis, tum plane docti & pereruditi propenſam ad me amandum uoluntatem, ſtudiumq́; præ ſe ferunt.* Quamobrem *ſic tibi perſuadeas uelim; quoniam me amas ipſe, amari te item a me: quia uero & prior tu ad me amandum acceßiſti, & ut ego te*

amarem

amarem, curam, ſtudiumq; adhibuiſti; me etiam daturum operam, ut quod ſerius, quàm tu facere incipio, id ipſum amantius, ardentiusq; perficiã: ut eius mora tẽporis; quod a me prætermiſſum eſt, tu præripuiſti; cura mea diligentiaq; ſartiatur. Vale. Non.Iun. MDXI. Vrbino.

P. B. Ioanni Medici Cardinali Legato S. P. D.

MAGNA *me lætitia, magna uoluptate affectum eſſe, de tuo, deq; Iuliani fratris tui tam ſecundo in patriam reditu; de hac in uos tam propenſa* Deorum, *hominumq; uoluntate, etiam tacente me, puto tibi eſſe perſpectiſsimum.* Nam *quoniam propter ſummam meam uſque a puero, erga patrẽ tuum, quo ad ille uixit, primum, deinde utrũq; ueſtrum obſeruantiam, plurimis tuis in me beneficijs auctam, illius etiam longa familiaritate, ac quotidiana multorum annorum conſuetudine, ſuauiſsimoq; conuictu confirmatam, quantæ mihi curæ ſemper fuerit incolumitas, dignitas, amplitudo ueſtra; nemo te melius intelligit: exiſtimare te certo ſcio, putare me, non modo non alienos a me homines fortunis ſuis, patriæ, laribus, ueſtro reditu; ſed me ipſum meis, quaſi ijs caruerim, fuiſſe reſtitutum.* Id *cum ita ſit; minus profecto neceſſe fuit tibi me per litteras gratulari: cui quidem ſcires eum nuntium, aut parem uoluptatẽ ueſtræ uoluptati, aut certe multo proximã, multoq; coniunctiſsimam attuliſſe. Quamobrem nũc*

quidem eius generis ad te litterarum nihil dediſſem, prorſusq; ſiluiſſem. Quid enim uerbis opus eſt; ubi res ipſa, tanquàm ea, quæ oculis cernuntur, ſic animo, ſenſibusq; percipitur? Sed ut uerum fatear, capio quandam in ſcribendo quoque uoluptatem; quæ me mirifice delectat: quod ſane accidere propterea exiſtimo; quia cum magnam aliquã lætitiæ uim, atq; cumulum ſenſibus noſtris hauſerimus; ea lætitia intus ſi continetur; obruit quaſi animum ſua magnitudine: Sin eius quidem partem animus intra ſe continet, partẽ euagari ſinit foris; tamẽ et quæ remanet, nihilominus nos oblectat: habet enim eandẽ originẽ, fontem, ex quo deriuatur, ſpeciem ſcilicet illã ipſam boni; in quam intuẽs animus uoluptatẽ afficitur: & quæ ad alios emanat; eo ipſo, quod cum nobis chariſſimis hominibus, eiſdemq; noſtri amantiſſimis cõmunicatur, pergrata nobis, perq; iocunda eſt: itaque duplo nos hilariores facit. Id ſi accidere tuo animo ſolet; quẽadmodum ego exiſtimo; coniecturã enim facio de meo: nõ uereor, ne intempeſtiuam, minimeq; neceſſariam hanc noſtrã gratulationem putes. Gaudebis enim tu quidem non ſolum, quia tibi reditum in patriam aperuiſti, pulcherrimam, florentiſſimamq; Vrbem: Cuius ne mœnia quidem e longinquo aſpicere duo de uiginti annos tibi licuit: aut quia fratri tuo, optimo, ac præſtantiſſimo uiro, illuſtres affinitates, iocundiſſimas clientelas, auitos atq; paternos lares, opes ampliſſimas atq; honeſtiſſimas, ciuitatem deniq; ipſam, ac principem in ciuitate locum maiorum

rum ueſtrorum, uobis quaſi per manus traditum, reſtituiſti: quæ quidẽ omnia tibi atq; illi leuiſsimi, improbiſsimiq; ciues, inimici ueſtri per ſcelus atq; perfidiam eripuerunt: Sed *& propterea, quia magnus, ac prope infinitus numerus, eorum hominum eſt; qui ex hoc euentu rerum ueſtrarum, incredibilem uoluptatẽ præ ſe ferunt: quod cum eſt ipſum iocũdum per ſeſe atq; dulce:* Quid *enim dulcius; quàm ſecũdis noſtris rebus, gaudere, atq; lætari quàm plurimos?* Tum *tuæ tibi uoluptatis cum multis cõmunicandæ præbet occaſionem: quod, ut dixi, ſolet eſſe iocundiſsimum.* Quoquo *enim me confero; ſane præſto ſunt, qui nõ modo tibi apud me gratulẽtur; ſed me hercule etiam mihi. qua una mea uoluptate, nihil eſſe poteſt delectabilius.* Itaq; *primum tibi, uti debeo gratulor; quod eas res tua prudẽtia confeciſti; quæ tibi otium, dignitatem tuis, ueſtræ familiæ ſplendorem, omnibus prope hominibus cum uoluptatem parerent; tũ multo maxime ſecuritatem, et tranquillitatem.* Nemo *enim non exiſtimat, pacem, atq; ſalutem* Italiæ, *plurimum in tua iſta domum reditione contineri.* Deinde *etiam patriæ tuæ gratulor; quæ ut olim uobis unis a reip. gubernaculo reiectis; quos erat quidem ueriſimile optimam regendi artem a patre ueſtro, uiro ſapientiſsimo didiciſſe; pene obruta fluctibus eſt ciuilium bellorum; ita reuocatis nunc & reſtitutis, recto ſemper curſu, & ſecunda nauigatione eſſe uſuram, ſperare atq; confidere debemus.* Quæ *cum ita ſint; deos oro atq; obſecro; ut quæ incommoda, quos la-*

 bores,

bores, quas denique fortunæ iniurias, nulla ueſtra culpa, domo eiecti, tam longo in exilio patienter, conſtantiſſimeq; pertuliſtis; eorum malorum omniũ, tot atq; tantorum, memoriam in animis ueſtris aut nullam reſidere, aut omnino leuiſſimam faciãt, perpetua ueſtra in poſterum incolumitate ac felicitate. Quod erit; ſi domi fratri tuo parem gratiam eius uirtuti, tibi, Romæ dignitatem tuis plurimis in Rẽp. Chriſtianam meritis non minorem tribuerint. Vale. Idibus Septemb. M D X I I. *Roma.*

P. B. *Federico Veterano, bibliothecæ Vrbinatis magiſtro* S. P. D.

LITTERAS *abs te; quibus quidem litteris de remittendis Origenis libris nos admoneres; præter unas illas, quas Vrbino ſexto Idus Auguſti dederas, plane nullas accepi. Eæ ſi mihi redditæ fuiſſent, quas ſcribis dediſſe te; cum tibi reſcripſiſſem; tum morem etiam, ut debui, geſſiſſem. Debeo autem & humanitati tuæ plurimum, & liberalitati; qua me ſemper es proſequutus: doctrinæ etiã tuæ ſtudijsq; litterarum ita afficior, ut me hercule amore atq; beneuolentia te mihi eſſe coniunctiſſimum putẽ. Nunc quoniam ita te uelle intelligo; ſcripſi Paulo Monacho daret operam, ut ij quàm primum libri remitterentur. Eas litteras dedi Colæ meo. Nam propter eos motus, qui Florentiæ ſunt, Ciuilium bellorum, iſtinc, ut arbitror, Camaldulum cum tutius, tum*

tum etiã facilius perferentur.

Vale, & me, ut facis, ama. Pridie kalen. Septembris MDXII. Romæ.

P. B. Octauiano Fregoſio S. P. D.

SI rarius ad te ſcribo, quàm mea conſuetudo fert; nolo te propterea exiſtimare me aut uoluptate, quàm ex Federici fratris tui beneuolentia, maximam atq; incredibilẽ capio, quotidianiq; noſtri uictus ſuauitate, ac dulcedine delinitum; aut fractum Vrbanis delicijs, præſertimq; Vaticanis: ſum enim cum illis fortunæ filijs ſæpiuſcule; pigerrimum in ſcribendo eſſe factum. Nam ſum adhuc quidem, ut ſoleo, impiger; aut etiam aliquanto pluſquàm ſoleo: ſcriboq; fere ſemper aliquid: uideo enim fratri tuo id placere. Sed quoniã te audio a regendis exercitibus, bellicisq; rebus, repente ad otium, litterulasq; noſtras defluxiſſe, totosq; dies legendis libris conſumere; interpellare te nolui; quo minus, quod tuum ingenium eſt, cõficere in noſtris ſtudijs aliquid poſſes eiuſmodi; ut id mandare carminibus Sadoletus noſter uelit; quemadmodũ res tuas Alexandrino bello geſtas nuper mãdauit: quo in opere de fratre tuo, deq; eius egregia, ſingulariq; uirtute, ſumma cũ laude quædam cecinit, non ſine illuſtri teſtificatione, ſuæ in utrunque ueſtrum beneuolentiæ atq; amoris. Quos ad te uerſus his cum litteris perferendos dedi; non quo illum aut plus amares, id enim fieri poſſe

uix puto; aut pluris faceres; cum te ſciam illum tã=ti ſemper feciſſe, quanti aut paucos, aut omnino neminem doctorum hominũ omnium: ſed ut cognoſceres te ab illo & fieri plurimi, & ſummopere amari: tum ut lætarere, quemadmodum Hector *ille* Neuianus; *cum intelligeres laudari te a laudato uiro. Quanquàm quidem ſi ea uera ſunt, quæ is de ueſtro inter uos fraterno amore, beneuolẽtiaq; commemorat; quæ uerißima eſſe certo ſcio; non tibi eæ minus erunt gratæ laudes, atq; præconia; quæ ab illo fratri tuo, præclara atque eximia tribuuntur; quàm fuerit* Caſtori Pollucis *dolor; quem ille ijsdem carminibus, apud* Iouem *multa de fratris morte quærentem ac plorantem inducit.* Habes *rationem ſilentij mei: quam ſi probas; utar poſthac eodem conſilio, eoq́; libentius; quod quæ ſerio ſcribam, nulla ſunt. Quid enim ſcribi ſerio poteſt hoc tempore; cum omnia, aut temere cadunt; aut unius libidine uertuntur?* Ludere *autem et iocari tecum per litteras plane nolo.* Tibi *enim ſubiratior ſum, ex quo meæ te litteræ, quas de menſe* Octobri *dederam, frigentem iam calefacere non potuerunt.* Sed *redeo ad fratrem tuum; qui ita iam mores inſtituit ſuos; ut nihil profecto uel ad ſtudia litterarum ardentius, uel ad ſui compoſitionem ſedatius, uel ad aliorum uſum, atque conſuetudinem mitius eſſe atque ſuauius illo poßit: a quo cum diſceſſeris, nihil eſt fere lætius nobis tribus* Sadoleto, Paleoto, *me, qui ei contubernales ſumus.* Quanquã *et* Caballus *tuus nos ſæpißime inuiſit,*

homo

homo & perdoctus, & perhumanus, et tui fratris in primis amantiſſimus, & Mutius Arellius fere quotidie, magnæ ſpei adoleſcens, ut ſcis, aut etiam maioris, quàm quod ſcire poſſis: Magis enim magisq; ſeſe in dies comparat, cum ad mores optimos, & ad omnem uirtutem, tum ad poëtices ſtudia; ad quæ natus præcipue uidetur. Quid? queris. fratris tui domus a doctis hominibus mirifice frequentatur: ipſe in oculis eſt omnium, qui modo homines dici poſſunt. Sed hæc ex alijs poteris cognoſcere; illud ex me; hoc in ſtatu rerum atque fortuna, dificillimisq; temporibus ſic illum uiuere; nihil ſibi deeſſe ut exiſtimet; ſi adſit una reſtitutio dignitatis tuæ. Quem ego diem ſi uidero; ſatis me uixiſſe arbitrabor. Vale. kalen. Ian. MDXIII. Romæ.

P. B. Iulio ſecundo Pont. max. S. P. D.

QVOD ad te ſuperioribus diebus liber e Dacia eſt miſſus, notis perſcriptus cum uetuſtiſſimis, tum ætate noſtra inuſitatis atque incognitis, quæq; legi poſſe nullo plane modo uidebantur; perpetuum in eo felicitatis tuæ curſum, tenoremq; perſpexi: quæ cum te maximas adminiſtrantem res, & orbis terræ habenas moderantem, ſupra ſpem, expectationemq; hominum ſemper fuerit proſequuta; eadem nominis certe tui propagandi curam, atque ſtudium, leuioribus etiam in rebus nunquàm remiſit. Nam cum mihi eum librum dediſſes; ut ſi illas interpretari notas,

ri notas, aliqua ratione poſſem, id tentarēm, tibiq́; renuntiarem: uoluere omnes eius paginas, atq; inſpicere diligenter cœpi: quod cum facerem; multo tamen plus in tuo iuſſu ſpei atque fiduciæ, inueniendi id quod quærebam; quàm aut in ſuſceptæ rei facilitate; quæ nulla oſtendebatur: aut, in mea induſtria laboreq́; ponebam. Itaque cum ſingula perſcrutarer oculis; animaduerti in extrema quadã pagina, noſtris litteris, exeſis tamẽ, et dimidiatis, fere ſcriptum uerſiculum; qui oſtendebat illum eſſe librũ notis antiquis perſcriptum: quibus qui uſi fuiſſent, notarij eſſent appellati. Erat autem is quidem liber Higini commentariorum de ſyderibus quædam portio. Eo lecto ſtatim admonitus ſum, rationem eſſe illam Ciceronianam ſcribendi. Tenebam enim memoria Plutarchũ ſcribere, eos, qui notarij appellarentur, a Cicerone originem habuiſſe. Inueniſſe enim illum notas quaſdam; quibus a ſingulis plures litteræ cõtinerentur; illaſq́; docuiſſe librarios ſuos: ut quoniam breui ſcripto multa compræhẽderentur; per eos Senatorum ſententias orationesq́;, quas uellet, dum recitarentur, exciperet, atq; habere ſcriptas poſſet. Eoq́; modo ex Catonis orationibus illam, quam in coniuratos Catilinæ, contra Cæſaris ſententiam habuit, exceptam, & ad ſua uſque tempora ſeruatam ſolam extare. Conſueuiſſe autem antiquos uti notarijs ad ſcripti conficiendi celeritatẽ, non ille modo, quem dico, Plutarchus; ſed Valerius etiam Martialis commemorat: cuius celebres extãt

uerſiculi ea de re: & maxime omnium Auſonius: qui quidem puerum a notis ſuum, longos excurſus ſermonis, punctis pauculis abſoluentem, mirifice laudat dimetris uerſibus. Prudentius *uero*, Caßianum Martyrem, *in ludo litterario pueros etiam eas notas docuiſſe memoriæ prodidit* Epodo *carmine, quod de morte eius conſcripſit.* Quamobrem Higiniano *altero, noſtris litteris ſcripto libro, cum* Dacico *illo collato, ſignificationes uarias, multiplicesq; ſenſus notarum plurimarum percepi: qui quidem ſenſus, non ipſis tantummodo mutatis notis, ſed etiam interpunctionibus notarum parumper uariatis, cōmutabantur multis omnino, ſed tamen certis, & uia quadam ac ratione diſpoſitis, & præfinitis modis: ut in artem redigi, ſi quis adhibere diligentiam uellet, & redire in uſum atque conſuetudinem noſtrorum hominum, poſſe mihi non difficillime uiderentur. Qua cum ex re magnam uoluptatem caperem, quod tibi me in eo cumulate ſatisfacturum arbitrabar; aliquanto etiam maiorem hanc meam uoluptatem illud fecit; quod nonnullos ſciebam, claros atque doctißimos ætate noſtra uiros, quibus eum ipſum librum dederas cognoſcendum, cum peracri diligentia huius rei ſcientiam tuo iuſſu inueſtigauiſſent; nihil omnino profeciſſe. Quam quidem quoniam tibi fortuna occaſionem tribuit; quo rei etiā litterariæ, hac in parte, futurorum hominum memoriæ clarius nomen commendetur & celebretur tuum: incumbe quæſo in eam curam; & animi tui,*

qui

qui ſua magnitudine capere omnia,et complecti poteſt, partem aliquam huic etiam cogitationi largiare; ut & doctis,& probis; ſi qui ſunt, qui profecto ſunt; perquiſitis impreſſoribus mandes,ut hoc ſcribendi genus in lucem reuocent. Quid enim profecto, aut ad tui commemorationem illuſtrius, aut ad doctorum ſtudia hominum accidere accõmodatius poteſt; quàm eiuſmodi artem a Cicerone *inuentam, & in magno honore diu habitam, quod eſſe percommoda uidebatur; amiſſam autem, & ex hominum memoria ſublatam penitus, iniuria temporum annis innumerabilibus; tua nunc demum cura, pietateq́; reſtitui?* Ptolemæum *quidem* Philadelphum, Aegypti, *atque* Attalum Pergami *regem laudamus; quod in cõparandis ad eas bibliothecas celeberrimas, quas inſtituerunt, libris omnem operam adhibuerint: ita pulchrũ ſemper maximis,& in ſummo imperio cõſtitutis hominibus fuit, iuuiſſe ſtudia litterarum,et ingenijs materiam ſuppeditauiſſe optimis ſe in artibus exercendi.* Eam *tu curam, & diligentiam eorum æmulatus, ad illam egregiam bibliothecã* Vaticanam *ab ijs, qui fuerunt ante te* Pontificibus *maximis comparatam, addis, adiungisq́; alteram, non illam quidem librorum numero; ſed cum eorum,quibus eſt referta, probitate atque præſtantia, tum loci cõmoditate,amœnitateq́;, propter elegantiã marmorum & picturarum, ſpeculasq́; belliſsimas, quas habet; ad uſum* Pontificum *multo etiam amabiliorem.* Huic *tu bibliothecæ quod ornamentum, quam*

uenuſtatem,

uenuſtatem, quam etiam auctoritatem addere atque tribuere maiorem poſsis, hoc illius diuini prope hominis inuento in lucem reddito, hac ſcribendi arte reſtituta; plane non uideo. Quod ſi is eſſes; qui nihil unquàm aliud cogitauiſſes, nihil ſpectauiſſes; niſi ea, quæ ſumma conſtantia, incredibili ſumptu, maximis tuis laboribus atque periculis conari atque perficere uoluiſti, ut Romanam *remp. tuæ fidei creditam, in ampliſsimo imperio conſtitueres; tamen eſſet tuæ prudentiæ, tuæq; pietatis ea, quæ ad ſtudia litterarũ pertinent, nõ negligere: ijs enim ſtudijs non pauca, neque ſane ſpernenda uitæ mortaliũ ornamenta, commoditatesq; continentur.* Nunc *uero, cum ad illa, quæ maxima atq; præclariſsima ſunt, ſummi principis officia, hanc etiam leuiorem, ſed tamen gratam & iocundam, & ad cultum animorum aptiſsimam partem adiunxeris, ut otio & litteris conſulendum putares: cogitare multo diligẽtius debebis, quo pacto eius quoque partis explere omnes numeros poſsis.* Non *enim tam ea laudare, quæ quis recte fecerit; quàm etiã repræhendere, ſi quid prætermiſſum ſit, quod recte fieri potuerit; omnes prope homines conſueuerunt.* Atque *ipſe quidem profecto* Cicero, *affici lætitia eſt exiſtimandus, ſi hæc ſentit; cum intelligat ingenij ſui egregia monumenta, quæ tot ſæculis in obliuionis nocte iacuerunt, ad tuam primum notitiam peruenisse: a quo propter rerum geſtarum memoriam, æternitatemq; nominis, nõ minus ſane gratiæ atque ſplẽdoris acceptura ſunt, ſi abs te*

ſi abs te reſtituentur; quàm allatura, quod eam tibi facultatẽ præbuerunt. Qua ſi recte uſus fueris; redeo ad illud, quod initio dixi, ſuo tecum more fortunam eſſe uſam, quod is, ultimis e terris miſſus, in tuas manus liber uenerit: ut perſpiceres, omnibus in rebus, quæ augere tuam gloriam poſſent, tibi illam præſto ſemper fuiſſe, teq; ornare modis omnibus uoluiſſe. XIII kalen. Febr. MDXIII.

P. B. Locum tenenti Magiſtri Rhodiorum, & Conuentui S. P. D.

QVAS mihi gratias de mea in legatos ueſtros opera, & ſtudio per litteras egiſtis; eæ neq; uobis neceſſariæ, & mihi iocundæ fuerunt. Vos enim facile perſpexi maiores in illis habendis beneuolentiæ partes egiſſe, quàm me officij in promerendis. Itaq; ijs ueſtris litteris effectũ eſt; ut plus debere me uobis, propter hoc ipſum tam liberale genus, tãquàm gratum ſcribendi exiſtimem; quã uos mihi propter eam ipſam cauſam, quæ uos ad ſcribendum impulit: cupiáq; ſummopere occaſionẽ mihi aliquã aliquando dari, animum meum ab ineunte ætate uobis, ordiniq́; ueſtro deditum, uberius oſtendendi. Reliquum eſt; ut ſi quid poſthac acciderit, in quo ſtudium, diligẽtiaq; mea eſſe uobis uſui poſſit; id omne ueſtrum eſſe iure optimo exiſtimetis, atq; a me poſſe repeti, pro mea in uos obſeruantia, omni tẽpore ſtatuatis. Quod ut faciatis; a uobis ordineq́; ueſtro, mihi quidem per-

ſancto, atq; a me culto diligentiſsime, etiam atque etiam peto. Tertiodecimo kalen. Ian. MDXIIII. Roma.

NEAPOLIM.

P. B. Rutilio Zeno, *Epiſcopo Sancti Marci* S. P. D.

V IDEO *quã me ames: qui quidem in me laudando a beneuolentiæ erga me tuæ aura, nimiũ prouehi te, atque efferri ſinis. Sed eo tibi plus debeo.* Itaq; *tuæ res mihi ſemper curæ erunt: neq; patiar, quo ad potero, tibi iniuriam a maleuolis hominibus fieri; præſertim ſeni, & aduerſa ualetudine laborãti; &* Bernardi Bembi *patris mei, iam ab ineunte ætate, amantiſsimo. Qui, tametſi quartũ & octuageſimum ætatis ſuæ annum agit; integra tamen ac proſpera ſenectute utitur, atque ad omnia reip. munera obeunda, ut adhuc quidem eſt, plane idonea: quod tibi uoluptati fore certo ſcio; eoq; ſcribo libẽtius.* Leonardo Anſelmo, *uiro frugi, & officioſo, deq; me benemerito, ſalutem plurimam dicito meis uerbis. Vale.* V*aletudiniq; tuæ ſerui.* XIIII *kalen. Sep.* MDXIIII. Roma.

P. B. Iacobo Banniſio S. P. D.

ET *amaui te omni tempore, mi* Banniſi; *egregia enim doctrina tua mihi dudum perſpecta et cognita,*

ſtudiorumq;

ſtudiorumq́; ſimilitudo, atque in primis ſingularis probitas, moresq́; candidiſsimi tui, tibi me iam pridem deuinxerũt: & proxime omnibus tuis in rebus, quibus eſſe uſui apud Leonem decimum Pont. maximum potuit ſtudium & diligentia mea, tibi non defui. Cuius re,iuir tui plane ſtudioſus, Stephanus Roſinus eſt teſtis. Vtinã mihi ſe occaſio aliquando det, propenſam ad tua commoda,dignitatesq́; uoluntatẽ, quam præ me fero, tibi aliqua magna in re oſtendendi: Vincam certe meis ſtudijs expectationẽ tuã. Tu ſi eadem es in nos uolũtate; nõ uideor in re mea, ſtudium item & commendationem apud Imperatorẽ tuam,non iure petiturus. Ea uero eſt eiuſmodi. Ceſsit mihi, dum uiueret, Angelus Michaël ciuis Venetus Sacerdotium, quod is in Veronenſi habebat, Monzambanienſium templũ. Huius Sacerdotij poſſeſsionẽ aſſequi nunquàm potuimus: quanquàm id Princeps ſuo & reip. nomine fieri iuſſerit. Quamobrem familiariter abs te peto: ut cum Cæſare, qui cum ſemper es, agas; ut is, cuius quidem liberalitatem omnes homines prædicant; mandet, ius mihi meum, ea in re, non impediri: poſſeſsionemq́; Sacerdotij procuratori meo aliquado tandem dari. Erit id & illius magnitudinis animi proprium, & mihi ab eo magnopere gratum; abs te etiam iocundiſsimum. Vale. XX Nouembr. MDXIIII. Roma.

P.B.Epiſcopo

P. B. Epiſcopo Quinquecclesienſi S. P. D.

Ex Leonis x.[mi] Pont. max.[i] litteris, & Ioannis Graeci, ipſius ad Pannoniæ Regem internuntij ſermone, quid Pontifex ſuper Auraniæ Prioratu ab ipſo Rege petat, abunde intelliges. Quæ res cum ad me uniuerſa pertineat; Tu uero propter eam, qua apud Regem polles, auctoritate is certe ſis, qui fauere ei cauſæ maxime omnium potes: oro obſecroq; te, uelis dare operam, ut res ad exitum perducatur. In quo, cum tibi omnia debuero, illud profecto efficiam; ut & tu me beneficiorum tuorum bene memorem cognoſcas; & rex ipſe in hominem neque indiligentem, neque ſuæ cum dignitatis, tum utilitatis non ſtudioſiſsimum ſe contuliſſe beneficium ſentiat. Sed & hæc, & plura ab ipſo Ioanne intelliges, qui te meo nomine alloquetur. Itaque his in litteris non ero longior. Vale. XXII Septembris. MDXVII. Roma.

P. B. Gulielmo Budæo S. P. D.

Amabam te quidẽ antea plurimum. Quid enim non te amarem cum uirum optimũ, & animi uitæq; probitate, atq; conſtantia grauiſsimum; tum de præſtantiſsimarum artiũ diſciplinis, ſtudijsq; noſtris mitioribus, et litteris uel latinis uel græcis optime meritum: atq; in iſto doctorum hominum con-

uentu, & tanquàm officina, ſemper quidem celebri, nunc uero etiam ſolito uberiore, Pariſiorum Lutetia, opinione omnium facile principem? Itaq; *amabam te profecto antea ſane plurimum; idq́; mea ſponte, atque iudicio uirtutis, & doctrinæ ſplendore admonitus & excitatus tuæ, tantummodo faciebam.* Nũc *uero; cum ad me perhumaniter honorificeq́; ſcriptis litteris me amari abs te, beneuolentiamq́; meam etiã expetere te magnopere oſtendas; ad illam priſtinã in te amando inductionem animi, uoluntatemq́; meã, tantum ardoris adieciſti: ut non modo id, quod ſcribis cupere te, ut amemus inter nos, ſis aſſequutus; ſed illud etiam effeceris; ut ipſe magnopere cupiam me tibi eſſe eo nomine coniunctiſsimum.* Q*uàm ſane ad rem abs te impetrandam ſi minus ea, quæ tu amabilis naturæ tuæ abundantia mihi tribuis, ipſe in me non agnoſco, multa & præclara ingenij & naturæ munera attulero; amantiſsimi certe hominis & beneuolentiſsimi ſtudia officiaq́; omnia confido, me cumulate præſtaturum.* Q*uod me de* Longolij *patrocinio* Romæ *ſuſcepto tantopere laudas:* Equidem *iuuenem incenſum bonarum artium ſtudijs, eaq́; cauſa domo tam longinqua profectum, optimis præterea moribus, excellenti doctrina, ſummo ingenio, incredibili ſtudio præditum, ab inuidis, neque infimis hominibus nefarie circũuentum, una cum uiro grauiſs.°, omnibusq́; uirtutibus, omni diſciplinarum genere, omni cultu litterarum longe præſtanti* Iacobo Sadoleto *collega meo, alijsq́; permultis libentiſsime, atque*

atque etiam multo uerius, cupidiſsime defendi. Tametſi eo tempore aduerſa ualetudine implicitus, uoluntatem in eo defendendo, ardorémque animi, quantum par erat, adhibere fortaſſe potui; diligentiam, induſtriam, laborémque non potui. Sed res ipſa et cauſa eiuſmodi fuit; ut non tam ſim laudandus, quod Longolio *affuerim; quàm eſſem improbandus, ſi defuiſſem.* Valde *tamen gaudeo meum in eo ſtudium atque officium tibi, magno & præclaro uiro gratum, optatumq́; accidiſſe.* Quod *uero etiam propterea tuam ſim beneuolentiã cõſequutus; uideo meæ me non multæ operæ maximum uberrimumq́; fructum percepiſſe.* Reliqua *puto te cognoſſe ex ipſo* Longolio*: cuius aduentus eo nobis gratior fuit; quod nihil de illo ad nos aliquot iam menſes afferebatur.* Eius *ego cum conſuetudine & conuictu, tum doctrina & ſtudijs mirabiliter delector.* Quid *dixi ego?* Eſt *iam in oculis noſtrorũ ciuium nõ modo priuatorum; ſed plane etiam* Senatus *principũq́; ciuitatis.* Itaque *habet quoſdam præſtanti ingenio, litterisq́; interioribus eruditos uiros; quibus cum eſt ferè quotidie, utiturq́; ijs ualde familiariter; inuiſitur a multis; amatur ab omnibus.* Huius *autẽ, quod reliquum eſt hiemis, nobiſcum, ut arbitror, conficiet rogatu meo; & ſimul quod ei poteſtas facta eſt è bibliotheca; quam publice magis illam quidem inſtructam atque uberem, quàm propoſitam & explicatam habemus; quos uolet libros promendi.* Nam *cum ſit in eo, ut de* Catone *ſcribit* Cicero, *inexhau-*

ſta auiditas legendi, ſitq́; is quaſi librorum helluo; libri uero ipſi præclari atque multi; breui exaturaturum ſeſe illum in legendo non puto. Quanquã de his, deq́; tota ratione ſtudiorum ſuorum, non dubito, quin te ipſe diligenter faciat ſuis litteris certiorem. Qui etſi omnibus in ſermonibus, colloquutionibusq́; noſtris, me mirifice ſemper delectat, ſuauiſſimeq́; detinet: nullis tamen de rebus illius ſermo tã mihi eſt iocundus, quàm cum de te; quod quidem fit planè ſæpiſſime. Sed & hæc malo te ab illo. Tu ſi me tibi amiciſſimum eſſe exiſtimabis; quæq́; a coniunctiſſimis expectantur, proficiſciq́; ſolent, ea tibi de me pollicebere; non fallam opinionem tuam. Etenim ut tibi non aſſentior, ut exiſtimem fieri non poſſe, ut tu mihi indigenti cuiuſpiam rei copiam facere poßis; in quo tamen uerborum tuorum modeſtia ſum delectatus; ſic arbitror poſſe accidere, ut mea beneuolentia meaq́; opera tibi quoque uſui ſit futura. Quod ſi accidet; me in ære tuo eſſe ut exiſtimes, abs te etiam atque etiam peto. Vale. Pridie Non. Ian. MDXX. Venetijs.

P. B. Gulielmo Budæo S. P. D.

Et ſi exiſtimem nihil neceſſe eſſe Chriſtophorũ Longolium tibi a me commendatum iri; cum intelligam, uel ex tuis ad me litteris, quantũ tu illũ ames, uel ex eius perpetuo de te ſermone, ipſe quãti te faciat, quantis doctrinam & uirtutes laudibus celebret &

bret & proſequatur tuas : tamen faciendum mihi nõ putaui , ut Leone *decimo* Pont. *max. illum* Regi *tuo per litteras , perq́; ſuos &* Regios Legatos *diligentiſsime commendante , ipſe nihil ad te litterarũ darem : non quo te putem ea re intellecta non per te omnia , quæ illi eſſe uſui poßint , omni cura , ſtudio, labore denique curaturum : quippe ; cum mihi gratias etiam egeris , quod illius turbulentis temporibus eius ſalutis propugnator extiterim : aut ut currentem hortarer : qui ſciam nullius apud te hortatationes tantum habere ponderis , quantum in amicis colendis conſtantiam ipſius tuam , mores , probitatem , fidem . Sed ut egregiam, atque mirificam in illo ornando* Principis *mei uoluntatem , tibi notam quàm primum facerem : ut ſi quid initio poſſes, rem confeſtim iuuares .* Id *autem totum cuiuſmodi ſit ; ex ipſius* Principis *ad* Regem *tuum litteris , quarum exẽplum ad te mitto , facile perſpicies . Quid te facere expediat ; tu pro tua prudentia conſiderabis .* Oneris *tibi quidem imponere neque audeo præcipue quicquàm , nec debeo .* Tantum *dicam ; huius negotij conficiendi multo me maximã ſpem in te uno poſuiſſe .* De *ipſo* Longolio *non dubito , quin , cũ hæc illi nuntiata fuerint ; eſt enim adhuc quidem harum expers rerum ignarusq́; omnium; nihil non his commendationibus ſe ab* Rege *impetraturum exiſtimet : cum te hominem ea apud illum gratia, eo loci habeat tam , ut cætera ſileam , plane beneuolum & amantem ſui .* Extremum *eſt ; ut ſcias nihil te mihi gra-*

tius, nihil iocũdius, nihil ſane optatius facere poſſe; quàm ſi & auctoritatem tuam, qua plurimum apud Regem polles; & ingenium, quod quidem iam eſt omnibus plane gentibus ſumma cũ tua laude atq; gloria cognitum, ad illum fouendum, augendum, ornandum, honeſtandumq; conferes. quod ut facias; ut iam tibi nihil non oneris generatim imponã; etiã atque etiam abs te peto. Vale. VIII Id. April. MDXXI. Romæ.

P. B. Chriſtophoro Longolio S. P. D.

CVRAVI mandata tua Florentiæ diligenter, idq; amplius; quod Protonotario Bartholino, qui mihi uiſus eſt mirifice de te, & ſentire, & loqui, defenſionum tuarum librum dedi. Cum Iulio Medice Car. multus de te ſermo. Is mihi ſignificauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorum erga te uoluntate ſcripſerit, ſe auctore factum. Romam cũ ueniſſem; Pompeio Columnæ Cardinali defenſiones tuas miſi. Sadoletum ipſum, Paccium, Adornium, Lælium, reliquosq; de quibus me tuis in litteris admones; ſalutaui. Poſtremo etiam Leonis decimi Pont. max. pedibus, cum is e Manliano rediiſſet, dedi oſculum tuis uerbis. Nam me in urbe, propter imbecillitatem ualitudinis meæ, Apennini traiectu uiæq; tædio et laboribus auctam, decem ipſos dies continueram. Ille uero me, ubi eſſes, quid ageres, quid cogitares, ſatis quidem familiariter, atque, ut

mihi

mihi uiſus eſt, etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius: *qui et ipſe de te, deq́; illo ipſo tuo libro, quem iam legerat, multa præclare.* Idem; *cum ego* Principi *reſpondiſſem te* Patauium *eſſe profectum eo conſilio; ut abſoluendis ijs ſtudijs, quibus te totum tradideras, biennium, uel certe quantum ad id temporis ſatis tibi eſſet, impenderes; habere dixit ſe abs te litteras; in quibus eſſet ſcriptum te* Florentinorum *conditionem uelle accipere: quæ quidem ad uerba nihil omnino* Princeps *: cum antea adeuntibus illum* Romanis *conſulibus, ut eius ſentētiam elicerent, num te donatum eſſe uellet ciuitate, cū alia multa ſingulari cum tua laude, tum illud etiam dixiſſet: fouere ſe tua ſtudia: annuamq́; ad id pecuniam tibi curari iußiſſe: ut quod ſtatueras* Patauium *ſecedere, ut ea in* Vrbe *doctißimorumq́; hominum conuentu, inſtitutis iam abs te commentationibus aliquot annos dares; eius tibi conficiendi facultas ne deeſſet: totumq́; illud conſilium profectionis tuæ ſibi uehementer probari ſignificauiſſet.* Quod *eo tibi ſcripſi; ut cognoſceres quam iam ille opinionem, atque ſpem de te, otioq́; tuo iſto* Patauino *conceperit.* De *rumoribus, qui hic iactabantur, male te de* Romanis *ſentire, cum hos montes nihil ſolidum crepare diceres; plane nihil eſt, quod labores.* Primum *incerto auctore:* Deinde *parum habetur fidei:* Poſtremo *quicquid eſt, id omne noſtro aduētu iam euaneſcit.* Amicos *quidem habes omnes uel doctos, uel bonos, præter unum Simonem illum tuum: quem ta-*

men doctum eſſe nunquàm iudicaui; bonum credebã: in quo quàm me feſellerit, uides. Itaque oderit diligat, æque habendum: niſi tibi etiam iocundum eſſe debet te ab illo non diligi, quem tua cauſa nemo bonus diligit. De Bembini catelli mœrore ſuſcepto ex diſceſſu meo quod ſcribis; Vide quid egeris. Auxiſti tu quidem deſiderium, uel etiam dolorem meũ. Valde me pœnitet illum domi reliquiſſe tam fidum, tam nullius oneris comitem, tantæ ſedulitatis, feſtiuitatis, ioci. Vt omnibus delicijs carere mihi uidear; qui eius blanditijs careo. Nummos Principis ſex mẽſium nomine tibi curauimus. Eos habebis cum his litteris. Protonotario Saulio & Lazaro & Flaminio plurimam ſalutem dicito meis uerbis. Vale. IIII kalen. Iunias. MDXX. Roma.

P. B. Chriſtophoro Longolio S. P. D.

RESPONDEO ad tres tuas ſuauiſsimas litteras, diuerſis temporibus datas, & quidem breuiter. Teneor enim ſatietate quadam, uel potius tædio ſcribendi; ut nihil omnino difficilius, nihil moroſius faciam, quàm cum calamum ſumo; nihil libentius, quàm cum depono. Cur? inquies. Quia quoniam multos iam annos ea cogor ſcribere, quæ ad ſtomachum meum non faciunt; etiam illa, quæ mihi grata ſolent eſſe, nunc diſplicent, cum ſunt ſcribenda. Ita ſcriptio ipſa omnis permoleſta. Niſi forte diuturnus morbus ſegnem me atque ignauum ad omnia

omnia reddidit. Quod ſi eſt; ſpero me breui ad priſtinam meam in ſcribendo alacritatem reuerſurum. Satis enim belle, ut nunc quidem eſt, me habeo; omnesq́; iam prope morbi reliquias abieci. Sin altera illa cauſa eſt; hinc euolem oportet; abdamq́; me aliquo, in ſtudia ſcilicet, atque in litterulas noſtras; quemadmodum tu quidem feciſti; dum illa dediſco, quæ inuito mihi adhæſerunt; ut a me pagellam accipias libenti animo, ne dicam impigro ſcriptam. Sed uenio ad tuas litteras. Bolducus noſter quod tam in te officioſus fuerit; gaudeo, eoq́; magis; quod nihil eorum, quæ commemoras, meo rogatu: egi tamen illi per litteras gratias cum tuo nomine, tũ meo: qui quidem quaſi Pollux omnia, quæ in te honoris cauſa, tanquàm in Caſtorem conferuntur, in me etiã conferri puto. De Naugerio meo quæ ſcribis, mihi grata ſunt. Ille uero non modo in litterarum ſtudijs, ſed etiã in amicis colendis mirificus qui quod æſtatẽ in ſuis Muranianis hortis confecerit, ualde lætor: neque enim uereor quin illi conſtiterit fructus otij tam iocũdi: ad quem quidem oblectandum, ab æſtuq́; tuẽdum, ut audio, etiam è Benaco multæ Citriorum arbores ſuas umbras adduxerint. Reſpõdi fere ad tuas priores litteras. In ſecundis litteris quod de Ioanne Pino, Gallorum Regis Legato me admones; id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cum eſſet domi ſuæ, ea de cauſa; ut conſtitueremus inter nos aliquid, quod tibi eſſe uſui & ornamento poſſet. Multus quidem de te ſermo: ſed quoniam erat ei cœnæ tempus; ita ab

illo di-

illo diſceßi; ut incohata tantummodo eſſet effigies negotij tui: reliqua poſita ſunt non ſolum in diligẽtia, ſed ualde me hercule etiam in caſu. Diligentiam *ne adhuc quidem adhiberem; cum* Principis *in molem* Hadrianam *ſeceßio, quo uentitare propter imbecillitatem corporis minus ſæpe poſſum; ille uero fere quotidie; tum maximi calores effecerunt: quibus etiam qui ualentißimi ſunt, a labore defatigationeq́; abſterrentur. Caſus cum uenerit, eum quantum potero complectar: neque dimittam, niſi depicta omnibus coloribus imagine, atque ita confecta, ut nequid deſit. Sed omnino totum hoc ſic habeto: nihil ut mihi antiquius futurum exiſtimes ijs rebus, quæ ad commodum dignitatemq́; tuam pertinebunt.* Ita*que ſi erit opus, etiam collegam meum, ut ſuades, aduocabo: ſed nunc, ut uidetur, non eſt.* De *tuis obtrectatoribus quod ad me, quod ad* Marcum Anto*nium* Michaëlem *tam multis uerbis ſcripſiſti; plane non probo: te ne nunc quidem, eorum cauſa animo tranquillo eſſe: quorum rumores & maledicta, non ſolum refrixerunt tuis reſpõſionibus editis; ſed plane iam omnis illa factio prope obmutuit.* Itaq; *tu, ſi me audies, nullum omnino poſthac de illis uerbum facies; atque etiam, ſi fieri poterit, ne cogitabis quidem.* Neque *enim digni ſunt; qui tuum iſtud tã honeſtum otium, tam præclara ſtudia uel momentum temporis interpellent.* Quamobrem *magis miror id, quod erat in poſtremis tuis litteris; te ſcilicet ab illis, in tanta gladiorum licentia tibi in-*

terdum

terdum timere. Tu uero; qui Romæ, populum Romanum ſtantem in te, ac prope armatum contempſeris, ſuſtinueris, fregeris; neq; interea timoris ſignum ullum edideris, aut uocem emiſeris: ab illo nũc non ſolum fracto, ſed etiam ad tuas partes traducto, in urbe minime turbulenta Patauio, tibi eſſe timendum duces? Atqui etiã ſcribis Lerinam te propterea cogitare. Quam uellem iſtud uerbum tuo ex ore ne excidiſſet. Sed nolo tibi moleſtus eſſe. Quamobrem abduc animum ab iſtis cogitationibus quàm longiſsime: teq; tuto eſſe poſſe exiſtima, ubicunq; erũt uel boni uel docti uiri. Quanquàm te iam omnes prope homines diligunt. Habes autem Italiam maxime cupidiſsimam tui; propterea q, eam eſt tui fama nominis clarius atq; illuſtrius peruagata. Dedi tamen ad Marinum Georgium Patauinorum Prætorem litteras hac de re; quemadmodum tibi placere oſtendiſti: quem quidem exiſtimo nulla in re tibi ſalutiq; tuæ defuturum. De eo me uelim facias tuis litteris certiorem. Prior pars earundem litterarum, quas ad me poſtremas dediſti, tuorum ſtudiorum uitæq; rationem continebat: quæ me ſummopere delectauit; cepiq; ex eo maximam uoluptatem; quod te uideo ita litteris, quarum es multo auidiſsimus, incumbere; ut ualetudini etiam ſeruias. Pilæ ludus, quo te ante cibum exerces, mihi ualde probatur. Deambulatiunculas uero illas ueſtras, ſermones, concurſationes; de quibus ſcribis; peream, ſi omnibus Romanis præfecturis magiſtratibusq; nõ præfero. Conſuetudinem

ſuetudinem autem iſtam, quam ingreſſus es; ut ſcilicet ante, quàm ſomno te des; reputes tecum ipſe, atq; recolligas, quicquid dignũ eo die memoria ſciẽtiaq́; comprehenderis; quis non magnopere laudandam & complectẽdam putet? Pytagoreo *præcepto illi ferè germanam atq; ſimillimam* ποῖ παρέβην τὶ δ᾽ ἔρεξα. Noſti *reliqua. Sed illa in doctrinæ ſtudijs, hæc in rerum actione uerſatur.* Itaq; *ea tibi perpetuo utendum cenſeo.* Altera *fuit epiſtolæ tuæ pars minime quidem neceſſaria; qua mea in te beneficia commemoras: quod quidem ipſum in ſecundis etiam litteris feciſti multis atque honorificentiſsimis uerbis.* Ea *ſi naturæ tuæ benignitate amoriſq́; in me tui abundantia impulſus collegiſti; te ijs eſſe moribus, beneuolentia, comitate, plane gaudeo: nihil enim poteſt eſſe tam ſuaui liberaliq́; natura amabilius: ſin propterea; ut uel te gratum oſtenderes, uel me in te amando confirmares: neutrum eorũ te adducere debuit in eam commemorationem.* Nam *neq; tu eſſe ingratus iam ullo pacto potes, qui ſi nihil aliud agas, tamen ea de nobis dixiſti, ſcripſiſti, nota eſſe omnibus hominibus uoluiſti; ut me tibi etiam perpetuo deuinctum putem:* Neq; *ego is ſum; qui a te amando reuocare animum atq; mentẽ poſsim: niſi tu is eſſe deſinas, qui profecto es; moreſq́; tuos atq; doctrinam dediſcas.* Itaq; *ſi me amas; ne tu poſthac ad me quidem quicquam eiuſmodi.* Heri *cum in ea urbis parte caſu eſſem, quam tu incolebas, &* Mariani Caſtellani *hoſpitis tui domus, mihi a meis pueris*

ris oſtenderetur; uocari hominem iuſsi; eumq; ſalutaui tuis uerbis: quam quidem ille ſalutationem mihi uiſus eſt libentiſsime, atq; hilariter accepiſſe. Dixi ei de te cupide ſane atq; amanter quærēti, quæ proxime habueram: a quo cum diſcederem; petij, nunquid uellet ad te litterarum dare. dixit ſe daturum: uerūtamen non dedit. Sed omnino fui longior, quàm initio putaram. Collega meus Roma pedem non extulit: Princeps eum retinet; & ut puto, retinebit. Exemplum tuarum ad me litterarum, quod requiris, erit cum his litteris. Saulio, Lazaro, Flaminio multam ſalutem. Tu ſi me amas, ad nos crebro, ut facis, omnibus de rebus ſcribito: Incredibiliter enim me tuæ litteræ delectant: In quibus illud etiam uideo, quod mihi eſt plane iocundiſsimum; addere te quotidie aliquid ſcriptioni & ſtilo. Itaque ταύτην τὴν γραμμὴν ſuadeo teneas. Cū hæc ſcriberē; Princeps in Vaticanum ſe referebat. Sed ualebis, ualetudiniq; ſeruies. XIII kalen. Septemb MDXX. Roma.

P. B. Chriſtophoro Longolio S. P. D.

ACCEPI tuas litteras Nono Ianuarij datas ad XVI kalen. Martias heri; cum exercendi mei cauſa, extra Vrbem equo uectus, claro & placidiſſimo die, aprica uia domum peruesperi redijſſem; ab adoleſcente illo, quem mihi ipſæ illæ tuæ litteræ commendabant, redditas meis pueris; cum eis, ſi quid

quid uellem, ſe ad te poſtridie reuerſurum dixiſſet; atque ubi ſe interea conuenirent, oſtendiſſet. Itaque *cum ipſum non uidiſſem, has ad te litteras dedi ante lucem: qua me quidem ſomnus hora ſingulis prope noctibus deſerit: adhuc enim uigilia nos exercet: qua una ſi relinqueremur; eſſemus plane reſtituti. Sed uenio ad tuas litteras. Quod meum de tuorum ſtudiorum ratione iudicium tam diligenter exquiris; in eo & amori erga te meo multum, & auctoritati non nihil ſane tribuere te oſtendis: quorum in altero, quàm recte facias; tu uideris; cuius plane intereſt, ſi deceptus ſis: ab altero ne te unquàm deceptum poßis dicere; cumulate ipſe diligentißimeq; præſtabo.* Ad *eam autem partẽ; in qua ſcribis, quid tibi cauſæ fuerit, ut aueres ſcire quid ſentirem; ut ſcilicet intelligeres, recténe operam poſuiſſes, an ſecus; ut, uel pergeres, ut cœpiſſes; uel, aut aliam ingredereris uiam; aut in ea ipſa, quam es ingreſſus, curſu corrigeres tarditatem: exiſtimabam ſatis me quidem ſuperioribus litteris reſpondiſſe: quibus te litteris profeciſſe quidem multum ſcripſeram; supereſſe autem aliquantum etiam, quo progredere.*Itaq; *te hortabar; ut quod reliquum erat, conficeres: quod me hercule etiam nunc te hortor: hoc eſt ut* Ciceronem *ipſum, quem tibi unum ſcribendi magiſtrum me auctore propoſuiſti; eundem uniuerſum non ſolum uores, ſed etiam concoquas, atque in ſuccum & ſanguinẽ cõuertas tuum.* Id *autem ſpero te aſſequi poſſe; ſi diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis: aſ-*

ſequutum

ſequutum omnino eſſe, quẽadmodum tibi antea ſcripſeram, non exiſtimo. Neque hoc ideo dico, quaſi tu parum profeceris annua prope ad id cogitatione laboreq; adhibito. Multum eſt enim; adde etiam ſi uis, maximum quidem illud, quod iam actum abs te eſt; ut mihi quidem uideri ſolet, cum tuas litteras lego: meamq; de eo expectationem atque ſpem non æquatam modo abs te, ſed longe etiam ſuperatã, tibi uere atque perſancte affirmo ac denuntio. Sed quia nollem eo te maximo eſſe contentum; & tanquàm ad metam perueneris, curriculo confecto conquieſcere; propterea dico. Nam quoniam ea eſt ingenij tui uis, atq; præſtantia; nihil omnino ut ſit tam arduum tamq; difficile; quo ſi animum intenderis, non te id poſſe complecti atque conficere breui & luculenter putem; nulla te quidem in laudis mediocritate conſiſtere facile patior. Itaque quanquàm minus fortaſſe uiæ ſupereſt, ut ad excellens illud atq; ſummum ſcribendi genus atque formam peruenias, quo te uoco; quàm eſt id, quo perrexiſti: tamen niſi tu etiam totum id, quod reſtat, confeceris; non tã mihi gratum futurum eſt, præclare ſane ac ſplendide id te muneris inchoauiſſe; quàm moleſtum non abſoluiſſe: quod abs te commiſſum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam abſolutionem tu te temporis ſumpſeris: atque hoc cum recordor; magis miror, quicquàm nunc te cum de cõmutanda ſtudiorum tuorum ratione, qui rectiſſima es ingreſſus; tum uero num tibi ſit, quaſi tarde adhuc ambulanti,

deinceps

deinceps feſtinandum, ſciſcitari. Feſtines *autem? ut quid? ut incidas in aliquem morbum?* Ego *uero te mi* Longoli *malo tranquilla nauigatione utentem, aliquanto ſerius eum adipiſci eloquentiæ quaſi portum, quem petis: quàm propter nimiam uentorum uim iactura facta celerrime nauigare.* Q*uamobrem ſi meum conſilium ſequi uolueris; quanquàm eſt hæc quidem mentis potius ſenſusq; noſtri, quàm ullius cõſilij ſignificatio; neque hunc tu curſum commutabis: cur autem? neque remo plus utere: ualetudiniq; in primis ſeruies. Sed iam ſatis, aut etiam nimis multa de ijs.* De Ioanne *Pino; erit mihi curæ, cum ut omnia mandata tua exhauriam: tum illud maxime; ut quicũque percipi ex hominis te amantis beneuolentia poteſt fructus atque utilitas, percipiatur.* Id *totum quale ſit, quoniam ſatis exploratum non habeo; non committam, ut eius te rei expectatione ſæpius excitem.* Extremum *eſt, quod erat primum in tuis litteris:* Eius *ad nos epiſtolæ tuæ exẽplum, quæ perlata non eſt, quod ſcribis mihi te mittere; ſcito nullum fuiſſe cum tuis litteris.* Id *uelim deſcribi mandes, mihiq; mittas: ne ulla tua lucubratiuncula nobis perierit.* Habes *ad omnia.* Nunc *quæ præterea ſcire te non nolle arbitror; hæc ſunt.* Apud Sadoletum *reliquosq; amicos recte eſt.* Thebaldeus *&* Beatianus *etiam fortunis aucti tibi hilarius ſalutem aſcribunt.* Ego *domum cogito.* Quid*? quid eſt aliud?* Intellexi *de* Alexandro Capella *uiro ſane bono, & docto, &, ut mihi uiſus eſt, etiam amãtiſsimo tui,*

mo tui, te cum Nicolao Leonico homine uere philoſopho ſingulari beneuolentia coniunctum, cum eo familiariter ſæpe eſſe uel propterea, quod non longe ab illius ædibus incolis. O præclaram uiciniam, teq; hominem mirificum ad præſtantium & clarorum uirorum amicitiam conciliandam. Næ ego horum principum prænſationes appellationesq; honorificas omnium, una cum ueſtra deambulatiuncula, & ſermone libenter commutauerim. Nunc ei, quod poſſum, multam ſalutem uolo impertias meis uerbis. Etiam Marinum Georgium Patauinorum Prætorē, quem ſcis a me unice diligi, ſi ſaluere iuſſeris; mihi gratiſsimum feceris: idq; ut facias, plane te rogo: tum & Saulium & Flaminium. Tu ualebis; nosq; diliges. MDXXI. Romæ.

P. B. Gabrieli Veneto, ordinis Auguſtinianorum Magiſtro S. P. D.

PETIERVNT a me Hiſpaniæ Regis Legati; ut tibi eos commendarem: quibus has ad te literas dedi, tui ordinis ſacerdotes, probos, ut aiunt, uiros; alterum Tarraconenſem: Luſitanum alterū: utrūq; autem incenſum bonarum artium ſtudijs, uerſatumq; in ijs; quemadmodum ab ipſis intelliges. Ii augeri ſe abs te optariq; in collegium Doctorum cupiunt, quos Magiſtros appellatis: afferuntq; cauſas, quamobrē id facere iure poſsis. Ego uero; qui plane noui, quàm diligens in eo ſis, ne quis temere te

O auctore,

auctore, in collegium admittatur; commendo tibi quidem eos ſane multũ. Valde *enim cupio* Legatis; *qui ſunt ipſi magni & clari uiri, & bene de repub. meriti; quosq́; ego magnopere amo. Sed ita commẽdo; ſi tibi uidebuntur idonei eſſe, quos ornes.* Peto *autem abs te; ut eos idoneos iudices; etiam ſi plene idonei nõ erũt: dum ſint ex illis, quos ſatis idoneos queas dicere: ut omnino aliquid dignitati* Legatorũ *tribuatur.* Reliquum *eſt ut ualetudinem tuam cures:* Audio *enim tibi non recte eſſe.* Eſt *autem indecens; qui mihi ægro ſaluti fueris, nõ potione ulla & pharmaco, uel arte aliqua medicorũ; ſed plane congreßibus, collocutionibusq́; ſuauißimis & prudentißimis tuis; tibi ipſum mederi non poſſe; qui te ſemper audias, ſemperq́; tecum ſis.* Quod *ſi ab occupationibus tam ſolutus eſſem, ut triduum conſumere meo arbitratu mihi liceret; euolarem ad te tam libenter nũc quidem; quàm tu me ſoles inuiſere, cum te* Ro*ma continet.* Spero *tamen* Leonem Pont. *urbe propediem exiturum;* Etruriæq́; *partem iſtam, quã tu incolis, ſuasq́; uillas & municipia obiturum.* Quod *ſi erit; excurram ad te, cum primum* Ciminium *lacũ uideo.* Interim *fac te cuſtodias.* Vale. Idib. *Sept.* M D X X. Roma.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo S. P. D.

MAGNA *me uoluptate tuæ litteræ affecerũt;*

quibus

quibus me ad beneuolentiam inter nos cōſtituendam humaniſſime prouocas: cauſasq́; affers, quibus adductus id facis. Nam *cum te antea diligerem; cum primum intellexiſſem te plane adoleſcentem, clariſſimis atque adeo regib. ortum maioribus, bonarū artiom ardore ſuccenſum, ex ultimis orbis terrarum finibus* Patauium *ueniſſe: ut ea in urbe, doctiſſimorumq́; hominum conuentu, operam illis dares: tenererq́; iam uehementi quodam ſtudio cognoſcendi & alloquendi tui: quanta me nunc demum eſſe affectum lætitia exiſtimas; cum ad id, quod ſponte ipſe cupiebam, inuitari me abs te per litteras uideā tam officioſe, tam etiam eleganter ſcriptas; ut iſta ipſa inuitatio tua, non humanitatis modo genere, ſed etiam doctrinæ nomine eum te eſſe facile oſtenderit: ut longe magis tua mihi quidem beneuolentia exoptanda & expetenda, quàm adhuc ipſe ſtatuerim, plane fuiſſe uideatur?* Q*uod cum ita ſit: acceſſerit autem ad id nunc etiā* Longolij *noſtri, qui mihi tuas litteras reddidit, honorificentiſſimus de te, tuisq́; uirtutibus longus quidem, ſæpeq́; repetitus huius bidui ſermo: quem ego uirum propter eius excellens ingenium, ſingularemq́; doctrinam facio plurimi; propter mores uitæq́; probitatem fraterne amo: Complector te quidem* Pole, *atque excipio, ut amanter meam beneuolentiam expetentem, certe amantiſſime; ut etiam humaniter me ad id prouocantem; hic uero iam non habeo, in quo tibi æque mihi ipſe uidear reſponſurus.* Nam *ut parem me tibi omni reli-*

qua ex parte eius uirtutis, quæ humanitas dicitur, referendis officijs præbeam: certe prior iã ad te appellandum, cum id ipſe tua diligentia præripueris, eſſe nullo pacto poſſum. Quod quidem non humanitatis modo indicium magnæ cuiuſdam ac eximiæ, ſed humanitas mihi eſſe ipſa omnis, ſuo cum robore atque radicibus uidetur. Itaque cum in eo tibi concedam neceſſe ſit; præſertim cũ ipſe ijs opibus, ijs propinquis, ea denique ſis fortuna; ut etiam ſi te ipſe prior appellaſſem; quia tamen nihil afferre potuiſsẽ eiuſmodi, multo ſane minus in meæ humanitatis facto, lumen eluceret, quàm eluceat in tuæ: efficiam profecto, ut in reliquis præſtandis amicitiæ muneribus atq; partibus, id, in quo a fortuna uincor tua, recti ac propenſi erga te animi mei ſtudijs, officijs, diligentia plane ſarciam. Scriberem plura: reſponderemq́; ad reliquas epiſtolæ tuæ partes; niſi feſtinaret Longolius, equumq́; poſceret, utpote iam ſine meis ad te litteris reuerſurus. Quamobrem in aliam epiſtolam reliqua. Vnum hoc ſic habeto: nihil mihi hoc in genere omni, præclara egregiaq́; iſta animi tui erga me declaratione, aut accidiſſe, aut accidere potuiſſe iocundius. Ex uilla Noniana. Quinto Idus Iul. MDXXI.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo S. P. D.

BINAS *a te uno tẽpore accepi litteras aman-*

tiſsime

tiſsime quidem ſcriptas, unas; quas ad diem VI kal. Febr. dederas; alteras, quas pridie kalen. Ad primas igitur prius. Meum de imitatione librum tibi placuiſſe, ualde gaudeo. Probari autem abs te ſententiam meam homine cum docto, tum in eo ſcribendi genere, quo de diſputo, ſtudio ac exercitatione iam erudito, etiam uehementer lætor. Quod ſi eo te libro ad id ipſum, ad quod quidem tua te ſponte accenſum eſſe uideo, aliquanto etiam acrius atq; ardẽtius inflammaro; omnia me conſequutũ putabo. Caue enim exiſtimes unquàm me alias ullius de hominis adoleſcentis ingenio atque induſtria tantam in ſpem ueniſſe; ut aliquando tandem his temporibus doctrinam cum eloquentia more maiorum coniunctã aſpicere poſsimus; quàm nunc quidem iam uenio, id per te unum maxime omnium ut conſequamur: modo tibi annos uita ſubminiſtret: cui tu plane rei parum mihi uideris uelle conſulere: ita dum omnia omnium doctorum hominum ſcripta, omnium doctrinarum ac diſciplinarum omnes libros exhaurias; nullam ſalutis tuæ curam adhibes; nihil ualetudini inſeruis. Quam quidem ego pro eo, quanti te facio, proq; noſtra beneuolentia & neceſsitudine uellẽ tibi proſperrimam perdiuturnamq; conſiſtere. Sed de eo tu pro tua prudentia iudicabis. Venio ad ſecũdam epiſtolam tuam: cum qua erant obſignatæ duæ, Giberto una, Sadoleto altera, ſcriptæ abs te epiſtolæ: quas quidem ſtatim reddidi. Sed in ea, quam mihi ſcripſeras, nihil erat fere, niſi duo illa quaſi capita: alterum,

rum, quo mihi acceptum refers, quod Gibertus tuas illas priores litteras, quas ad me dederas, tam cupide, tamq́; amanter legerit, tantis laudibus extulerit. Quo in genere ſi ſcias quàm ille tuis iſtis poſtremis ad ſeſe litteris ſit delectatus; tum id diceres nõ a noſtra commendatione; quanquàm ea certe ſuas quidẽ parteis ſemper adhibet; ſed ab elegantia tuarum litterarum, ſuauitate, amabilitate eſſe profectum. Ita eas & doctis uiris multis audientibus clara ipſe uoce recitauit, cũ paulo ante ſolus legiſſet: & ab ijs quæſiuit, num idem ipſis, quod ſibi uideretur, nihil eſſe candidius, nihil omnino prudentius tuis litteris. Cui cum annuiſſent; in tuas ſe laudes prorſus effudit tãta cum declaratione beneuolentiæ; ut ego ipſe, qui tibi omnia cum cupio, tum mediusfidius tribui merito exiſtimo; nihil ſane deſiderarim. Quod tibi eò libentius ſcribo; quo idem illud de te iudicium ſuum aut detuliſſe ipſum iam Clementi Pontifici Max. *aut propediem ab eo delatum iri puto, cum in tui ſermonem inciderit: in quem quidem breui non ſemel incidat neceſſe eſt.* Nam de Britannicis *cum rebus tũ litteris eſt ei* Princeps *prope quotidie conſulendus: ut ex ijs oratio in te fluere quaſi ſua ſponte uideatur. Quanquàm eſt ea tua quidem dignitas atque perſona, ut abs te ſermo apte poßit incipere: tuq́; unus cuilibet ſatis magnum ad dicendum argumentum eſſe poßis. Sed ut ad tuas Sadoleto ſcriptas litteras redeam; ijs & ipſe mirifice delectatus ſe tibi reſcripturum, cũ primum ſibi per occupationes ſuas liceret, amanter*

ret, amanter ſane recepit. Alterum erat caput illud in tuis litteris; ut quoniam aliquam te in ſpem adduxiſſem fore, ut Sadoletus ſuum mihi librum ad te perferendum traderet, cum eſſem diſceſſurus; darem operam, ut id ita fieret: eum te librum legere magnopere auere. Ad ea nihil tibi reſpondebo, niſi unum, tuæ me uoluntati & ſtudio in tempore non defuturum: modo ſe ipſe flecti exorariq́; patiatur. Sed neque dum librum perpoliuit: & eſt nunc quidem occupatiſsimus. Tum illud de Germano pupugit eius animum, ut omnia pertimeſcat. Verum, ut dixi, non deerimus; ut tibi mos geri poſsit. Habes ad omnia; & ualebis. Roma.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo Britanno S. P. D.

QVAS *mihi Patauij ad Ioannem Matthæum Gibertum litteras Romam proficiſcenti dediſti; quoniam is paucis ante diebus, quàm ipſe ad urbem ueniſſem, ad Tranſpadanos exercitus a Põtifice miſſus, aberat, & iam iamq́; affuturus putabatur; eas litteras apud me eſſe facile paſsus ſum, quoad ipſe reuerteretur. Itaq; quinto Idus Decembres cũ redijſſet, hominẽq́; ſalutauiſſem; reddidi ei tuas litteras: quas quidem mihi uiſus eſt libentiſsime accepiſſe. Iis perlectis multa me percontatus eſt de tuis ſtudijs; longumq́; ſermonem habuit, ſumma cum tua laude, illuſtriq́; atteſtatione ſui erga te amoris: cum diceret,*

genus orationis tuæ ſibi uehementer probari; teq́; ſibi eſſe chariſsimum ſingulis prope uerbis oſtenderet. Quid? queris. Habes *hominem plane cupidiſsimum tui: cuius certe beneuolentiam, quoniã maximi potentiſsimiq́;* Reges *expetunt, ſibiq́; ut concilient operam dant: officiaq́; in illum omnia certatim conferunt: eam te nullo negotio aſſequutum, ſane non mediocriter lætor:* Præſertim *cum is ad eam, qua nunc quidem apud* Pontificem *eſt, auctoritatem & gratiam: quæ profecto quantæ ſint, omnes iam homines intelligunt: ſummam uitæ integritatem, humanitatem, comitatem, moresq́; optimos & ſuauiſsimos adiunxerit: quodq́; tibi iocundiſsimum debet eſſe, cum litterarum & bonarum artium ſtudia, quantum fieri ab homine occupatiſsimo poteſt; tum in doctis hominibus fouendis, iuuandis, honeſtandis egregiam & mirificam uoluntatem.* Quod *ad* Iacobum *Sadoletum attinet; quæ duo impetrari tibi ab illo me internuntio cupiebas; eorum alterum, ut cõſtituendæ beneuolentiæ mutuiq́; inter uos amoris eſſem auctor; ſane confeci.* Ille *enim, ut eſt homo perhumanus, quiq́; te antea ipſo* Giberto *referente cognouiſſet, litterasq́; ad illum tuas etiam legiſſet; & quæ de tuo in illum ſtudio ei narraui, libentiſsime accepit; & ſe amantiſsimo erga te animo cum propterea, tum pro tua ſingulari uirtute atq́; doctrina deinceps futurum, cumulatiſsime recepit.* Alterum *conficere non potui, ut eius de philoſophia librum tibi legendi facultas daretur:* Nam *quoniam eo in*

libro philoſophia tantũmodo uituperabatur;alterius autem libri, quem quidem inchoatum habebat,ut eſt dialogorum mos, eæ futuræ erant partes, ut philoſophiæ uituperatoribus reſponderetur, ipſaq; laudaretur; indignum ac prope inconſtans omnibus uideri poſſe dixit, ſi permitteret, ut quam ipſe artem, clariſsimorum hominum ſequutus iudicia, cæteris omnibus artibus prætuliſſet, ab ineunte ætate ſummo ſtudio ſemper adamauiſſet; eius artis uituperatio nulla defenſione, laudationeue adiuncta, ſuis e manibus excideret: præſertim cum neque illi ipſi adhuc confecto iam libro, ultimam, ut aiunt, manum impoſuerit. Qua in re cum illum prudẽter facere animaduerterem; dolui non nihil tua cauſa; quod uidebam te pulcherrimæ iocundiſsimæq; lectionis uoluptate, diutius quàm uellem, cariturum propter eas occupationes, quas illi, magnus in eum Pontificis & Giberti amor atque auctoritas afferunt, maximis illas quidem in rebus, & ſplendoris dignitatisq; pleniſsimis: ſed quæ tamen totos illi dies atque noctes intercipiãt; ut philoſophiæ ſtudijs et inchoatæ ſcriptioni ſeſe reddere, ut nunc quidem ſe res habet, plane non poſsit. Nam quid tibi de illo ipſo priore dicam libro, quem quidem perlegi iam ſæpius? Equidem ab illis Auguſti temporibus, quæ profecto maxime omnium ſummis ingenijs & præſtantibus ſcriptoribus claruerunt; nullum legi librum ſcriptũ, ut mihi quidem uidetur, appoſitius ſplendidius, nullum melius, nullum Ciceroniano mori, ſtilo, facundiæ

denique uicinius. Sed de eo coram plura. De *Vrbanis autem rebus puto te nõ expectare a me longiſsimas litteras.* Habemus Pontificem *cũ egregia in omnes homines uoluntate, ac plane bonum: tum & prudentem & grauem, omniaq́; circũſpectantem, & proſpicientem:cuius fidei res* Chriſtiana *publica recte credita traditaq́; uideatur.* Hæc *ad te antea ſcribere cogitantem, multæ me occupationes, quid dicam impediuerunt; cum ſemihora epiſtola cõſcribi poßit; interpellauerunt tamẽ, ſi minus uſquequaque, certe nonnũquàm. Sed cum ad occupationes accedit ea, qua ſæpißime utor, cum ſumendus calamus eſt, interdum etiam delector, negligentia; nihil me uno in ſcribendo ſegnius, nihil ignauius eſt factum.* Nicolao Leonico & Baptiſtæ Leoni *doctoribus tuis, uiris optimis, præſtantißimisq́; hominibus plurimam ſalutem uelim impertias meis uerbis;* Marmaduco *etiã.*Roma. Nono *kalẽ.*Ian. MDXXVI.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo Britanno S. P. D.

RESPONDEO *ad tuas proxime acceptas litteras, & quidem paucis: nam multis nõ eſt opus.* Gibertus *te in oculis plane fert; delectaturq́; mirifice tuarum litterarum lectione; non earũ modo, quas ad illum ſcribis; ſed etiam quas ad me: quarum quidem ſemper omnem paginã perlegit ipſe per ſe, miro cum lepore, tum uoluptate: neq; me recitatore uult uti.*Has

uti. Has autem poſtremas heri domi ſuæ cum legiſſet; etiam aliquot doctis uiris, qui aderant, legẽdas tradidit amiciſſimis atque honorificentiſſimis uerbis. Quod cum feciſſet; ad me conuerſus mandauit, ſuis te uerbis quàm diligentiſſime ſalutarem; oſtenderẽq; te a ſe plurimi fieri, maximopereq; amari: id, quod ego libentiſſime quidem facio, cum illius, tum tua, tum uero etiam mea cauſa: in quem nonnihil quaſi redundare uidetur de tuis multis laudibus: uel quia ualde te amo; ſunt autem amicorum omnia communia; uel quod tanquàm ſponſor ſum ueſtræ beneuolentiæ: quo certe nomine is ad me quoq; aliqua ex parte fructus iocundiſſimus pertinet. Itaq; cenſeo des ad illum aliquid litterarum; quibus ſignifices quàm tibi grata ſit hæc illius de te cum ſignificatio, tum uoluntas. De Sadoleti libro quod ſcribis; ille uero pernegat dono eum ulli omnino hominum ſe dediſſe, ac ne legendum quidem, niſi ea conditione ut ne deſcriberetur. Itaq; ſubiratior eſt Germano illi, quem dicis. Verũtamen non deſtiti ab eo petere, ut mihi librum commodaret: quod tum ſpero faciet, cũ plane erimus diſceſſuri. Tibi tamen ſum auctor, quoniã otio plus abundas, ut ad illum etiam ſcribas aliquid, ſi tibi uidebitur, uel hac ipſa de re, uel de amicitia certe ueſtra iam inſtituta, fundamenta iaciente me; ut in eo uideare aliquid, quod te delectet, conſequutus. Is tibi plurimam ſalutem dicit. Vale. Decimo kalen. Febr. M D X X V. Romæ.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo Britanno S. P. D.

NARRO tibi. Mirabar; quod cum proxime a te meas epiſtolas Roma ſcriptas popoſciſſem; ipſe mihi reliquas quidem miſiſſes: eam, qua binas ad tuas reſcripſeram, nō miſiſſes. Tu uero ne acceperas quidem illam; quippe, quæ data nunquàm eſt. Nam cum eam conſcripſiſſem; obſignariq; iuſsiſſem & dari, cum primum eſſet, qui perferret: erant autem per eos dies publice tabellarij ſane crebriuſculi: neutrum factum eſt, cum ego utrūq; factum eſſe crediðiſſem. Id puto accidiſſe propter morbum, qui me confeſtim inuaſit; quo prope ſum cōfectus. Eo morbo meum librarium perterritum oblitum eſſe facere, quod mādaueram, coniectura ut credam ducor. Epiſtola enim ut tunc erat, non complicata, inter Ciceronis epiſtolarum libros, quos mecum habebam, temere coniecta eſt. Eos libros heri cum euoluerem, in illam epiſtolam incidi: quam quidem ſtatui ad te mittere, non tam porro ea cartula mihi ne perierit; quàm ut ſcires ipſe, me tum in reſcribendo tuis litteris non multo magis, quàm ſoleo, negligentē fuiſſe. In epiſtola dies adſcripta non erat: itaque non addidi. Pacceo & Leonico ſalutem. Vale. E Noniano. VIII kalen. Sept. MDXXV.

PATAVIVM.

P. B. Reginaldo Polo Britanno S. P. D.

PRANDENTI *mihi heri puer meus tuas litteras reddidit tertio kalen. datas: quibus ad eas, quas ad te proxime dederam, reſcripſiſti. Iis ne cõtinuo reſponderem, illud me interpellauit; quod ſtatueram eo die* Triphonem *inuiſere: quem tu hominem credo ne noſti quidem: Sed te arbitror ſcire eũ mihi amicum eſſe.* Feci *autem quod ſtatueram, ſtatim a prandio inſeßis equis: fuimusq; una in uilla ſua, ſane uſque ad ueſperam: ut ſublato iam die cœlo pluuio in* Nonianum *me receperim.* Itaque *heri nihil ad tuas.* Nunc *autem bene mane expergefactus ſumpſi calamum; ut nequid prius, quàm hoc ad te litterarum darem. Sed ad priores parteis epiſtolæ tuæ, quibus te magna ex meis litteris uoluptate affectum ſcribis; effersq; eas multis atque maximis laudibus; quid tibi ego* Pole *reſpondeam; qui te humanitate uincere non poſſum; officijs non poſtulo; ſuauitate autem litterarum, et lepore, et me hercules elegantia ita ne ſpero quidem; ut etiam omnes homines ijs in rebus, breui a te ſuperatum iri uehementer putem.* Quamobrem *eæ partes nunc quidem ſilentio prætereantur; ad quas reſcribi nihil neceſſe eſt.* Reliqua *eſt illa pars litterarum tuarum; qua te purgas mihi; quod ad* Marinum Georgium *in* Romuli *cauſa nihil ſcripſeris.* Qua *in re cum ego plane accipiam*

ne accipiã excuſationẽ tuam:uideris enim mihi recte feciſſe; qui amici tui rationibus, præſertim id a te magnopere poſtulantis, obeſſe nolueris: æquũ eſt itẽ, ut tu quoq; meã excuſationem accipias: ut intelligas quæ me cauſa impulerit, id abs te petendum mihi eſſe ut exiſtimarem. Nam quo ad putaui poſſe fieri, ut Baptiſtæ Leonis ratio Venetijs haberetur; nolui committere, ut mea petitio apud te illius commodis obeſſe tantulum poſſet. Itaq; nihil petij abs te eiuſ=modi; cum tamen in Romuli cauſam iampridem in=cumberem. Poſtea quàm uero amicus quidam ſum=mus meus, homo & prudens, & grauis mihi nun=tiauit ſcire ſe, Triumuiros Venetos, qui rem littera=riam Patauinam procurant, de Baptiſtæ cauſa ad ſe=natũ non relaturos: cœpi optare; ut cum tua uetus poſtulatio Baptiſtæ nihil iã eſſet opis allatura, uelles huic alteri amico tuo noua poſtulatione prodeſſe. Id mihi a tua benefica liberaliq; natura non alienum eſt uiſum; quod ueſtræ inter uos neceßitudini, Ro=muliq; in te obſeruantiæ atque officijs tribueretur. Quod ſi nõ ita exiſtimaſſem futurum, ut ille a Triũ=uiris præteriretur: profecto non tam fuiſſem im=probus, ut ei te uoluiſſem meo impulſu, uel in ſu=ſcepto iam negotio parum conſtantem, uel in ami=citia tuenda nimis fluxum & labantem uideri. Ita=que redeo ad illud; ut non ſolum probem, uerum e=tiam laudem conſilium tuum; quod meæ petitioni nõ ſatisfeceris: modo tu quoque meum ne improbes: qui nõ ut cuipiam obeſſes tuorum, ſed ut alicui pro=
deſſes

deſſes petebam. Vnum eſt, quod me moleſtia plurimum afficit: quod non antea Baptiſta *ſcire poterit id, quod ego intellexi fore, ut de ſe non referatur: quod utinam quidem inane atque falſum ſit: Quod occaſio* Romulum *iuuãdi prœterierit.*Ita *fiet, ut neutri eodem tempore profueris. Quod ſi* Romuli *rem per litteras commendauiſſes; ei quidem certe profuiſſes: quod eſſet mea quidem ſententia optabilius, & ut exiſtimo, etiam tua. Sed de eo tu uideris. Equidem cum* Romulo *maxime cupio: tum* Baptiſtæ *tam ſum amicus; ut tibi non concedam; ut tu plus illum ames, quàm ego amo; uel tu plus ei hoc tempore tribuendum putes, quàm ego ſemper tribuerim. Sed iam nimis multa.* Pacceum *adhuc ſalutem deſiderare, moleſte fero.* Ei *dic, non eſſe æquum in tam ſalubri cœlo, tam diu aduerſa ualetudine uti.* Itaque *aliquando tandem morbum abijciat: ut poßimus illum bene ualentem inuiſere.* Tu *ſi rectißime ualebis; feceris mihi optatißimum; multo optatius, ſi etiam diutißime.* Item Leonicus: *quem ſaluere iubeo.* Vale. *Pridie kalen.* MDXXV. De Noniano.

VENETIAS.

P. B. Reginaldo Polo S. P. D.

CVM *ſtatuiſſem, antequàm* Venetijs *proficiſcerer, te conuenire: tamen multis negotijs impeditus ad te uenire non potui: quod quidem mihi fuit permoleſtum.* Itaq; *ueni* Patauium *mihi ipſe ſubiratior;*

tior; qui te non uidiſſem. Id *cum mea culpa factum ſit: quod proximum eſt, agamus cenſeo per litteras; ſi uel tibi aliqua in re mea cura meáque diligentia erit opus, uel mihi humanitate tua: quemadmodum ego nunc quidem facere decreui.* Mitto *enim ad te faſciculum litterarum: quibus litteris* Sadoleto *reſcripſi, ad eius ſcilicet litteras; quas tu mihi ab illo acceptas reddidiſti.* Petoq; *abs te; ut quando id multo facilius tibi erit, quàm mihi; mandes tuis, curent, ut ad illum primo quoque tabellario eó proficiſcente perferatur.* Erit *mihi ſane gratiſſimum.* Vale. *Septimo kalen.* Nouembres. MDXXXII. Patauio.

P. B. Reginaldo Polo Cardinali S. P. D.

DOLEBAM *antea te a nobis diſceſſiſſe: cũ tamen eſſet ſpes aliquando reuerſurum.*Nunc *autem; cum te* Paulus Pont.*max.in ampliſſimum* Cardinaliũ *ordinem legerit: neque poſt hac his in locis te uidẽdi facultatẽ mihi datum iri ullam putem: lætor tamen tuam uirtutem ea dignitate auctam & honeſtatam fuiſſe; quam te poſſe conſequi, incredibili* Pauli *prudentia iudicioq; freti, ſperabamus.* Qua *de re tibi uere atque magnopere gratulor: utq; perpetuæ ſolidæq; uoluptati tibi ſit iſte magiſtratus, quæſo &* opto. Ac *meum quidem tui abſentis deſiderium noſtræ neceſſitudinis memoria facile ſolabor.* Tu *uero longe ornatior atque illuſtrior factus nõ* Italiam *modo; ſed* Britanniam *etiam tuam, atque ipſum cœli uerticem*

li uerticem tuarum laudum ſplendore fac impleas. Vale. Tertio kalen. Ianuarias. MDXXXVI. Patauio.

P. B. Reginaldo Polo Cardinali S. P. D.

QVAM iocũdæ mihi fuerint litteræ tuæ humaniſsime amantiſsimeq; ſcriptæ; quibus mihi de mea dignitate gratularis; puto te intelligere etiam tacẽte me: Qui quãtopere te amauerim propter tuã quidẽ primũ nobilitatẽ moresq; ſane regios; deinde propter ſtudiorũ utriuſq; noſtrũ ſimilitudinẽ; cũ te, optimis deditũ pulcherrimisq; artibus, atq; in ijs magnos progreſſus facientẽ quotidie uiderẽ; facile profecto cognouiſti. Acceſsit ad hæc uſus inter nos, non ſane infrequẽs, & neceſsitudo perfamiliaris: quæ nos iam coniunctos atq; amantes inter nos magnopere deuinxit. Mitto uoluptatem illam meam; quam quidem cepi maximam atq; optatiſsimam, cum te Cardinalem eſſe factum cognoui: quemadmodũ ex meis ad te datis litteris ſcire non obſcure potuiſti. Sed omnino; ut & ipſe, quod ſentio, etiam profitear; nihil mihi gratius potuit afferri tua gratulatione, tuisq; litteris. Ego uero Pole te magnopere lætatum eſſe iſto de Cardinalatu meo nuntio, ut ſcribis, ſane puto. Habebis enim poſthac tu quidem me, non laudatorem modo tuarum uirtutum longinquis in locis: ut adhuc poſt tuam ad urbem profectionẽ habuiſti; ſed in collegio & factorum pulcherrimorum teſtem,

& optimorum conſiliorum ſocium: a quo ea omnia erga te officia & ſtudia expectanda tibi ſint; quæ a germano fratre tuo, ſi is collega tibi eſſet, confideres profectura. Neq; enim committam, ut a quoquã in te amando uincar. Reliquis in rebus fortaſſe uinci potero ab ijs; in quibus plus inerit ad eas res conficiendas facultatis. Voluntas erga te quidem mea erit eiuſmodi; ut ab uno Sadoleto ſe æquari patiatur: ſuperari, ne ab illo quidem ſit paſſura. Qui cum te Carpentoracte nunc eſſe, ualde gaudeo: neque uereor; quin & itinerum ſuſpectiſsimorum, & curarum maximarum recentes labores tui, iſto in otio doctiſsimi amantiſsimiq; hominis conuictus compenſatione ſuauiſsime leniantur. Quod ſcribis, non audere te adhortari me ſenem ad ea, ad quæ ego te iuuenem ſum hortatus; ut ſcilicet ita te gereres; ut dignus eo munere, quod tibi tunc deferebatur, uiderere: Tu uero & hortari me, & monere, & obiurgare etiam liberrime ſemper potes; cum præſertim hominem; quem iam ætas in plæriſq; ſegniorẽ & obliuioſiorem fortaſſe fecerit. Sed miratus ſum me tibi eiuſmodi quicquàm ſcripſiſſe. Itaque; ut uerum fatear, concidi animo tuas litteras legens. Quid enim ineptius facere, aut etiam impudentius potuiſſem? Quàm ſi te uirum maximum atque ampliſsimum, omnibus bonis artibus excultum, omnibus uirtutibus perornatum, magna prudentia, magna rerũ experientia præditum monuiſſem? Quare ſumpſi mearum litterarum exemplum. Quod cum legiſſem; re-

creatus

creatus ſum. Nihil enim in eo erat eiuſmodi; ut monitoris perſonam egiſſe uideri tibi debuerim. Afferam uerba ipſa, quæ ſuſpecta tibi eſſe potuerunt. Sunt autem in extrema pagella hæc: Tu uero longe ornatior atque illuſtrior factus non Italiam modo; Sed Britanniam etiam tuam atque ipſum cœli uerticem tuarum laudum ſplendore fac impleas. Hic profecto eſt, non tam hortandi, aut monendi, quàm laudandi, orationis quidam color luſusq;, magna atque præclara de eo, ad quem ſcribimus, ſperãtis, atque pollicentis. Itaque laudaui te uerius, non monui; ut mihi ſane uideor: Volui quidem certe. Idem ſi tibi quoque deinceps uidebitur; erit mihi gratum: Sed de his hactenus. Ego hic æſtatem conficiam. Ita enim mihi Pontifex uti facerem permiſit. Autumni primis menſibus Romam, ſi ualebo, proficiſcar; eoq; libentius; quod te & Sadoletum idem facturos puto: quos uidere atque cõplecti & cogitationes meas conferre diſcupio. Valete binæ meæ animæ, optimæ omnium, & ſuauiſsimæ. Priolo tuo, uel noſtro potius; Paulo Sadoleto certe noſtro, Ludouico Bononienſi multam ſalutem. Vndecimo kalen. Iunias. M D X X X I X. Patauio.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM FAMILIARIVM
LIBER SEXTVS.

VENETIAS.

Petrus Bembus Petro Briſſoni S. P. D.

GRATISSIMAE mihi tuæ litteræ acciderunt; uideo enim in ijs, id quod maximi quidem facio, me abs te amari. Nam quod me tantopere laudas, non tam mihi gratum id quidem eſt; quàm iocundum, propterea, quod in eo, illam ipſam, quàm tu laudibus in cœlum fers, humanitatem, in te ſummam ſingularemq; eſſe plane cognoui. Conſilium ſtudiorum tuorum, quod ſcribis, mihi ualde probatur. Spero enim fore; ut ſi in eo operam impendes tuam: maximos ex ea re, uberrimosq; ſis breui tempore fructus uoluptatesq; percepturus. Cæterum de Carpi Regulo quod ſcribis; quanquã me in Noniano tuæ litteræ offenderũt; feciſſem tamẽ, quod uolebas; Patauiumq; eſſem profectus. Veruntamen ex re tua eſſe arbitratus ſum ut dares operã, ut te antea conuenire & colloqui poſſẽ. Erit id & tibi opportunum, & mihi gratum. Itaq; te expecto. Feci autem quod uolebas, ut tibi quã primum

mum reſcriberem; quod eo dico, ne me putes negligentem in eo fuiſſe, ſi forte tuæ litteræ ſerius ad me perlatæ ſunt: dies enim adſcripta non erat. Vale. Idibus Octobris MDXXII. Ex Noniano.

VENETIAS.

P. B. Franciſco Victorio Phyſico S. P. D.

TV uero, etiam ſi nihil tuis in litteris ea de re diſputauiſſes; ualde me pupugiſſes; qui ad te hominem non ſolum philoſophum, & optimis clariſſimisq; artibus præditum; ſed noſtris etiam in ſtudijs mitioribus egregium ac præclarum uirum, uernaculo ſermone ſcriptas litteras dederim; ad eas tantummodo latine ſi reſcripſiſſes. Quid enim mea illa negligentia fieri mollius atq; ignauius poteſt? Nunc uero, cum & id feceris, & cur ita factum abs te ſit, prudenter tu quidem atq; appoſite pluribus uerbis oſtenderis: perfeciſti profecto, ut ad eum ſermonem, quem quidem prope per biennium cupide admodum perſeueranterq; intermiſeram, libenter redirem. Itaque tuo poſthac more ad te litteras dabimus. Quod Mercurio Chirurgo, quem tibi alteris litteris commendaueram, amorem & ſtudium polliceris tuum; eſt mihi ſane pergratum: Quem tamē ita tibi commendatum eſſe cupio; ſua etiam ſi ſe ipſe arte commendarit. Nam oratione illum ſibi apud te plane non uereor defuiſſe. Quod ſi forte πολύλογοι te delectant; habes hominem, qui non minus lingua,

quàm manu tibi ſe probare facile poßit. De Sadoleto meo quod quæris; is erat Romæ proximis menſibus in optimis, ut ſemper ſolet, ſtudijs, cum legendo, tum ſcribendo ſane plurimus. Nunc autem; neque quid agat, plane intelligo propter peſtilentiam; quæ cũ urbem deformauit; tum itinera maxime ſuſtulit, conſuetudinemq́; ſcribendi. Itaque quod aues ſcire, num is dialogum de philoſophia ſuum confecerit; de eo nihil dum ad nos eſt perlatum: cum erit; faciam ut ſcias. Faciam etiam, quod item ſcribis uelle te; ut cum primũ litteras ad illum dabimus, multam ei ſalutem impertiam tuis uerbis. Ignoſces breuitati mearum litterarum: eram enim cum has ad te litteras dabam, plane occupatißimus: & ualebis. Tertio decimo kalen. Ianua. MDXXII. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Franciſco Victorio Phyſico S. P. D.

MEAS ad te litteras, tibi ſero eſſe redditas, quod me certiorem facis; non magnopere mihi moleſtum fuit: nihil enim erat opus celeritate. Sadoletus meus, uel potius noſter; de quo quæris; Carpentoracte; cuius urbis Epiſcopum gerit; profecturus propediem eſt: Romanarum, credo, ſalutationum, concurſationum, turbarum captus ſatietate: præſertim, cum uideat bonis artibus atque ſtudijs locum prope nullum eſſe. De amore erga me tuo, quæ luculenter admodum, ac prorſus amabiliter in epiſtolam

ſtolam conieciſti; ea ualde mihi iocunda acciderunt. Video enim non id ſolum, quàm me diligis; quod mihi quidem certe gratiſsimum eſt: ſed illud etiam; quàm tu dignus es, qui diligare: quo me hercule uno, ad te diligendum atque amandum, maximopre concitor. Quod a me longiores epiſtolas expetis; tuto id tu quidem; eloquentia qui abundas. Ego uero; quem plane uerba ſæpe deſerunt; malim a te uel tacens intelligi. Itaque ille Areopagitarum iudicum mos mihi uehementer probatur: qui accuſantium, qui reorum orationes ſine procæmio, ſine epilogo, ſine ullis fucis, ac prope nudas audiebant. Marini Brocardi doctiſsimi humaniſsimique hominis, déque me benemeriti, ſalutationem tuis ad me uerbis profectam; tam libenter accipio; ut te in eo max.[e] adhibere operam uelim; ut is intelligat eſſe me plane amantiſsimum ſui. Vale. V kalen. April. MDXXIII. Patauio.

CITADELLAM.

P. B. Franciſco Bonæfidei Phyſico S. P. D.

GRATAE mihi tuæ litteræ fuerunt: nõ tam quidem propterea, quod me in ijs ſummopere laudas: uideo enim in eo, te ingenij facilitate, ac plane beneuolentia duci: quã q; te mei cupidiſsimum, amãtiſsimũq; prædicas. Quid enim mihi eſſe gratius aut iocũdius poteſt; quàm a doctiſsimo uiro diligi: præſertim in quo, cum optimis præſtantiſsimisq; artibus,

ſumma probitas, ſumma humanitas ſit coniuncta? Quamobrem ut tibi breuiter reſpondeam: non fallam uel expectationem tuam, ſi quam habes ipſe de me: uel amorem erga me tuum, uel plane officium ac ſtudium. Cæterum legi tua carmina perlibenter. Sunt enim eiuſmodi, ut cuilibet iocunditatem afferre poßint. Quod autem poſtulas, ut cum rus me contulero, te illuc uocem, ut una eſſe poßimus: ita faciam. Vale. Decimo kalen. Decembris. MDXXIII. Patauio.

BONONIAM.

Petrus Bembus Lazaro Bonamico S. P. D.

IOANNIS Antonij Maroſtici, optimi uiri, qui mortem obijt, fratris filium Baptiſtam, eius hæredem quod mihi magnopere commendas; eſt ſane gratum. Video enim amorem erga te meum aliquãti apud te eſſe; cum te aliquid a me petere intelligo. Itaque hominem libenti animo ſum complexus: eo uſque, ut qua in cauſa nihil ei debere me exiſtimem, ſtatutumq; mihi propterea fuerit, ut nequid is a me eo nomine conſequeretur; idq; nonnullis hominibus mihi pernéceſſarijs idẽ petentibus antea reſponderim; eã cauſam integrã illi eſſe paſſus ſim: ſpémque ei dederim, me, id quod poſtulat, cum hoc tempore minus commode facere poßim; certe aliquando eſſe facturum. Quamobrem ſic a me diſceßit; ut diceret ſatis ſe a me impetrauiſſe. Sane uirum, præter quàm

ter quàm quod litteratus mihi uiſus eſt, etiam frugi modeſtumq; cognoui. Rodulphus tibi Pius multam ſalutem: ego plurimam. Vale. Pridie kalen Decembr. MDXXIII. Patauio.

BONONIAM.

P. B. Lazaro Bonamico S. P. D.

ACCEPI heri tuas litteras Idibus Decembris datas, cum prudentes illas quidem & graues; tum ornato in primis, ac perpolito ſtilo ſcriptas; tui uero erga me amoris & beneuolentiæ nõ plenas modo, ſed me hercule etiam profluentes. Quibus cum quid a me poſtules cognouerim; curabo ſane, quo ad fieri poterit; ne aut operam, aut ſtudium, aut diligentiam, aut certe amorem erga te meum, aut etiã prudentiam, de qua ſcribis, ſi modo eſt ulla in me prudentia, in eo moliendo, tractando, conficiendo deſideres. Longiorem epiſtolam ne faciam, multæ me occupationes impediunt. Ignoſces igitur breuitati litterarum: & ualebis. Nono kalen. Ianuar. MDXXIV. Roma.

PATAVIVM.

Petrus Bembus Colæ ſuo S. P. D.

NOS iter ita diuiſimus; ut cras domi ſimus cœnaturi. Itaq; Cocum meum iuſsi præcurrere, ut hoc tibi nuntiaret; ſimul ut præſto eſſet, ſi quid eius indigeres.

digeres. Tu fac omnia parata ſint ad nos recipiēdos. Etiam Bibliothecā *ſigillis reliquoq; ornatu concinnabis: ut poßim eius aſpectu, quo, ut ſcis, mirifice delector, ſtatim adueniens exhilarari.* Fœminis *dices,* Ceciliam *inuitent, ut cœnet apud nos:* Cupio *enim illam quàm primum uidere.* Lucilio *filiolo meo; quē amabilem & feſtiuum eſſe audio, tibi certe iocundiſſimum ſcio eſſe; baſiolum dabis.* Moroſinæ & Marcellis *ſalutem.* Hæc *ſcripſi pranſus in* Padi *ripa; cū me ſomnus interpellaret: ad quem tota prope nocte* Ferrariæ, *apud antiquum hoſpitem meum* Guidum *Strotiam cum eſſem, non acceſſerat.* Vale *mi optime & ſuauißime* Cola. Decimo *kalen.* Maias. M D X X V.

Petrus Bembus Colæ *ſuo* S. P. D.

HERI *cum ad me* Patauio *ueniſſes, meq; in hortis deambulantem, ſub meis illis hederarum umbraculis, quæ te tantopere oblectant, comperiſſes: poſt eum ſermonem, quem de rebus domeſticis mecū habueras, magnam te uoluptatem capere dixiſti ex ea lectione, quàm habebas in manibus, epiſtolarum ad* Atticum Ciceronis *noſtri, probe planeq; familiariter conſcriptarum: quibus in epiſtolis queſtus es multa uideri tibi perperam inuerſa eſſe ab ijs: qui deſcripſerunt.* Quemadmodum *uerba illa, quæ ſunt octauo in libro:* Ego *uero uehiculo, ſi nauis non erit, eripiam me ex iſtorum parricidio: quæ quidem lectio*

ctio tibi plane non probabatur. Quid enim cum nauigatione atque omnino maris traiectione uehiculũ? De eo cum tibi annuiſſem; ſermonem deambulationemq́; confecimus. Atque ipſe in cubiculum meum perrexi mihi plane ſubiratior: qui quidem nihil certi, quod tibi afferrem illis de uerbis, habuiſſem. Tu uero pranſus paulo poſt Patauium rediiſti. Confecto autem ad ueſperum die, cum me dormitum recepiſſem; intempeſta nocte expergefacto, uerbaq́; illa Ciceronis cupide repetenti ſtatim mihi uera eorum lectio ſeſe obtulit; ut mihi quidem uidetur; & puto tibi etiam uidebitur. Nam ſi ita legas; Ego uero uel lintriculo, ſi nauis non erit, eripiam me ex iſtorum parricidio; nihil porro ambiges, nihil hæſitabis. Vale XIII Calen. Sextilis. MDXXXVII. De Noniano.

BONONIAM.

Petrus Bembus Romulo Amaſæo S. P. D.

ET *ſi & mihi & Bolduco nondum erat cõſtitutũ, quid de noſtris pueris nobis eſſet potiſsimũ faciẽdum: quos etiã ſi ſtatuiſſemus ad te mittere, te tamẽ antea ea de re per litteras non admonito, nihil egiſſemus: per tamẽ gratũ mihi feciſti, quod de cõſilio profectionis tuæ, tuis ad me amantiſsime ſcriptis litteris duxiſti eſſe nos cõmonefaciendos: nequid interea, dũ tu abes, eorũ miſsionẽ feſtinaremus. Oſtendiſti enim in eo, non ſolum, cum tibi adeſt facultas operam diligentiamq́;*

gentiamq́; tuam mihi nauandi, eſſe te mandatorum meorum bene memorem: ſed plane etiam, cum non adeſt. Quorum in altero, amorem erga me tuum facile agnoſco: in altero, etiam prudentiam. Nam quod mihi omnes cauſas huius tui conſilij familiariter exponis; id abs te non tam iudicio meo, quod tu omnibus te iudicijs anteferre ſcribis; quã ei, quæ mihi tecũ eſt neceßitudini; tribui exiſtimo. Quo ſane officio humaniß.° ac ſuauiß.° tuo, cum lætor, propter eam, quã mihi præ te fers beneuolentiã: tum interdum uereor, ne tibi parum in ea uidear reſpondere: propterea, quod ad te minus ſæpe do litteras; quæ te item erudiant, non de meis modo rebus, ſed multo etiã magis de tuis: quæ tamen mihi curæ ſunt æque, ac ſi eſſent meæ. Quo profecto in ſilentio tã diu non permanſiſſem: neq; committerem ut me hoc nomine accuſare merito poſſes: ſi omnino quicquã haberem; quod uel mea, uel tua intereſſet ſcire te. Nihil autem cum habeam; nullas eſſe meas litteras, quam tibi uideri; ſatius duco: idq́; te magnopere cõfido, qui otio non abundas, probaturum. Sed redeo ad tuas litteras: & tibi, ut debeo, gratulor de ea, quàm quidem iam uideo cum iuuene nobiliſſimo, eodemq́; liberaliſſimo, omnibusq́; bonis artibus dedito, Hercule Gonzaga tibi eſſe beneuolentiam conſtitutã. Lætorq́; inuitatum ab eo eſſe te, ut apud ſeſe eſſes. Quid enim tu, hoc præſertim æſtatis tempore, uacuisq́; a publico tuo iſto docendi munere menſibus, facere melius, aut certe delectabilius potes? Tametſi

metſi erit tibi habenda ratio, cum eorum diſcipulorum, quos habes domi; tum multo magis etiam ſuauiſsimi pueri Pompilij *filij tui: cuius amabile ingenium nunc potiſsimum inſtitutis & præceptis erudiri atque augeri debet tuis.* Q*uod quidem & feciſti adhuc diligentiſsime; et ſi tecum illum duces, facere tum quoq; poteris fortaſſe etiam diligentius, quàm ſi eſſes domi.* D*iſcipulis autem tuis te conſulere difficilius tibi erit. Sed puto te pro tua prudētia ſatis ei quoq; rei occurſurum.* I*taq; probo conſilium tuum: deq; eo, ac de profectione iſta tua uolo tibi proſpere atq; feliciter euenire.* Ad Bolducū, *quoniam is* Venetijs *erat apud ſuos; dederam litteras; quibus eum ijs de rebus tuiſq; litteris feceram certiorem.* E*go me in* Noniano *poſt meum reditum, omne fere tempus continui; ut cum noſtris litteris in gratiam redirem.* Id *me ſpero aſſequutum: nam neque illæ me reijciunt iam, ut ſolebant,* Romæ *cum eſſem: et ipſe mediusfidius ſine illis uitam eſſe ipſam aut omnino, aut magna ex parte nullam puto.* Hæc *adieci, non quo ſciri abs te, uel mea, uel tua cauſa opus eſſet: ſed ut ego quoq; ad te de me ipſo aliquid ſcriberem.* Benacum *meū; quem flagitas, habebis cum his litteris.* O*mnes mei, quibus quidem tuis uerbis ſalutem dixi, domuſq; tota noſtra te ſalutat.* T*u meis uerbis* Herculi *tuo, quem ego unum omniū facio plurimi, dicito multam ſalutem.* Vale. *Ad* XV *kalen. Sextilis.* MDXXV. De Noniano.

P. B. Herculi

Petrus Bembus Herculi Gonzagæ S. P. D.

CVM proxime Patauium rediiſſem: rure enim omne hoc ætatis tempus prope contriueram: uenit ad me Franciſcus Belinus familiaris meus optimis moribus, optimis etiam ſtudijs præditus adoleſcens; quem quidem ego unice diligo: oſtenditq; mihi Elegos uerſus a ſe de Petri Mantuani præceptoris tui morte ad te conſcriptos, ſane pereleganteis. Qui cũ mihi ualde probarentur; ſtatui eos ad te mittere, cũ ut pueri: libet enim mihi illum ſic appellare, qui pubes uix dum ſit; tui quidem iam ſponte ſua ſtudioſiſſimi, atq; amantiſſimi clarum ingenij lumen, & ad poëtices ſtudia mirificum, ut mihi quidem uidetur, ἐνθουσιασμὸν agnoſceres: tum ut uideres, quid de te optima iam ingenia iudicent: quo te ipſe acrius etiam & uehementius incitares ad id ipſum, quod facis: ut quàm de te iam quidem apud omnes homines ſpem, expectationemq́; excitaſti; eam ſuſtinere ac tueri poſſis. Quod non eo dico; quo te id non diligentiſſime facturum exiſtimem: quid enim mihi eẽ tua uirtute, tuo in omnes bonas arteis amore, uel ardore potius animi certius, ac exploratius poteſt? Sed quoniam ualde te amo; aut etiam quia ea ipſa; quæ de te ſibi alij pollicentur, mihi ipſe plenius atque uberius ſpondeo: aueo etiam quàm primum, quamq́; conſumatiſſima cum a me ipſo, tum ab omnibus maxime cognoſci ac perſpici. Furnio &

Romulo; quos tecum eſſe audio, ſalutem uelim dicas meis uerbis. Vale. kalen. Aprilis. MDXXVI. E Noniano.

Petrus Bembus Herculi Gonzagæ S. P. D.

FRANCISCVS Belinus is, cuius Elegos de te *ſcriptos uerſus in alteris ad te meis litteris miſi; adoleſcens cum eius ingenij, quod ipſa facile carmina præ ſe ferunt; tum morum optimorum, fidei, modeſtiæ, probitatis eximiæ; quēq; ego uel his de cauſis, uel propterea quod me in primis colit, ita diligo; ut plus diligere non poſsim; accenſus uirtutum tuarum ſplendore, ardet cupiditate incredibili, ut ſe in familiaritatē tuam ſuſcipias; apud teq; uelis eſſe: ut quod illi, propter rei familiaris anguſtias, facere diutius non licet; te auctore, tuisq; in laribus optimarum artium ſtudia, quarum eſt ille quidē unus omnium prope cupidiſsimus, quæq; domi tuæ præcipue uigent; tibi aſtans, teq; intuens proſequi, atque in ijs, quod te libente fiat, proficere ac plane progredi poſsit. Se uero id, quod optat, mea commendatione conſequuturum magnopere confidit. Præclare enim ſcit; ego quantum te amem, tibiq; quãtum tribuam: ut ex eo coniecturam faciat, amoris erga me tui, mutuæq; noſtræ beneuolentiæ. Quod cũ ita ſit; non potui uel illi hoc a me ſummopere petenti negare, cui prodeſſe plurimum cuperem: uel abs te non petere; apud quem ualere me multum, ille*

ipſe

ipſe ſibi perſuaſiſſet, cui porro eſſet petendum: præſertim cum bonis artibus deditos homines fouendi, & fortuna tua facultatem tibi magnam dederit, & natura uoluntatem: alterum, familiæ tuæ, quæ quidem maxima atque ampliſsima ſemper fuit, commune eſt: alterum, germanum atque proprium tuum. quo maiorem etiam adhibere curam debes; ut, quoniã domeſticæ gloriæ, familiariſq́; amplitudinis Dij *tantum tibi, quantum popoſciſti, pollicentur: quæ tua ſunt, ea non minus ornes ipſe, quàm hominum bene de te ſentientium ſpes ac expectatio poſtulat. Quamobrẽ maiorem in modum abs te peto; ut adoleſcenti optimo, amantiſsimoq́; tui, & noſtris in litteris, tam uel erudito iam atque exculto, uel certe ſurgenti adhuc & plane ita creſcenti, ut expectari ab eo præclara omnia atq; ſumma poſsint; ne deſis: hominémque dignum tua familiaritate ſuſcipias in clientelam tuam: tuoq́; conuictu, opibus, humanitate; amore deniq;, quod caput eſt, tuo foueas, erigas, amplectare.* In *quo cum id egeris, ut ego maximũ abs te beneficium accepiſſe me in eo ſim exiſtimaturus: illud etiam aſſequere, ut ipſe magnam ſis uoluptatem percepturus ex ipſius adoleſcentis ingenio: quod quidem tibi ſemper aliquid promet, quo delectere; ſemper excudet pangetq́; aliquid, quo gaudeas illum eſſe apud te: perq́; gratum ac tui muneris bene memorem iudices. Quanquàm quidem eſt omnino unum illud magnum per ſeſe atq; amplum; perfectæq́; uirtutis ſane proprium: in quo acquieſcere*

ſcere uirorum excellentium clarorumq; hominum mens atque animus in primis ſolet: iuuare permultos; benefacere ac prodeſſe quãplurimis; ſuas opes atque potentiam ad aliorum utilitatem quàm maxime paratas eſſe atque propoſitas exiſtimare: quo mihi certe homines ad Deorũ naturam propius, quã ulla re alia, uidentur accedere. Sed nõ committam, ut te ad philoſophiam tuam uocem: ut mihi tritum illud poßis dicere, Noctuas Athenas. Equidem & illud uereor, ne tam multis uerbis uſus, diffidere uidear uel humanitati tuæ, uel liberalitati, uel etiam erga me beneuolentiæ: quarum alteræ omnibus iam hominibus notæ perſpectæq; ſunt; altera ipſi mihi. Sed certe erit notior atque perſpectior; ſi hoc a te impetrauero. Cuius rei petitioniſq; noſtræ monitores non inuerecundos; nam flagitatores plane non ſunt, quippe; qui ab adoleſcente pudentißimo proficiſcuntur; pauculos Belini uerſiculos ad te nunc quoque mitto cum his litteris. Furnio tuo multam ſalutem. Vale. Tertio Idus Maias. M D X X V I. E Noniano.

Petrus Bembus Caterinæ Landæ S. P. D.

VALDE me tuæ litteræ delectarunt: eòque magis, quod mihi præter ſpem accidit abs te puella tantulæ ætatis Latino ſermone & quidem probo & eleganti ſcriptas litteras accepiſſe. Itaque ad reliquas cauſas, quæ te mihi charißimam faciunt, plurimas

rimas illas quidem atque maximas, hac etiam addita, quod te optimis artibus deditam uideo: nihil iã eſt, quod ad meum erga te amorem addi poſſe uideatur. Quamobrem erit mihi plane gratißimum; ſi una cum tuis parentibus ad me uere inito ueneris: ut te uidere & colloqui poßim: cuius rei non minimam mihi ſpem tuæ ipſæ litteræ attulerunt. Auguſtinum fratrem tuum quod mihi commẽdas; facis ex amore fraterno ueſtro. Sed nihil ei erat tua commẽdatione opus; quem ipſe filij loco habeo. Patri tuo & matri plurimam ſalutem dicito. Sed patri uelim etiam ſuauium des. Quod ſi grauare facere; illum meo nomine rogabis, ut tibi det. Vale. Septimo kalen. Decemb. MDXXVI. Patauio.

Catherina Landa Petro Bembo. S. P. D.

AVGVSTINVS *frater meus ad te proficiſcitur, ut bonarum artium ſtudijs incumbat,* Ego *autem nullam aliam ob cauſam illum ſequi non poſſum, ut & ipſa operam litteris dem, ueluti meus fert animus; niſi quia fœmina ſum; ſcio enim fratrem, apud te uirum litteris moribusq́; ornatißimũ, ita profecturum, ut parentum deſiderio ſatisfaciat, quamobrem nihil doleo, illi uerò non inuideo: ſed tamen non deſpero fore ut mater poſt hyemem ad te ſe conferat. tunc ego illam ſequens, a te doctior diſcedam: interim fratrem tibi commendo.* Vale.

P. B. *Herculi*

Petrus Bembus Herculi Gonzagæ S. P. D.

CREDO te memoria tenere ea, quæ ineunte æſtate de Franciſco Belino ad te ſcripſerim. Tu ad illa quàm humaniter mihi reſponderis, quàm liberaliter; ego memoria teneo: idq; mihi plane fuit gratiſſimũ. Nunc Belino ad te proficiſcenti tardius quidem, quàm uellẽ; fuit enim domi pluſculos dies apud ſuos; has ad te litteras dedi: quibus tibi eum quaſi de manu traderem, adoleſcentem et pudentem, et probum, & optimis artibus deditum; atq; in primis tui amantiſſimum: eiuſq; rei cupidiſſimum, ut tibi ſtudium & operam nauare aliquam poſſit. In quo ipſo, ſi quid erit eiuſmodi, quod tibi uſui poſſit eſſe; quod plane erit; tu facile perſpicies: idq; pro tua prudẽtia conſtitues & ex tua uoluntate. Ego cum tibi eum ita commendo; ut & ipſius uirtus poſtulat, & amor ſummus erga illum meus: & ſi non uereor, ne breui tibi ſe ipſe reddat, ſuis moribus ſuaq; uirtute commendatiſſimũ: tum tibi illud promitto & ſpõdeo; quibuscunq; in rebus eius opera uti uoles; & ingenij tibi illum fructum & laboris & diligentiæ, fidei quidẽ certe, pietatis obſeruantiæ cumulatiſſime præſtaturum. Vale. Tertio Id. Nouembris. MDXXVI. Patauio.

P. B. Antonio Bernerio Parmenſi Iureconſulto S. P. D.

ET ſi ex multorum ſermonibus te, & bonarum artium doctrina præditum, & optimis moribus, ſingulariq; humanitate eſſe ornatum intelligebam: tamẽ lectis litteris tuis, quas Bernardino Sandrio ad me dediſti, plenas non officij ſolum, & beneuolentiæ, ſed plane etiam pietatis, multo id clarius atq; apertius cognoui. Nihil enim prætermiſiſti uel in me laudando, quod a liberalis ingenij uiro; uel in mihi pollicendo, quod ab homine amiciſſimo coniunctiſſimoq́; expectari potuiſſet: cum neq; me unquàm uideris; neq; ullum meum in te ſtudium extare potuerit: homo & nullius opis indigens, & optimarum artium ſtudijs fultus ipſe per te te: quo mihi maior atq; ſpectatior humanitas liberalitasq́; ipſa accideret tua. Itaq; cum legi tuas litteras libentiſſime: tum multo libentius atq; alacrius amorem erga me tuum, quẽ illis ipſis in litteris præ te fers, ad me tam liberaliter uenientem complexus ac prope ſuauiatus ſum. Cui quidem amori, cæteris in rebus ſi fortaſſe minus potero: neque enim tanti me eſſe adhuc quidem agnoui ipſe; quanti me abs te fieri uideo: amore quidẽ certe & beneuolentia facile reſpõdebo. Nihil enim impedire uoluntatis animiq́; noſtri curſum poteſt. Iis non uereor, ne tibi homini ardenti, ut mihi quidem uideris, in amicitia conſtituenda, ipſe frigeſcere uidear in

dear in retinenda mutuoq; faciendo: præſertim cum te ipſe antea ſponte atque tacite amauerim. Nico*lao* Leonico *plurimam ſalutem dixi tuis uerbis: legi enim ei tuas litteras.* Is *iam te plane diligit; ſeq; abs te diligi lætatur.* Reliqua *Sandrius tibi ſignificabit, mirificus amicitiarum conglutinator; amantißimusq; tui: atque utriuſque noſtrū erga te uoluntates ſtudiaq; deferet. Vale.* XIIII *kalen.*Decemb. MDXXVI. *Patauio.*

Petrus Bembus Herculi Gonzagæ S. P. D.

COMMENDAVI *tibi æſtate proxima Franciſcum* Belinum *ea de cauſa; ut quoniam ipſe propter rei familiaris anguſtias litterarum bonarumq; artium ſtudia, quibus erat iam nec leuiter imbutus & maxime deditus, perſequi diutius non poterat; tua in domo, tuisq; opibus & munere, quod optabat conſequeretur.* Id*q; memini tibi me ſcribere ijs litteris, quas ad te primum ea de re dedi.* Quæ *mea commendatio cum tantum apud te, quantum ſperaueram, ualuiſſet, mihiq; ipſe liberalißime amantiſſimeq; reſcripſiſſes;* Belinus *aliquot menſes apud te ita fuit; ut cum te antea diligeret commotus tuarū uirtutum fama & ſermonibus hominum, qui de te ferebantur; poſtea cum eadem illa præſens ipſe multo etiam maiora atque illuſtriora cognouiſſet; amorem erga te ſuū tantopere auxerit; nihil ut illo tui uel amantius poßit eſſe uel ardentius.* Quibus *de re-*

bus omnibus mecũ eſt, cum Patauiũ ueniſſet eò tempore, quo tu Venetias te contuliſti, ſic loquutus; ut me etiã, qui te plane noſſem; ingenij, diligentiæ operæq́; in addiſcẽdo tuæ, prudẽtiæ, tẽperantiæ, reliquarumq́; uirtutum et morũ tuorum ſuauiſsimorũ commemoratione & prædicatione ad te amandum aliquanto acrius incenderet. Verum cum tu nihil illi opis adhuc quidem dari, præter eſcam & potũ iuſſeris, credo quod id tibi in mentem non uenit; numulos neſcio quot, domo quos attulit, cum audio defeciſſe. Quare feceris ex liberalitate tua; ſi iuueni perpudenti; qui dura omnia perpeti potius, quã uerbum apud te facere ijs de rebus audebit; tantum ſtipis curari facies, quantum ei ſatis ſit ad neceſsitatem. Quod ſi eum etiam honore menſæ tuæ cõuictuiq́; affeceris: quod, ut uerum fatear, cum illum ad te mitterem, ſperabam te facturum: & ipſius animum fractum prope ac mœrẽtem exhilarabis atque eriges: & mihi facies gratiſsimum. Denique *ut multa complectar paucis; quicquid ei commodaueris; id omne te in me ipſum contuliſſe putabo.* Neq; *uereor; quin tu id bene poſuiſſe ſis exiſtimaturus.* Nam, *niſi me amor fallit: quanquã quid ego amore in eo falli poſſum; ad quem amandum non caſu aut temere, ſed conſilio atque iudicio ſum profectus? ſpero fore; ſi ei uita ſuppetet, neque deerunt, quæ homini dedito bonis artibus tua in domo deeſſe uix poſſunt; clarum ut ille celebreq́; ſibi nomẽ, magnamq́; laudẽ breui tempore apud omnes homines*

noſtris

Digitized by

noſtris in ſtudijs præſertimque poëtices pariat: cuius quidem laudis pars atque portio eſt ad te, qui illum foueris, alueris, multo maxima multóque iuſtiſſima peruentura. Sed quanquàm tua etiam cauſa tibi hominem uideor commendare, cum tibi illum commendo: uolo tamen te exiſtimare, me tibi uniu omnia, quæ illi commode honorificéque feceris, libentiſſime debiturum. Vale. VI kalen. Maias. MDXXVII. Patauio.

P. B. Gabrieli Veneto Auguſtinorum Eremitarum Magiſtro S. P. D.

CVM Venetias proximis diebus me contuliſſem: qua quidem ab urbe prope biennium abfuerã: ueni ad Stephani; aſcendiq; ad tuum cubiculum, ut te ſalutarem, fruſtra. Aberas enim Tauriſum profectus. Quanquàm nec fruſtra quidem. Nã cum deſcendere in templum uellem, ut aſſiſterem ſacris; tui me pueri per tuam ædificationem deduxerũt: quàm quidem auide inſpexi. Erat enim nõ miro ſolum iudicio confecta: ut ſotij tui; qui ante te in templum deſcendebãt longa et populari uia; nunc multo breuiore eademq; ſecretiore uterentur: pertingit enim a ſotiorum cubiculis ad phanum: Sed impenſa prope Regia & artificio luculento. Scalæ primum occultæ atq; ab alia parte ædium lapide Illyrico perfaciles perq; commodæ. Deinde riui tranſmiſſio põte lapideo atque tecto: ut itio reditio perſpici non

poßit. Deinde non ſunt magna, uel puſilla potius; Sed tamen concinna atque hilarula porticus; quam columnæ ſuſtinent; cum areola & puteo, cui lauacrum eſt adiunctum ad ſacerdotum miniſteria, affabre quidem factum; ut nihil poßit eſſe politius, nihil uenuſtius. Sacrarium poſtremo concameratum duplex, magnum quidem ipſum altum, luminoſum, a fundamentis poſitum, ut reliqua omnia, mira incredibiliq; dignitate. Feneſtræ atque hoſtia opere egregio ac pereleganti. Pauimentum, candido purpureoq; lapide teſſellatum. Sacrarum ueſtium et argenti armarium, atque ſedilia, pulcherrimo ex ligno, & quidem aducto Germania, arte diligentiaq; mira. In quo ipſo ſacrario etiam ara peruenuſta cũ ſepulchro, quod tibi ipſe poſuiſti. Quibus in ſingulis ita nihil parſiſti uel materiæ, uel operæ; ut ſi ciuitas ipſa publice id efficere uoluiſſet; non te modo ſuperare atque uincere, ſed ne æquare quidem certe potuiſſet. Itaque non miror id, quod mihi tui ſignificauerunt, tibi in ea ædificatione termille numum aureorum ſumptum factum. Quæ cum nec parum diligenter, & magna cum uoluptate eſſem contemplatus; ualde mihi Leo. Pont. Max. uiſus eſt tuæ ſocietati atque familiæ proſpexiſſe; cum te Magiſtrũ ordinis iußit eſſe: qui eas penſiones atque prouentus, quos tibi præfectura ſubminiſtrat, non in ambitioſas ſacerdotiorum conquiſitiones; non in tuorum propinquorum commoda; nõ in tuas ipſius aliquas uoluptates; ut plærique faciunt, profudiſti:

Sed in

Sed in ornamenta ſacrarum ædium, in tuorum ſotiorum uſum, in ſplendorem urbis, tua in patria & natali ſolo amantiſsime magnificentiſsimeq́; contuliſti. Itaq; ut ad illud redeam, quod initio dixi: non iam modo non fruſtra te quæſiui: ſed etiam ualde gaudeo id me uiæ ſucepiſſe; ut illa ingenij, & liberalitatis tuæ præclara munera imſpectarem. Tibi uero pro meo in te amore ac pietate etiã gratulor de tam mirifica ædificatione tua: ex qua non dubito; quin & magnam uoluptatem capias capturusq́; ſis, quàm diu uixeris: & multum claritatis atque beneuolentiæ, non apud tuos ſolum ſocios; uel apud noſtros; qui nunc ſunt, homines; ſed apud poſteros quoque tibi pepereris: qui, cum illa intuebuntur, te ament multisq́; laudibus efferant, neceſſe eſt: ſi modo erunt ipſi digni, qui homines appellari poſsint. Vale. Tertiodecimo kalen. Iunias Natali meo ipſo die. MDXXVII. Patauio.

Petrus Bembus Bernardino Sandrio S. P. D.

ET ſalutẽ abs te Cornelij fratres proximis diebus mihi nuntiauerũt: & tuæ me litteræ plurimum delectauerũt. Ex ijs enim intellexi nihil te magnopere cupere, præter otium ad ſtudia bonarum artium, quibus te dedidiſti, perſequenda. Sed pupugit me id; quod ſcribis, uereri te, ne Romam rapiaris. Nã ſi te illo conferes; nihil erit poſtea, quod exiſtimes te minus poſſe conſequi; quam nõ modo philoſophiã

optimasq́;

optimaſq; artes; uerum etiam leuioris doctrinæ ſtudia, litteraſq; paulo politiores; quas quidem puer adamauiſti. Sed de eo tu uideris. Leonici noſtri optimi doctiſsimiq; uiri ſuauitatem merito tu quidẽ expetis. Nihil eſt enim ſene illo ſanctius, nihil amabilius. Quod uero addis te totum humanitati meæ innocentiæq; permittere: potes tu quidem id tuo prope iure omni tempore. Verum in quo tibi eſſe uſui amor in te meus magnopere poſsit; non fere uideo. Ita enim premor hoc biennio toto cum publicis erogationibus pecuniæ, tum Italici belli uaſtitate atq; incendio; ut me meoſq; uix ægreq; ſuſtentem. Itaq; ſpem, quam habes in utroque noſtrum, ut in extremo eſt tuarum litterarum; quod ad me attinet; metiri te uolo & rerum difficultate, & temporũ atrocitate. Sed tibi DEVS aliquis non deerit ſtudiorum tuorum & conſiliorum moderator: quem quidem tibi aduoces, & cui pareas, cenſeo. Vale. kalen. Septemp. MDXXVIII De Noniano.

P. B. Eraſmo Roterodamo S. P. D.

INCREDIBILI uoluptate cũ tuæ me litteræ affecerũt, tua preſertim manu ſcriptæ: cognoui enim ex ijs minime uerũ eſſe id, quod ad nos incertis rumoribus afferebatur, uexari te morbo neſcio quo, nõ ſine maximo uitæ diſcrimine: Tũ Caroli tui, quẽ mihi cõmendas, ſermo prudens ille quidẽ & ſuauis auxit uoluptatem meam: qui & ualere te, & præter

communem

communem illam locorum iſtorum tempeſtatem, quã commemoras, nihil tibi mali proprium accidiſſe ſcire ſe dixit. Quamobrẽ nihil mihi potuit afferri uel tuis litteris, uel illius ſermone iocundius. Quo enim minus multi ſunt, qui noſtram ætatem ſcriptis illuſtrarint et locupleƈtarint ſuis; eo mihi grauius accidebat, te; qui optime omnium id & feciſti iam, & nunc etiã impenſius facis; eripi cum Germaniæ Galliæq́;, quarum es præcipue in oculis; tum Italiæ; quæ te una quanti faciat; illa ipſa tua ſcripta facile teſtantur: quæ quidem plane iam omnium noſtrorum hominum non ſolum oculos atq; animos obleƈtauerunt; ſed etiam bibliothecas referſerunt. Itaq; redeo ad id, iocundiſsimas mihi fuiſſe tuas litteras. In quo parem me tecum habuiſſe conditionem ſane uideo: quem ſuſpenſum de meo ſtatu; putabas enim fortaſſe me Romæ fuiſſe miſeris illis turbulentiſsimisq́; temporibus, cum direpta uaſtataq́; eſt; Sadoleti mei litteræ, quẽadmodum quidem ſcribis, moleſtia liberauerunt: quibus litteris me Patauium multo ante acceſsiſſe congnouiſti. Quam quidem me ad Vrbem ex multis laboribus tanquàm in portũ ex tempeſtate contuli; ubi quieſcerem. Ea in ſententia utinam ipſe quoque Sadoletus permanſiſſet: ut cum ſemel Prouintiam petijſſet, ut otio frueretur; reſorberi ſe Romanis fluƈtibus non ſiuiſſet. Fortuna in illum minus iuris habuiſſet. Sed homo omnium innocentiſsimus fruſtra ſe a Pont. Max.° peti uocariq́; paſſus non eſt. Itaq; iuſſus illuc redijt; ubi iaƈturam feciſſe una cum

multis

multis magnis atq; claris uiris non tam reprehendendus eſt; quàm, quod ante, quàm Roma *caperetur, ſeſe unus explicuerit, indeq́; diſceſſerit, laudandus.* In *illo humaniter lapſus, uel etiam cum ratione progreſſus eſt:* Hoc *extremum magni conſtantiſq; animi, ac prope diuini conſilij fuit.* Sed *de his hactenus.* Per*turbari tua ſtudia tumultu prope bellico, conuelliq́;, ut audio, ueſtrum omnium ueterem in* DEVM *Opt. Max. cultum, cerimoniaſq; ſacrorum nobis a maioribus noſtris per manus traditas, moleſte tuli: doluiq́; tuam uicem deuexa iam ætate hominis, inq; tuis optimis confirmatiſq; iudicio & longinquitate uitæ moribus & uirtutis actione quieſcentis. Quanquàm quis eſt, qui hoc tempore plures cum fortuna expoſtulandi cauſas argumentaq́; non habeat?* Tibi *ſi recte cum ualetudine tua erit; reliqua uel ſanabuntur aliquando: uel erũt ferenda: humana enim ſunt: prudentibus præſertim uiris: quibus uiuis animi curſus & uoluntas impediri pietaſq; nõ poteſt.* Carolus Vtenhouius *erit mihi eo loci; quo apud te eſt.* Vna *enim commẽdatio tua omniũ mihi neceßitudinum inſtar eſt:* Vt *non modo nullo meo incommodo, quod adſcribis ipſe, illi commodem; ſi quid erit, in quo ei uſui eſſe poßim: ſed etiam ut nihil plane habeam cum illo non commune; non amicos, non domum, non pecuniam ipſam, quàm excipis; ſi ea uolet uti.* Omnino *nihil tam tuum eſſe, quàm mea omnia meq́; ipſum ſi exiſtimabis; non fallam opinionem tuam.* Id *cum uirtuti tuæ atque doctrinæ, tum tuo de me*

iudicio

iudicio debeo. Vale. Pridie Non. April. MDXXIX. *Patauio.*

Petrus Bembus Carolo Vtenhouio S. P. D.

IIS *in litteris mittendis, quibus ad Eraſmum reſcripſi, nulla celeritate te uti uolo. Quicunque primus te adierit, qui Baſileã cogitet; is erit aptiſſimus; cui eas litteras des. Nihil enim continent, præter id unum, eius de te commendationem magnũ apud me põdus habuiſſe: idq́; me tibi rebus omnibus oſtenſurum. Amari me abs te ualde gaudeo. Cæterũ, quod petis, ut te deſtitutum omni auxilio tuear; ego uero id non libenter modo, ſed etiam cum uoluptate ſum facturus; ſi, quid illud ſit, in quo mea uel ope uel beneuolentia indigeas, quodq́; me uelis facere, abs te cognoro. Vale.* XVII *kalen. Maias.* MDXXIX. *Patauio.*

VENETIAS.

Petrus Bembus Victori Fauſto S. P. D.

QVOD *& in ædificanda quinqueremi naui fidem tuam reip. præſtitiſti; & in concitanda omniũ ſpem expectationemq́; uiciſti; lætor: atque ad tuas priſtinas facultates, litterarumq́; ornamenta plurima atque maxima, hoc etiam acceßiſſe: ut tua uirtute rem maritimam auxeris; tibi ualde, ut debeo, gratulor. Non enim id ſolummodo effeciſti, ut quod*

olim nauium longarum genus, apud Romanos aliáſq; nationes maxime uiguit; noſtrum ſæculum multaq; ſupra ætatem noſtram ſæcula nõ uiderunt; noſtris hominibus reſtitueres: quod erat tamen magnũ atq; amplum per ſeſe: ſed illud etiam es aſſequutus; ut quas omnino naues uaſtitate corporis materiaq; omni eſſe triremibus longe ponderoſiores conſtabat: itaque exiſtimabant plurimi etiam curſu tardiores futuras, eas eaſdem ipſe multo ueloclores oſtenderes, uicta publico in certamine triremi; cũ qua curſum, ut eius rei periculum faceres, inſtituiſti. Vt omnes homines ſponte iam prædicent, nihil eſſe poſſe bellis mari adminiſtrandis magis idoneum, nihil explicatius, commodius, utilius ea naui: Quemadmodum a Bembo ſororis meæ filiæ uiro, certior ſum per litteras factus: qui te ſummis laudibus in cœlũ fert: aſcribitq; uocem eam unam eſſe ciuium, hominumq; omnium opus iſtud tuum, uirtutemq; laudantium: Præſertim cum ueteres etiam, quotquot ſunt noſtra in urbe eius artis magiſtri, quiq; omnem ſuã ætatem in reip. naualibus conſumpſerunt; ſe a te, qui nihil unquàm antea eiuſmodi attigeris, nunquàm te ad naues fabricandas applicueris; uictos atque ſuperatos non ſolum fateantur, ſed etiam profiteantur, palamq; dictitent. Itaque uideo maximum iam te fructum capere ingenij diligentiæq; tuæ, laudem prædicationemq; ſenatus, ciuitatiſq; uniuerſæ atque populi: quod quidem neceſſe eſt illud etiam conſequatur; ut tibi proemium aliquod dignum tribuant,

tam

tam inexpectato tamq; præclare a te geſto munere: quo etiam ad præſtantiora, ſiqua ſunt, aggredienda, atque nauanda; eſſe autem multa arbitror; accendare; maximoq; uſui ſis reip. his temporibus perditis atque miſeris: quæ ſi nobis ſunt acerba; illud tibi facile præſtiterint; ut uirtus ipſa magis eluceat tua; quando illa quotidie ſuorum ciuium opis atque induſtriæ magis magiſq; indiget. Hæc ad te ut ſcriberem, animiq; mei lætitiam ſuſceptam ex tuæ gloriæ incremẽto tibi declararem: amor in te meus uetuſtaq; noſtra neceßitudo me impulit; paſſaq; non eſt, in tam communi noſtrorũ ciuium gratulatione mei muneris partes abs te deſiderari. Quod ſi hoc experimento ſenatus excitatus plures quinqueremes te magiſtro exædificari quàm primum quàmq; celeriter iuſſerit; ſpero me breui de rep. claßibus bene geſta tibi etiam gratulaturum: cui eos euentus referre acceptos debebimus. Vale. Octauo kalen. Iunias. MDXXIX. De Noniano.

Petrus Bembo Bernardino Sandrio S. P. D.

QVOD hodie mane quærenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium uerbis; Treuiros uites cenſeo: audio capitales eſſe: mallem auro, argento, æreq; eſſent; reſpondi iocum eſſe & multiplicem & feſtiuum: qui quidem iocus in antiquis & nummis et ſcriptoribus deprehenderetur: Itaq; quoniam eramus in uia, ut neque libros neque nummos haberemus;

mus; reieci te in alium diem: Id *ne te diutius torqueat, eſt eiuſmodi:* Vt *ioci cauſa; quod quidem* Cicero *ad illum ſcribens, more ſuo fere ſemper facit; uerba illa et* Treuiri *&* capitales *in ambigui genere ſint poſita.* Nam *cum uideatur monere illum, ut uitet* Treuiros Galliæ *populos, qui capitales bellicoſiq; ſint; ludit cum in* Treuirorum, *tum in capitalium uerbo.* Erat *enim* Romæ *magiſtratus* Triumuiri Capitales:*qui etiam* Treuiri *dicebantur. Sed quoniam hoc ipſum* Triumuirum *nomẽ iterum in ambiguo poni poterat, cum eſſent etiam apud* Romanos Triumuiri *pecuniæ cudendæ; quos ita inſcribebant.* A. A. A. F. F. *hoc eſt, auro, argento, ære, flando, feriundo; iocatur iterum hoc in uerbo, luditq;* Cicero, *ut mihi quidem uidetur, belliſsime: addeas mallem* Treuiros *iſtos eſſe pecunioſos, quàm bellicoſos: ut* Cæſare *eos uincente tu diteſceres.*Itaque *infert* Mallem *eſſe* Treuiros *auro, argento, ære; quàm ſcilicet capitales.* Triumuiros *autem etiam* Treuiros *ſolitos dici, unus* Liuius *ſatis locuples eſſe teſtis poteſt; cuius ſunt hæc in libro quartæ* Decadis *decimo:* Colonia Grauiſcæ *eo anno deducta eſt in agrum* Ethruſcum *de* Tarquinienſibus *quondam captum:* Quina *iugera agri data:* Treuiri *deduxerũt* C. Calphurnius Piſo, P.Claudius Pulcher. C.Terentius Hiſter. Quod *uero* Triumuiri *pecuniæ cudendæ, ſic ut dixi inſcriberẽtur; eſt apud me nummus æreus perantiquus ita ſcriptus,* C. PLOTIVS III VIR A. A. A. F. F. *ſunt & alij nummi alio-*

rum

rum nominum, eiuſdem tamen tituli; quos inſpicies, cum uoles. Hæc ad te ſcripſi, cum domum rediiſſem, et nummos ac librum ſumpſiſſem amore tui admonitus. Vale. Prid. Idus. Iunias. MDXXIX. Patauij.

CASTRVM FRANCVM.

P. B. *Sebaſtiano* Corrado S. P. D.

ACCEPI *elegos tuos unos & item alteros; atque hos multo prioribus uberiores; quibúscum erat epiſtola. Iis cum omnibus delectatus: cœpiq; uoluptatem, quod te multum laboraſſe perſpexi, ut me ornares.* De *eo tibi quantum debeam; ſtatues ipſe: qui ea in re neruos atque ingenium intendiſti tuum,* Ego *quantum uoles, tantũdem ſtipulabor.* De *tuis rebus reſpõdere tibi nihil poſſum: cũ ignorem omnia: neque meum ſit, amicorum facta perperam eſſe facta interpretari.* Tu, *ſi uires, tua te uirtute fulcies: neque tibi poſthac in me laudãdo latinas Muſas, ſi me audies, aduocabis.* Iratæ *enim mihi ſunt propterea, quod ſe a me deſertas putant.* Vale. *Idibus* Iunijs. MDXXIX. Patauio.

BONONIAM.

P. B. Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salernitano S. P. D.

QVANQVÀM *mihi moleſta matris tuæ mors fuerat; quæ plurima quondam in me, cum in*

ſratris ſui regno eſſem, præſtantis fœminæ officia materno animo contuliſſet:te tamē e Gallia ea morte reuocatum, ad Italiam aduentare gaudebam:magnaq́; me uoluptate affecerant Sadoleti noſtri litteræ de menſe Iunij ſcriptæ; quæ me de eo certiorem faciebant. Quibus in litteris quoniam erat, tibi ſe dediſſe commentarium quoddam ſuum,quod uellet Venetijs imprimi; eamq́; rē ut iuuarem, ſi opus eſſet, a me petebat:expectabam tuas litteras commentariūq́; ipſum. Itaque nihil ad te dabam litterarum:cum maxime cuperem & ſcribere ad te, & tuas litteras legere: præſertim in tam longo utriuſque noſtrum ſilentio: cuius me quidem iam magnopere pœnitebat. Nunc autem, cum meorum litteris intelligam te, una cum reliquis Romanæ reip. Principibus, Bononiæ conſediſſe; gauiſus admodum ſum propterea, quod breui confido fore,ut te uideam. Statui enim & ipſe Bononiam me conferre ad Clementem Pont. max. ſalutandum. Dediſſemq́; me iam in uiam; niſi meā, quàm Bononiæ habeo, domum, Regis Luſitani Legatus occupauiſſet. Quàm ſi mei recuperabunt; nihil profecto erit, quod me diem unum hic retineat. Aueo enim te amplecti & colloqui. Interea ualebis; nosq́; diliges: ſi te & amari & coli a nobis magnopere intelligis. Idibus Nouemb. M D X X I X. Patauio.

PATAVIVM.

P. B. Andreæ Triuiſano S. P. D.

QVO minus expectabam tuas hoc tēpore litteras; eo mihi eæ, quas ad me Patauio dediſti, plenæ officij amabilesq; litteræ, & iocundiores & ſuauiores fuerūt. Valde enim cupio et amari me abs te, et mei memoriā apud te uigere: quod quidem utrūque procedere præclare oſtendiſti. Itaque uelim exiſtimes nihil mihi optatius accidere potuiſſe tuis litteris; præſertim cum otio non abundes. Scio enim quantis occupationibus implicere, propter prætuтам uiri ampliſſimi patris tui; cuius magnam partem ipſe ſuſtines. Quod ſcribis mulieres noſtras ualere, aduentumq; meum ab ijs mirabiliter expectari; mihi eſt gratum. Ego uero ad uos etiam libentius redibo ſedatis ſublatisq; non ſolum bellis; quæ quidem diutius, quā oportebat, uiguerunt: Sed etiam bellorum ſuſpitionibus: quibus torquebamur, pace iſta, de qua commemoras, confecta: fœdereq; inito multa cū auctorum ſociorumq; fœderis uoluptate. Sed de his cum una erimus: quod breui futurum puto. Reliquis de rebus ſcio te litteras a me non expectare. Patri tuo & matri multam ſalutem; itemq; Cæciliæ & Moroſinæ. Vale. Idibus Ianuarijs. M D X X X. Bononia.

VENETIAS.

P. B. Lazaro Baiſio Oratori Regis Gallorum S. P. D.

MITTO ad te dialogos aliquot meos nuper quidem editos; uerum a me partim iuuene, partim etiam adoleſcente confectos: ut quantum te amem, ex hoc poßis cognoſcere; quod eos ad te uenire uolui prope nudos: qui de re ueſtiaria tam luculenter conſcripſiſti. Mitto etiam eoſdem alios; quos peto a te; ut per tuos tabellarios perferri mandes Lugdunum: desq́; negotium alicui tuorum uel amicorum uel hoſpitum; qui Lugduni ſunt: ut eos mittãt Carpentoracte Iacobo Sadoleto reddendos. Erit id mihi abs te ſupra, quàm dici poßit, gratum. Vale. III Id. Iunias. MDXXX. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Lazaro Baiſio Oratori Regis Gallorum S. P. D.

MANDATVM meum te curaſſe diligenter, ualde gaudeo. Quid dico diligenter? qui non ſolum libros meos, quod unum abs te petieram, measq́; litteras Carpentoracte ad Sadoletum miſeris: ſed illius etiam liber, quo me is remuneratur, optatißimæq́; litteræ ad me ut perferrentur, curam atque operam adhibuiſti: addito huic quidem fœnori, quod mihi gratißimum

gratiſsimum eſt, etiam anatociſmo; tuis ſcilicet ad me ipſum litteris, quibus omnino nihil eſſe potuit elegantius, nihil amabilius. Itaque de eo maximas tibi gratias habeo. Nã quod ais hoc te nomine ſcriptisq; noſtris legendis, quæ uterq; noſtrum ad te miſit, nationis Barbaræ *ſcriptionisq; nubeculam ſenſim exuere: agnoſco humanitatem & lenitudinem tuam: Qui cum ſis ueteres illos optimos latinitatis magiſtros præclare iam in ſcribendo aſſequutus, dicas tamen te de noſtris lucubrationibus capere, quo iuuere.* Sed *de hoc, deq; reliquis tuarum litterarum ſuauiſsimis partibus, cum una erimus: quod erit propediem.* Reſcripſi *ſero plurimis poſt eam febrim, qua prope interij, domeſticis implicitus atque impeditus curis: quæ mihi pene memoriam ademerant tuis litteris reſpondendi. Quanquàm nouiſsime reſp. amorq; in illam perpetuus & ſingularis meus, patriæq; charitas me in maximas cogitationes iniecerunt.* Decemuiri *enim honorificentiſsimo collegij decreto* XLV *annorum rerum publice geſtarum hiſtoriam a me, ut conſcriberem, petiuerunt: quàm ego eorum uoluntatem aſpernari non ſum auſus.* Vale. *Prid.kalen.*Octobris. MDXXX. Patauio.

ROMAM.

Petrus Bembus Egidio Cardinali S. P. D.

ET *ſi mihi multi* Roma *uenientes de te, quæ optabam, nuntiauerunt; litteris etiam meorum tibi recte*

bi recte eſſe quotidie factus ſum certior: multo id tamen clarius atque apertius mihi ſignificauit his diebus proximis Franciſcus Belinus*: qui iſtinc domum rediens cum ad me* Patauium *ueniſſet; non te modo firmum eſſe, ualetudinemq́; illam tuam, qua es apud nos annum totum uexatus, a te diſceßiſſe: ſed uires etiam priſtinas tuas corporiſq́; habitudinē, addo etiam ſermonis hilaritatem, quam quidē plane amiſeras, te narrauit recuperauiſſe. Qui mihi nūtius quàm iocundus fuerit; pro tuo peruetere in me amore, meaq́; perpetua erga te obſeruantia & cultu, malo te exiſtimare, quàm me ſcribere. Sed omnino nihil mihi potuit afferri optatius, quàm ſalus tua: qua in ſalute non tam tua unius, quàm bonorum uirorum, & doctorum hominum uita contineri mihi quidem uidetur; ſpesq́; ipſa omnis, ſiqua reliqua eſt, noſtrorum temporum.* Hæc ego de Belino *cum intellexiſſem; nolui prætermittere, quin tibi per litteras gratularer: eoq́; magis, quod poſt tuū diſceſſum nullas ad te litteras dederam. Quod eo cōſilio feci; ne te interpellarem.* Audiebam enim apud Ciminios *eſſe te in ſylua illa tua, cum algenti atque horrida, tum ſtudijs tuis peroportuna, perq́; commoda uel ſuo ſilentio, quo nihil eſt profundius; uel auicularum cantu; quæ tibi dictanti amabiliter ſuccinunt.* Mihi *certe; quod facile recordor; cum illò ad te ſalutandum* Leone Decimo Pont. *max.*[mo] *ueniſſem; e ramis opacißimarum arborum uiſæ ſunt quaſi tibi ſalutem dicere: ita ad te uoculas inflecte-*

bant

bant ſuas umbram frigúſque captantem. Ea *in ſylua nunc ſi eſſes; nihil te puto pœniteret, præſertim his ſolſtitij caloribus, qui me in* Noniano *prope cōficiunt. Sed, ut audio, urbs te continet,* Vaticanumq; *ſacrarium: quo ad te uentitat homo grauiſsimus, mihiq; uetere beneuolentia coniunctiſsimus* Federicus *Archiepiſcopus Salernitanorum, Sacrarum litterarum & ſtudiorum cauſa: cui plane ſubinuideo: præſertim cum* Gabrielem *tuum, ſocietatis ueſtræ magiſtrum non habeam; quo, ut ſcis, uti ſoleo plurimum.* Eum *hoc tempore* Venetæ *domus ædificatio impedit, egregia illa quidem & præclara; Sed cui ſe totum addixit; ut eius conſuetudine, ſuauiſsimis ſermonibus, amantiſsimis conſilijs perfrui nihil poſsim.* Itaque *poſt* Belini *diſceſſum abdidi me in uillam plane deuiam; ſolitudineq; delector. Scribo autem fere ſemper aliquid, aut lego; quam utiliter, ſi me roges; neſcire me dicam: ſed ſcribo tamen: atque, ut adhuc ſe res habet, mei me conſilij non multum pœnitet.* Viuo *enim & hos ingraueſcentis iam ſenectæ annos non ſedate modo & temperanter, ſed etiam iocunde fero.* Hæc *ſcripſi pluribus, non ſolum ut me cognoſceres de tuo ſtatu maximam uoluptatem capere: ſed etiam, ut te certiorem facerem de meo.* Supereſt, *ut tibi gratias agam, quod in tuis ad* Gabrielem *litteris, ſalutem mihi ſæpenumero aſcripſiſti amantiſsimis honorificentiſsimiſq; uerbis.* Tu *uero es non tam dignitate amplitudineq; tua magnus; quàm humanitate, amabilitate, beneuolentia.* DEOS

quæſo; te tuis ſoſpitem diu ſeruent; tuos tibi. Id ſi fecerint; ſpero fore; ut & nos de tuis plurimis maximisq; uirtutibus uberrimos optatiſſimosq; fructus propediem percipiamus; & tu de noſtris officijs aliquas iocunditates aliquando ſentias. Victorē Superantium Cubicularium Clementis, qui tibi has litteras reddidit, ualde amo. Eſt enim & eruditus, optimisq; artibus deditus; & bonus plane iuuenis; ac ſumma probitate ſummaq; modeſtia. Eum uelim tua facilitate ſic complectare; ut mihi gratias agat; quod ſe in tuam familiaritatem inſinuarim. Id enim cupit maxime. Gratum adoleſcentem, & officioſum, & tua beneuolentia dignum cognoſces. Vale. Quartodecimo kalen. Quintiles. M D X X X. E Noniano.

BITVRIGES.

P. B. Andreæ Alciato Iureconſulto S. P. D.

PVTO non neceſſe eſſe, me hominē nulla neceſſitudine tibi coniunctū te hortari; ut magna cum tua dignitate accerſitus Patauium, ad ius ciuile declarandū, uenias. Vel enim urbs hæc præclara, conuentusq; illuſtris cū doctorū hominum, tum doceri cupientiū; qui te incredibiliter expetit; uel ipſa ciuitas Veneta, cuius iuſſu hac de re tui ad te ſcribūt; ſatis te ad iter poſſe hortari atq; impellere uidentur: præſertim cū tu te oſtenderis hoc ipſum cupere; dederisq; ad tuos interpretes litteras: quibus ex litteris ſponſores pro

te eſſent;

te eſſent; ſi reſp. tibi, quod petebas, ſtipis nomine polliceretur; te uenturum. Quod ſi propterea, quia cum tu numos aureos ſolares petieris, illa tibi tantum aureos eſt pollicita, hortatore eges; qui te cunctantem & dubitantem incitet: primum quantulum id eſt; propter quod ad petitionis tuæ ſummam non peruenitur? deinde ſpondeo tibi ipſe, in meq; recipio; te, ſi ueneris, breui tempore non modo ea, quæ poposciſti; ſed multo etiam plura multoq; ampliora nullo negotio conſequuturum. Itaque uir clariſſime Alciate pro eo; quo tuam dignitatem maxime quidẽ ſemper, ſed his etiam præcipue diebus, defendi atq; adiuui ſtudio; conditionem, quæ proponitur, te reſpuere minime omnium uelim. Quare non tantum te hortor, ſed plane etiam atque etiam rogo; ut ad nos, quod tuo commodo fiat, ſine mora te conferas. Erit id & matri tuæ iocundiſſimum; que, ut audio, te abeſſe tam longinquis in locis moleſte fert: & tibi in primis honorificum: addo etiã multis de cauſis perutile. Quanquàm quidem cum iuris ciuilis ſcientiam ſis complexus; ab honeſto magis duci moueriq; te tui eſt officium atque muneris. Hæc amor ſummus in te meus ſcriptis excitatus & confirmatus tuis me, ut ad te ſcriberem, impulit. Vale. Idibus Iulijs. MDXXXII. Patauio.

MEDIOLANVM.

Petrus Bembus Andreæ Alciato S. P. D.

ACCIPIO excuſationẽ tuam: qua te oſtẽdis uenire ad nos, ut pollicitus fueras, anno ſuperiore non potuiſſe. Neque enim quicquàm libentius facio, quàm cum te, quem in primis diligo, facioq́; uti debeo, plurimi, culpa omni & crimine non ſeruatæ fidei libero. Vtinã tam æqui in te Iudices præfecti ludi Patauini eſſent: neque ſibi perſuaſiſsimum haberent, te propterea profitendi ius ciuile hac in urbe locum poſtulauiſſe; ut eo tradito apud ducem iſtum tuum uterere, ad largius atque uberius ab eo ſtipendium promerendum. Qui mihi etiam obijciũt, ſe a me deceptos, quod te uenturum affirmauerim, dum tibi uni præſtolantur, temporis anguſtijs excluſos, quæ ex uſu ludi fuerant, procurare ipſos & præſtare non potuiſſe. Illud quidem diluere non poſſum; te ad meas de ipſorum decreto litteras ſpõſionem apud illos de aduentu tuo fieri noluiſſe, reſpicientem ſcilicet iam ad ea, quæ ſunt ſubſequuta. Sed acta ne agamus. Te Ticini eſſe animo non plane læto, ut ſcribis, ſane doleo: eoq́; magis, quod omnino ad nos rumores non belli de Rege Galliarum afferuntur. Qui niſi quieuerit, uideo te multo minus etiam poſthac illa ipſa, quæ commemoras, ex uſu tuo iſtic habiturum. De ſcrupulo, quod ſcribis, totũq́; illud, uereri te, ne ſim tibi ſubiratior; luſiſſe te exiſtimo.

ſtimo. Quid enim tibi obſit mea uel officij, uel beneuolentiæ abalienatio, hominis profecto nihil aliud, quàm de otio, ut ait ille, ignobili dies atque noctes cogitantis? Deinde qui te amare non mediusfidius Patauinæ ciuitatis commodorum, ſed tuæ plurimæ excellentisq; doctrinæ cauſa inſtituerim; poßúmne te eundem illum optimarum artium ſcientia & præclaris ſcriptis florentē, amore proſequi deſinere? Quod ſi ea tamen ſerio fortaſſe tu quidem ſcripſiſti: puto te propterea, quod nullas ad te litteras dederim, id in animum induxiſſe, ut me tibi ſuccenſere exiſtimaueris. Ego autem illis de rebus ad te ſcribere plane nolebam: erat enim ſubodioſum: Noui, quod ſcriberem, non habebam. Itaque ſilentio me continui. Habes excuſationem meam haud paulo tua iuſtiorē: quàm tamen, ut initio dixeram, libentißime admiſi: ut tibi morem gererem; quem ſummopere diligo. Tu ſi de mea idem feceris, erit mihi gratum. Vale. Vndecimo kalen. Maias. MDXXXIIII. Patauio.

TICINVM.

P. B. Andreæ Alciato Iureconſulto S. P. D.

EPISTOLA tua cum munere uerſiculorum abs te adoleſcente conſcriptorum, quos emblemata appellas, mihi miſſa magnopere ſum delectatus. Cognoui enim ex ea; tametſi tui iuſſu principis iſtic detineare; mecum tamen cogitatione te ſæpißime uerſari:

uerſari: quo nihil mihi potuit accidere iocundius. Nam qui te propter excellentem doctrinam tuam complures iam annos ſummopere diligo; utque a te diligerer, concupiui: ualde gaudeo nulla locorum intercapedine; quod ad te attinet; amoris noſtri curā ſum interpellari. Tu ſi de me idem tibi perſuaſeris: & rectißime ſenties ipſe; neque ego opinionem falſam tuam. Quin etiam; credas mihi uelim; creberrime a me cum doctis hominibus ſermo de te instituitur: quorum neminem adhuc uidi; qui non te efferret ſummis laudibus. Sed hæc tu quotidie intelligis. Neque enim paulisper modo uerſatus quiſquam eſt in litterarum ſtudijs uel humaniorū; ut ſunt eæ, quibus nos dediti ſumus; uel iureconſultorum et ueſtrarum: quin de te honorificentißime cum ſentiat; tum uero etiam loquatur: Vt eiuſmodi uoces ſingulis prope horis ad te perferri exiſtimem. De tuis carminibus quod tibi noui afferam homini pereruditο & ſingularis iudicij uiro; nibil ſane eſt. Tantum opto; ut tibi laudi ſint, aliorumq; tuorū ſoluta oratione ſcriptorum titulos atq; gloriā augeant. Vale. Duodecimo kalen. Aprilis. MDXXXV. Patauio.

P. B. Andreæ Alciato Iureconſulto S. P. D.

TVAE *litteræ, quas kalen. Septembr. dediſti, ita multos dies Patauij, quo ab oppido aberam peregre profectus, me opperientes moram traxerūt: ut antequam eas legiſſem; tempus omne præterierit*

ea de re,

ea de re; quàm de me admones, agendi. Itaque *cũ nihil me profecturum uiderem; ne uerbum quidem facere ſum auſus.* Q*uanquàm: ut uere dicam, quod ſentio: etiam ſi tempus non defuiſſet; quæ natura eſt hominum illorum, a quibus impetrari oportet: non magnopere confiderem, illos mihi eam rem conceſſuros fuiſſe.* Sed *poſtea quàm hoc quidem tempore nihil poteſt confici: occaſionem aliquam, cum uidebitur, ſumam apte eorum uolũtates animosq; ſciſcitandi.* Adoleſcentem, *quem mihi commendas, nõ uidi: neque quando illum, aut quomodo uiſurus ſim; ſcire poſſum.* Non *enim nomen adſcribis.* Sed *ſi ad me ueniet; te non fruſtra mihi de ſe ſcripſiſſe ſentiet.* Vale. Sexto Id. Nouembres M D X X X V. Patauio.

BONONIAM.

Petrus Bembus Andreæ Alciato Iureconſulto S. P. D.

GRATVLATIO *de Cardinalatu meo tua ualde mihi grata & iocunda accidit.* Tametſi *tu in recenſendis tuæ lætitiæ cauſis, longius prouecheris; quàm a me agnoſci poſsit te non decipi.* Sed *eſt eiuſmodi lapſus non perferendus modo; uerum etiã amplectendus.* Amoris *enim abundantia prouenit: quæ quo maior eſt; eo minus recte iudicat.* Amore *autem nihil eſt homini datum ſuauius, nihil fructuoſius.* Itaque *de officio iſto tuo elegantiſsimisq; tuis*

atque

atque humaniſſimis litteris ualde me hercule te amo. Mea uero hæc, de qua lætaris, dignitas erit mihi etiã iocundior: ſi in te ornando afferre aliquid poterit; quo meus erga te amor cum tibi, tum reliquis homi-nibus eſſe notior atque teſtatior poſſit. Quanquàm ea tua excellens præclaraq; doctrina, eæ ſunt tuæ plurimæ præſtantiſſimæq; uirtutes; ut alienæ opis minime omnium egeas. Vale. Decimo kalen. Maias. M D X X X I X. Venetijs.

ROMAM.

Petrus Bembus Hieronymo Nigro S. P. D.

QVAS *ſcribis alteras te ad me dediſſe litteras, eæ mihi non ſunt redditæ: quemadmodum te cognoſ-ſe uideo: id enim adſcribis.* Itaque *carui delectatione eius partis; quàm te dicis eas in litteras conieciſſe: qua in parte tui ad Vrbem aduentus urbanarũq; re-rum ſignificatio continebatur.* Non *enim uereor, né-quid eſſem eius generis deſideraturus; ſi tuas litteras accepiſſem.* Altera *erat pars earum litterarum gra-tulationis tuæ de impoſito mihi onere ab ſenatu; ſic enim malo dicere, quàm munere; Vrbis noſtræ res geſtas conſcribendi.* Eam *tu partem alteris tuis re-centibus in litteris non tam reponis; quam etiam au-ges, ut conijcio, exornaſq; honorificentiſſimo de me ipſo teſtimonio iudicij tui: accendiſq; me ad eam ſcri-ptionem grauiſſimis amantiſſimiſq; uerbis.* Ego *ue-ro* Niger, *quod tu de me optime ſentias; plurimum*

lætor:

lætor: Quem enim ualde amo, quemq; & doctrina & prudentia excellere exiſtimo; eundem mihi multũ tribuere uehementer gaudeo: Quod cæteri; ſi eſt ita; facile angor; duramq; mihi conditionem eſſe propoſitam uideo, non ſolum amicis hominibus, ut tu es, ſed etiam alienis atque inuidis ſatisfaciendi. Quod quidem quam difficile ſit, præſertim in magna expectatione hominum, te latere minime puto. Quid: quod ex ſummo otio in laborem plurimum atq; maximum incidimus ea ætate; qua, qui ſapiunt, portum potius & requietem petunt? Sed dabimus certe operam; ne uel nobis ipſis, ſi erit in eo aliqua laus; uel omnino patriæ defuiſſe uideamur. Nam quod Naugerium extollis maximis uerißimisq; laudibus; facis cũ ex tuo iudicio, tum ex tuis etiam moribus. Quanquàm quis eſt, qui nõ idem ſentiat? quis; qui nõ eius mortem eluxerit? qui non in eo clarißimum horum temporum lumen extinctum eſſe atque ſublatum putet? Sed hæc alias. Tu, quod facis, nos ama; & te a nobis amari maximeq; fieri exiſtima. Breuitas mearum litterarum inditio tibi eſſe poterit me in maximis occupationibus uerſari. Tebaldeo & Colotio multam ſalutem. Vale. Tertio Id. Ianuar. MDXXXI. Venetijs.

Ad Arſicanum

AD ARSICANVM RVS.

P. B. Victori Superantio Clemẽtis Papæ a cubiculo S. P. D.

QVOD me conualuiſſe gaudes; facis ex more tuo beneuolentiaq; noſtra. Ego uero malam certe ualitudinem expuli; ſine febri enim ſum: ſed adhuc uires deſidero: quas ſi recuperare in Nonianum me conferam; ut te tuosq; uidere facilius poßim in Arſicano ſororis tuæ: cum qua quidem ualde aueo colloqui: præſertim ſi mater tua lectißima fœmina cũ illa erit: quod quidem, ut ſperem facis: ſcribis enim omnes tuos tecum eſſe. Te uero ſi ante ad nos ueneris; libentißime uidebo. Sororis tuæ uiro tuisq; mulieribus multam ſalutem. Vale. XIIII. kalen. Septemb. MDXXXI. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Conſtantio Syluio Tolentinati Franciſcino S. P. D.

ACCEPI epiſtolam tuã carmenq; quo patriam exornas meam, uenuſtum ſane & facetum: quod me mirifice delectauit. Res tua mihi cordi eſt: neq; de ea cogitandi curam et ſtudium remittã; quoad perfecero. DEVS opt. max. tibi nauigationem iſtam fortunet. Vale. Id. Septemb. MDXXXI. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Ioanni Baptiſtæ Fideli S. P. D.

QVOD ad me bellam epiſtolã & pereruditã dediſti; gaudeo: eoq; magis: quod horum temporũ iureconſulti bonas, hoc eſt latinas litteras ne attingunt quidem. Itaque tu; qui ſermonis elegantiam cũ ſapientia coniunxiſti; pluris unus exiſtimandus es; quàm alij ſexcenti. Quod uero etiam oſtrea mihi miſiſti: de eo tibi multis nominibus gratias ago: Primum, quod ſuburbana: neque enim ſunt cum noſtri maris oſtreis cibi ſaporiſq; præſtantia ullius maris oſtrea conferenda: Deinde quod tanto numero; ut non meas modo cœnas, ſed amicorum etiam meorum conuiuia locupletarint fecerintq; lætiora: Deinde quod ſucco tam recẽti; ut nihil potuerit eſſe ſuauius. Poſtremo autem; quod quidem omnium maximum atque opportuniſsimum fuit; ea ipſa ante alios deuorata cibos, tanto mihi uſui tanquàm præſenti fuerunt; ut pituita, qua magnopere uexabar, me reliquerit; ac ſomno, quem penitus amiſeram, reſtituerit. O te medicum mihi quidem præclarum atque mirificum. Non enim uereor, ne te pigeat medicinæ artem ad priſtinam tuam legum peritiam addidiſſe: cum Valerius Superchius medendi diſciplinæ, in qua excellit, iuris ciuilis ſcientiam adiunxerit, collegio medicorũ a tributi collatione in ſenatu defenſo, ipſo fratre tuo reliquiſq; fiſci & reip. aduocatis

reclamantibus. Vnum mallem; ſocium me tuum in illa piſcatione, de qua commemoras, habuiſſes. Ea uoluptate; quæ tua tantum fuit; non caruiſſem. Quanquàm quidem eius etiam uoluptatis me participem, eædem illæ tuæ litteræ fecerunt: ita ipſam mihi ante oculos rem ſtili tui coloribus depinxiſti. Sed de his hactenus. Altera fuit tuarum litterarum pars; & quidem prior; qua me in cœlum fers miris laudibus: cum te maxime delectatum fuiſſe meo aduẽtu ſignifices ad Prioli noſtri uillam: qua in uilla biduum una iocundiſſime fuimus. Iſtud tu quidem more ueſtro: qui magni cauſarum patroni, paruulas ſæpe res oratione facere maximas conſueuiſtis. Ego uero; qui nullam omnino rem exornare atque comere, quique ad ueritatem uerbis addere nihil didici; ſi me dicam tuo lepidiſſimo ſermone, iocis, ſerijs, omni denique conſuetudine maximopere tunc oblectatum; plane non mentiar. Quod me hercule totiens dico; quotiens in eum ſermonem ingredior; ut illo de noſtro eius bidui conuictu, aut certe de te ipſo ſit dicendum. Sed hæc malo te ex alijs cognoſcere, quàm ex me. Priolum, Naugerium, Leonem ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum. XI kalen. Februarias MDXXXII. Patauio.

Venetias.

VENETIAS.

Petrus Bembus Bartholomeo Riccio S. P. D.

EPISTOLA tua ita me delectauit; ut ægre admodum tulerim; quanquàm tu Venetijs complures annos proxime uixeris, ego frequens fuerim; tamen nullum mihi tecum uſum adhuc quidem interceßiſſe; tuaq; me interea cõſuetudine, tuis congreßibus atq; ſermonibus caruiſſe. Caue enim putes mihi quicquàm ijs accidere potuiſſe iocundius. Quod quoniam tua culpa magis, quàm mea, factum puto; qui ad me nunquàm acceſſeris, nunquàm te mihi dederis intuendum: feram æquiore animo; propterea quod uno eodemq; breui tempore totũ te ut cognoſcerem, effeciſti; tuamq; in ſtudijs noſtris mitioribus doctrinam & diligentiam ut perſpicerem uoluiſti, mißis ad me ſcriptis tuis: quibus facile, quàm ſis ea in re mirificus, ac plane ſummus, cognoui. Itaque quod me rogas, ut uideam, tibiq; ſignificem, an edenda ea ſint: illa uero maxime omnium ſunt communicanda. Quid enim facere poſſumus laudabilius; quàm dare operam; ut noſtro uel labore, uel induſtria, alijs prodeſſe hominibus, pro uirili noſtra, queamus? Tu autem multa in ijs uel a pluribus non animaduerſa, uel perperam recepta, uel etiam neglecta & reiecta, qualia ſint, quémue uſum præſtent, palam facis: afferſq; tanquàm ſyluam, ita modos ordineſq; certos atq; innumerabiles ſcribendi: quibus

di: quibus cum locupletare ſe ſermo latinus poteſt: tum firmare atque conſiſtere; ne ſit lapſui aut errori locus. Quamobrem ſi unum ſtatues; cætera mihi magnopere probabuntur: ut demas ex ea ſylua atq; congerie illa; quæ cognita perſpectaq; ſunt, non ſolum doctis omnibus; ſed ijs etiam, qui modo paulũ latinam linguam attigerunt. Nolo enim in eo te laborem ſumere; ut omnia, quæ dici poſſunt, colligas: nam quid eſſe magis ſuperuacaneum poteſt, in tanta præſertim eorum, qui de latine loquendi ratione, quæ ſciebant ipſi, conſcripſerunt, uel recentium uel antiquorum copia? Sed ut ea, in quibus uel aliquid homines doceas, quod ignorent, uel ſint ipſa per ſe illuſtriora, uenuſtiora, commodiora; in tuum conferas librum; diſponasq;, tanquã in quincuncem, ſic ſuos in locos atq; formas & imagines dicendi. Ea re & ſatietatem legentibus non afferes; & multum addes libro tuo dignitatis, ſplendoris, gratiæ. Cæterum de tuo in me animo & fide, quæ amantiſsime ſcribis; ea per mihi grata ſunt: quæ de me ipſo; tu uideris. In amore autem & beneuolentia poſthac mutuo tecum faciam. Vale. Duodecimo kalend. Aug. M D X X X I I. Patauio.

AVINIONEM.

P. B. Bartholomeo Caſtellano, Diacono Auinionenſi S. P. D.

ET tuæ litteræ, quas mihi reddidit Reginaldus Polus; quibus in litteris amari me abs te ſuauiſsime

oſtendis;

oſtendis; petiſq; a me, ut te in meam neceßitudinẽ recipiam: me magnopere delectarũt: ſunt enim re-fertæ illuſtribus notis ingenij, doctrinæ, humanita-tis, beneuolentiæ: & Poli ipſius de te tuiſq; uirtu-tibus & morum elegantia ſermo, plurimus ille qui-dem ac repetitus cum ſumma teſtificatione tuæ in me uoluntatis, mihi multo iocundißimus fuit. Nam cũ ſemper duxerim, nihil eſſe in uita homini pudenti ſuauius, nihil delectabilius eo fructu, qui ex amici-tiæ cultu atque officijs recte percipitur: quid eſt, cur non magna uoluptate ſim affectus, te tali uiro, cum præter ſpem expectationemq; meã ultro ad me amandum incitato; tum uero meam beneuolentiam per internuntios perq; litteras cupide atque amãter expetente ac requirente? Itaque quod rogas, ut te amem: facio iam id quidem primum iuſtißime: red-do enim plane tibi id, quod debeo, animum ſcilicet uoluntatemq; in te amando mutuam: deinde etiam libentißime: quod ſum natura in amicis amplecten-dis atque colendis paulo etiam, quàm ſatis eſt, ar-dentior. Ago autem Sadoleto noſtro gratias: qui eius rei, quemadmodum quidem ſcribis, auctor fue-rit: Vt quoniam ego ab illo plurimum diligor, il-le abs te; tum ego illum unice amo, têque ille item maxime; optimum factu eſſe iudicaueris, dare ope-ram te ut cognoſcerem: qua ex re illud exiſteret, ut omnes inter nos amaremus. Quod quidem mihi eſſe faciendum ſanctißime puto: neq; uinci me abs te in eo patiar, etiam ſi tu prior ad me amandum ac-ceſſeris.

*ceſſeris. Tametſi omnino perdifficilem mihi rem eſ=
ſe propoſitam uideo; hominis humaniſsimi atque of=
ficioſiſsimi tuam erga me multo quidem prius tan=
quàm e carceribus emiſſam ac præcurrentem uelle
conſeqni & æquare beneuolentiam. Sed enitar ta=
men. Quod ſi nobis uel locorum interuallo, quo diſ=
iungimur; uel annis ingraueſcentibus, qui me quidē
ad otium & requietem hortantur; eſſe una minus li=
cebit: leniri tamen poterit deſiderium utriuſq; no=
ſtrum crebritate litterarum. Quod & faciam equi=
dem ſedulo: ſcribamq́; ad te, quoties erit, cui dem:
& tu idem uti facias, abs te peto. De antiquorum
numis, qui apud te ſunt; quod mihi eos offers; a=
gnoſco liberalitatem tuam. Gaudeo autem te dele=
ctari ea re; quæ me mirifice oblectat. Intueor enim
in illis imagines & tanquàm uultus ipſos maximorū
& clarorum hominum uel Græcorum uel Romano=
rum; quos etiam mihi notos atq; cognitos aſſuetudo
ipſa reddidit: fruorq́; eorum quaſi conſuetudine atq;
conuictu, muto illo quidem, ſineq́; ullo ſenſu; ſed ta=
men & amabili & grato. Quanquàm eſt etiam al=
tera cauſa in plæriſq;; quamobrem oculi hominum
eius rei iudicio præditorum magna cum uoluptate
retinentur: egregia ſcilicet atq; elegans in illis cu=
dendis & effingendis eorum temporum artificū in=
duſtria: quam quidem æmulari noſtri temporis ar=
tifices fortaſſe poſſunt: imitari atque aſſequi non
poſſunt. Ea me item res mirum in modum ſemper
allicit, afficitq́; ſane plurimum. Sed ut ad tuas litte=*

ras

ras redeam; indicem ad me tuorum ſi miſeris; quod te facturum polliceris; erit mihi gratum. Vale. Pridie Non.Octobres. M D X X X I I. *Venetijs.*

AVINIONEM.

P.B. Bartholomeo Caſtellano, Diacono Auinionenſi S. P. D.

ET mihi officioſe tuas litteras reddidit Thomas Poli noſtri familiaris: & ea, quæ ſcribis, ſuo ipſe ſermone ſubſequutus eſt & appoſito; &, ut mihi uiſus eſt, erudito non ſine teſtificatione tuæ in me amãtiſsimæ uolũtatis.Itaq; dupliciter delectatus ſum. Cũ enim cepi magnã uoluptatẽ ex tua epiſtola: qua me de Lauræ perquiſito nuper & reperto ſepulchro certiorem facis; addisq; tuũ ea de re carmen elegans me hercule & luculentum: qua quidem in re non minorem mihi uidetur laudem Nicolaus ille Peruſinus apud uos conſequutus; quàm olim Marcus Cicero apud Siculos fuerit, inuento a ſe Archimedis mathematici clariſsimi hominis ſepulchro; cuius illi memoriam amiſerant: Tum Thomæ ſingulis de rebus, deq; tua erga me beneuolentia ſermo uberior aliquanto ac plenior mihi multo iocundiſsimus fuit. Quamobrem ſic habeto; utraq;,uel potius pluribus de cauſis optatiſsimas mihi eas tuas litteras fuiſſe. Nam quod ſcribis ſtatuiſſe te,litteras ad me mittere,quoties habebis cui des; id ſi non amem faciamq; plurimi,homo plane mihi ipſe non uidear. Peto autem abs te; ne meæ

uoluptati ea in re pluſquàm quod commodo tuo facere poßis, ſeruias. Quod quæris ex me de uerſiculis illis uernaculis plumbea in pyxide in ſepulchro inuẽtis, an Petrarcæ *ſint: illa uero non modo ab illius mirifico ac prope diuino ingenio abſunt lõgißime: ſed ne mediocris quidem ullius poëtæ aut ſtilũ aut eruditionem ſapiunt. Quin etiã non uno in loco* Ethruſcorum *linguæ leges; quas ne ruſtici quidem negligunt; prætermiſſæ ab illo ſcriptore ſunt erratis nõ concedendis.* Vale*; meq́; ut facis, ama; ita tamẽ; ſi te amari a me mi* Caſtellane *intelligis.* Sept. *kalend.* Maias MDXXXIII. Patauio.

RAVENNAM.

P. B. Ioanni Chryſoſtomo *monacho* S. P. D.

EXCVSATIONE *tua; qua uſus es, quod me proficiſcentes tu, fraterq́; tuus* Baſilius *non inuiſeritis; opus nihil fuit. Quid eſt enim mihi aut clarius, aut omnino probatius ueſtro in me amore, charitate, beneuolentia? quàm nõ ſolum pietate atq; conſtantia ab ineunte ueſtra ætate ſemper aluiſtis: ſed plurimis etiam atque illuſtribus officijs auxiſtis, & teſtatiorem ſanctioremq́; feciſtis: quæ ſane officia meo quidem ex animo nunquàm effluent. Itaque ſic exiſtimes uelim; notam te potius apud me ſubijſſe imbecilli in amicitiæ tuendis legibus animi; quod, ne uobis ſubiraſcerer, pertimueris: quã neceſſe fuerit, uos apud me purgatum iri tam leui ieiunaq́; de*

cauſa:

cauſa: quam ego, ut uerißime dicam, ad cogitationes meas ne admiſeram quidem. Sed de his hactenus. Libros de ſermone uernaculo meos fratri tuo reddēdos, itemq́; Nazianzeni tragœdiam; de qua curaueram ut tibi deſcriberetur; ei iußi dari, cui uoluiſti. De ioco in Rhamnuſium quod petis ut te certiorem faciam: habuit ille quidem omnes parteis urbanißimi feſtiuißimiq́; ſalis: uiguitq́; non intermiſſus complures dies. Quid? quæris: nihil potuit fieri comius, amabilius, lætius. Nunquàm riſus hilariores ullius fabulæ exitum ſunt conſequuti. Fratri tuo multam ſalutem: quam tu ei per litteras deferes. Vale. Nonis Septembris. MDXXXIII. De Noniano.

P. B. Ioachino Principi Brandeburgenſium S. P. D.

LEGI ad Italos litteras de Georgio Sabino tuas aliquanto poſt, quàm eius ingenium in bonarum artium atq; poëtices ſtudijs egregiū ac præſtans adamauiſſem. Itaque qui mihi erat per ſe ipſe plane iā perfamiliaris; quemq́; pro eius eximia excellentiq́; uirtute magnopere diligebam: ualde enim mihi eius carmina probabantur: factus eſt mihi tua commendatione etiā charior. Gratulatusq́; Sabino ſum: qui te tantum hominem eo ſplendore, eaq́; dignitate habeat: cui ſua ſtudia curæ ſint: cuiúſque in patrocinio degere ſecurus & beatus poßit. Caue enim putes claros illos poëmatibus conſcribendis uiros; quorum

uideo in te atq; in tuos Sabinum ipſum ſplendidis ac duraturis carminibus poëmatibusq; feciſſe. Hæc cũ *ita ſe habeant: et ſi exiſtimem nihil illi apud te mea commendatione opus eſſe; qui iam tibi per ſe ipſe et optatus ſit & gratus; ego autem in tuam familiaritatem nulla ex parte adhuc quidẽ uenerim: tamẽ, ut meo in illum amori, qui me plane urget, ſatisfaciam; tibi eum non tam ſane commendo: quanquàm commẽdo quidem diligentiſſime: quàm uolo his litteris teſtatum apud te facere, me de Sabino ita ſentire: ut ſi eum à poëtices ſtudijs fortuna, quæ plurimum in humanis rebus poteſt, non abducet; magnum ſis hominem atq; antiquis illis, qui tantopere laudantur, propemodum æquandum habiturus.* Ne*que enim cognoui ullum pangendis carminibus eruditum his temporibus hominem: quibus omnino tẽporibus* Latinæ *litteræ prope reuixerunt; aut etiam ullius ſcripta legi: qui mihi uideretur ſtili facilitate ac genere ad* Quidianam *ſcriptionem atq; facundiã tam proxime accedere. Sed tenenda illi eadem orbita eſt; ſtilúsque ipſe aſsiduitate diligentiáque muniendus: neque tam quantum uiæ fecerit; quã quo progredi poteſt, & uero etiam debet, ſingulis prope horis cogitandum.* Neq; *enim ſi aut in* Batrachomiomachia Homerus, *aut in culice* Virgilius *a ſcribendo ſe continuiſſent: eorum nomen ſæculis omnibus clarum celebréque uiguiſſet.* De *me autem ſic exiſtimes uelim: tuam a me dignitatem; quæ quidẽ apud omnes homines ampliſſima clariſſimáque eſt;*

eo pluris

eo pluris fieri; quod optimarũ artium ſtudia; quæq́; ijs ſe ingenia cum prouentu dediderunt; tibi amanda fouendaq́; duxiſti. Vale Quinto kalend. Mar*tias* MDXXXIIII. Patauio.

P. B. Bernardo *Cardinali* Tridentino, *Regis* Roma*norum ſummo ſcribæ* S. P. D.

C V M *Prioratus* Auraniæ *cauſam; cuius quidẽ ſacerdotij ius mihi uni competit, uetuſto noſtræ beneuolentiæ nomine* Petro Paulo Vergerio, Clementis Pont. *max. apud* Regem *tuum internuntio; per litteras commendauiſſem: is mihi reſcripſit; ſe ſe tecũ ea de re colloquutum, propenſam erga me uoluntatẽ tuam cognouiſſe: confidereq́;, ſi ea regni* Pannonici *pars regi iſti ceſſerit, te curaturũ; ut mihi id, quod iure competit, etiam tribuatur; libenterq́; cauſam ipſam pro tua humanitate ſuſcepturum.* Q*uæ intelligens ſtatui ad te ſcribere: ut & tibi gratias agerẽ: quod mihi homini nulla tecũ neceßitudine coniuncto; cuius neque faciem unquàm uidiſſes; in re tanta, tam optata, tam etiam propter temporum iniquitatem prope deſperata; tuam operam patrociniumq́; ſpopondiſſes: & me tibi eſſe iam pro ea beneficij tui ſpe, immortaliter deuinctum ſignificarem.* Volo *enim te ſcire: ſi eius ſacerdotij poſſeßionem tua procuratione aſſequutus fuero; omnes meas fortunas fore per te conſtitutas; dignitatémque meam ſuum locum, qui ei temere ſubripitur, recepturam: meq́; tibi æque*

ac Leoni

ac Leoni Pont. *max. debiturum.* Ille *enim in me ius tantummodo eius ſacerdotij contulit: neque enim potuit tunc amplius: tu ei iuri ſuccum omnem atq; neruos addes: pluſquàm mihi fructuum & prouentuum uno nomine attribues; quàm ille tribuerit omnibus; cui per tot annos ſumma fide ac labore magno ſtudui & inſeruiui meo.* Hæc *collegi: ut cum tibi tui beneficij magnitudinem propoſuiſſem; & ipſe te ad id uehementius incitarem; qui eſſes unus omnis meæ dignitatis & honeſtatis auctor & propagator futurus: & tu magis confideres, fore me tuorum in me officiorum & promeritorũ bene memorem; qui tibi ſummam eius rationis antea confeciſſem; atque hanc ad te epiſtolã, quaſi tui æris tabulas & ſyngrapham miſiſſem.* Vale. Sept. Id. *Aprilis* MDXXXIV. Patauio.

BASILEAM.

P. B. Hieronymo Frobenio, *officinæ librariæ magiſtro* S. P. D.

QVOD *a me per litteras* Viglij Iureconſulti *ſuaſu petiſti; ut libros priores ſex* Liuianæ *tertiæ decadis manu ſcriptos perquirerẽ; & ſi haberi poſſent, ad te mitterem: fuit mihi gratum.* Perdiu *enim eſt; cum te diligo, facioq; plurimi: diligentiaq; tua; quam adhibes in iuuandis bonis artibus librorũ probe incuſſorũ ſupellectili; uehementer mihi quidem probatur.* Itaque *quoniam eos ego libros non habebam;*

habebam; quæſiui a nõnullis: ac demũ repertos librario dedi meo deſcribendos. Eorum *ille complures iam paginas cum deſcripſiſſet: collatis codicibus depræhendi nihil boni illis ineſſe; quod non haberent ij libri, qui ex* Aldi *officina quindecim ab hinc annis parua ſub forma exiere:mali uero ac errati ſane plurimum.* Q*uamobrem ne tibi mea diligentia laborem ſuperuacaneum adiungerem; librarium continui.* E*quidem doleo, hac in re,quam a me unam expetiueris; me tibi ſatisfacere non potuiſſe.* Tu *uero, ſi me amas* Frobeni, *propterea ne deſtiteris; si quid poſthac erit, in quo mea tibi opera opus ſit; a me omnia expectare amici hominis officia.* Non *fallã expectationem tuam.* Viglio *multam ſalutem.* Vale. Cal.Iul. MDXXXIIII. Patauio.

VENETIAS.

Petrus Bembus Egnatio S. P. D.

TE Frobeniorũ *nomine in perquirendo* Liuiano *iſto libro de quo me admones, laborem ſumere non oportet.* Nam *cum e* Marcia Bibliotheca *eos ipſos libros, quos abs te quæſiui, manu ſcriptos habuiſſem; deſcribiq; iuſsiſſem: comperi nihil in illis eſſe probe ſcripti; quod non in* Aldinis *reperiretur libris; quos tu ab iſto libro deductos fuiſſe me certiorem facis.*Ea *de re* Frobenijs *reſcripſi; ante quàm in* Nonianũ *ueniſſem.* Puto *me illis ſatisfeciſſe: quorum cauſa, pro eorum in imprimendis libris induſtria;*

ſtria; quam abs te plurimi fieri ex tuis litteris intellexi; uolo me hercule omnia. Sed de Frobenijs hactenus. Quod ſcribis meas uirtutes nominiſq; mei gloriam tibi olim gratiſsima, nunc uero eſſe etiam iocundiſsima: tametſi quæ me gloria ſequatur, aut quàm puſillus omni uitæ ſtatu ſim, non ignorem: de eo tamen magnam uoluptatem accepi. Nam cũ tuam excellentem atque illuſtrem plurimarum artium doctrinam iam ab ineunte ætate magnopere adamauiſſem, teq; mihi eſſe omni neceſsitudine coniunctum ſummo ſtudio ſemper expetiſſem mearum rerũ curſus quidam prope fatalis me ab urbe diſtraxit. Itaq; te complures annos ne uidere quidem potui. Poſtea uero; quàm domum atq; ad meos me recepi; Patauium eſt a me delectum; quo in oppido a laboribus; tanquàm in portu a fluctibus acquieſcerem. Eo factum eſt; ut non ſæpe una fuerimus: cum tu ab urbe, niſi cum te zelarinum tuum requirit, ne pede quidem longius abeſſe conſueueris: ego; ſi aliquando iſtuc ueni; ne meum ſtudium atque officium te offenderet, pertimuerim. Nunc quoniam & amari me abs te, ut exiſtimarem, effeciſti; & proximam hymem totam me ad urbem confecturum puto: Dabo operam; ut tecum eſſe, & tua conſuetudine perfrui aliquando poſsim. Dominicum Triuiſanum, ædis Marciæ procuratorem, affinem meum; quem ego unum uirtutis priſcæ hominem omni pietate ſemper colui; clariſsimum ciuitatis lumen, ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum. Vale. Nono kalen. Sextiles.

MDXXXIIII

M D X X X I I I I. De Noniano.

CARPENTORACTE.

Petrus Bembus Antonio Florebello S. P. D.

EGO uero te in eorum, quos ualde amo, charosq; habeo, numerũ libentiſsime recipio: uel quod id admodum cupere te oſtendis: uel eius doctrinæ, quæ mihi ſe tuis in litteris patefecit, nomine: uel etiã propter eam, quàm es ingreſſus cum Sadoleto meo, familiaritatem & conſuetudinem. A quo qui amantur & probantur; eos a me non diligi nefas puto. Quæ de me prædicas; de iis eo magis tibi debeo, quo minus a me ipſo agnoſcuntur. Sed facis tu quidem amabiliter: ſi, quem diligere inſtituiſti; eum dignũ eſſe oſtendis, qui diligatur. Reliquum eſt: ut quæ proficiſci ab amiciſsimo tui debent; ea de me tibi ipſe polliceare. Dabó operam; ne te fruſtra iudicium ſuſcepiſſe intelligas. Sadoletis multam ſalutem. Vale. Quarto Idus Sextilis. M D X X X I I I I. De Noniano.

Petrus Bembus Fuluio Peregrino S. P. D.

LITTERAE uerſiculiq; tui me magnopere delectarunt non ea me hercule de cauſa, quod me laudibus in cœlum ferunt. Scio enim te in eo amoris erga me tui ſtimulis magis, quàm iudicio incitatum ad ſcribendum acceſsiſſe. Sed quia ingenium mihi

di: quibus cum locupletare ſe ſermo latinus poteſt: tum firmare atque conſiſtere; ne ſit lapſui aut errori locus. Quamobrem ſi unum ſtatues; cætera mihi magnopere probabuntur: ut demas ex ea ſylua atq; congerie illa; quæ cognita perſpectaq; ſunt; non ſolum doctis omnibus; ſed ijs etiam, qui modo paulũ latinam linguam attigerunt. Nolo enim in eo te laborem ſumere; ut omnia, quæ dici poſſunt, colligas: nam quid eſſe magis ſuperuacaneum poteſt; in tanta præſertim eorum, qui de latine loquendi ratione, quæ ſciebant ipſi, conſcripſerunt, uel recentium uel antiquorum copia? Sed ut ea; in quibus uel aliquid homines doceas, quod ignorent; uel ſint ipſa per ſe illuſtriora, uenuſtiora, commodiora; in tuum conferas librum; diſponasq;, tanquã in quincuncem, ſic ſuos in locos atq; formas & imagines dicendi. Ea re & ſatietatem legentibus non afferes; & multum addes libro tuo dignitatis, ſplendoris, gratiæ. Cæterum de tuo in me animo & fide, quæ amantiſſime ſcribis; ea per mihi grata ſunt: quæ de me ipſo; tu uideris. In amore autem & beneuolentia poſthac mutuo tecum faciam. Vale. Duodecimo kalend. Aug. M D X X X I I. Patauio.

AVINIONEM.

P. B. Bartholomeo Caſtellano, Diacono Auinionenſi S. P. D.

ET tuæ litteræ, quas mihi reddidit Reginaldus Polus; quibus in litteris amari me abs te ſuauiſſime oſtendis;

ostendis, petiſq; a me, ut te in meam neceßitudinẽ recipiam: me magnopere delectarũt: ſunt enim refertæ illuſtribus notis ingenij, doctrinæ, humanitatis, beneuolentiæ: & Poli ipſius de te tuiſq; uirtutibus & morum elegantia ſermo, plurimus ille quidem ac repetitus cum ſumma teſtificatione tuæ in me uoluntatis, mihi multo iocundißimus fuit. Nam cũ ſemper duxerim, nihil eſſe in uita homini pudenti ſuauius, nihil delectabilius eo fructu, qui ex amicitiæ cultu atque officijs recte percipitur: quid eſt, cur non magna uoluptate ſim affectus, te tali uiro, cum præter ſpem expectationemq́; meã ultro ad me amandum incitato; tum uero meam beneuolentiam per internuntios perq́; litteras cupide atque amãter expetente ac requirente? Itaque quod rogas, ut te amem: facio iam id quidem primum iuſtißime: reddo enim plane tibi id, quod debeo; animum ſcilicet uoluntatemq́; in te amando mutuam: deinde etiam libentißime: quod ſum natura in amicis amplectendis atque colendis paulo etiam, quàm ſatis eſt, ardentior. Ago autem Sadoleto noſtro gratias: qui eius rei, quemadmodum quidem ſcribis, auctor fuerit: Vt quoniam ego ab illo plurimum diligor, ille abs te; tum ego illum unice amo, têque ille item maxime; optimum factu eſſe iudicaueris, dare operam te ut cognoſcerem: qua ex re illud exiſteret, ut omnes inter nos amaremus. Quod quidem mihi eſſe faciendum ſanctißime puto: neq; uinci me abs te in eo patiar, etiam ſi tu prior ad me amandum acceſſeris.

ceſſeris. Tametſi omnino perdifficilem mihi rem eſſe propoſitam uideo; hominis humaniſsimi atque officioſiſsimi tuam erga me multo quidem prius tanquàm e carceribus emiſſam ac præcurrentem uelle conſeqni & æquare beneuolentiam. Sed enitar tamen. Quod ſi nobis uel locorum interuallo, quo diſiungimur; uel annis ingraueſcentibus, qui me quidē ad otium & requietem hortantur; eſſe una minus licebit: leniri tamen poterit deſiderium utriuſq; noſtrum crebritate litterarum. Quod & faciam equidem ſedulo: ſcribamq; ad te, quoties erit, cui dem: & tu idem uti facias; abs te peto. De antiquorum numis, qui apud te ſunt; quod mihi eos offers; agnoſco liberalitatem tuam. Gaudeo autem te delectari ea re; quæ me mirifice oblectat. Intueor enim in illis imagines & tanquàm uultus ipſos maximorū & clarorum hominum uel Græcorum uel Romanorum; quos etiam mihi notos atq; cognitos aſſuetudo ipſa reddidit: fruorq; eorum quaſi conſuetudine atq; conuictu, muto illo quidem, ſineq; ullo ſenſu; ſed tamen & amabili & grato. Quanquàm eſt etiam altera cauſa in plæriſq; quamobrem oculi hominum eius rei iudicio præditorum magna cum uoluptate retinentur: egregia ſcilicet atq; elegans in illis cudendis & effingendis eorum temporum artificū induſtria: quam quidem æmulari noſtri temporis artifices fortaſſe poſſunt: imitari atque aſſequi non poſſunt. Ea me item res mirum in modum ſemper allicit, afficitq; ſane plurimum. Sed ut ad tuas litte-

ras

ras redeam; indicem ad me tuorum ſi miſeris; quod te facturum polliceris; erit mihi gratum. Vale. Pridie Non. Octobres. M D X X X I I. Venetijs.

AVINIONEM.

P. B. Bartholomeo Caſtellano, Diacono Auinionenſi S. P. D.

ET *mihi officioſe tuas litteras reddidit Thomas Poli noſtri familiaris: & ea, quæ ſcribis, ſuo ipſe ſermone ſubſequutus eſt & appoſito, &, ut mihi uiſus eſt, erudito non ſine teſtificatione tuæ in me amãtiſsimæ uolũtatis. Itaq; dupliciter delectatus ſum. Cũ enim cepi magnã uoluptatẽ ex tua epiſtola: qua me de Lauræ perquiſito nuper & reperto ſepulcbro certiorem facis; addisq; tuũ ea de re carmen elegans me hercule & luculentum: qua quidem in re non minorem mihi uidetur laudem* Nicolaus *ille* Peruſinus *apud uos conſequutus; quàm olim* Marcus Cicero *apud Siculos fuerit, inuento a ſe* Archimedis *mathematici clariſsimi hominis ſepulchro; cuius illi memoriam amiſerant:* Tum Thomæ *ſingulis de rebus, deq; tua erga me beneuolentia ſermo uberior aliquanto ac plenior mihi multo iocundiſsimus fuit.* Quamobrem *ſic habeto; utraq; uel potius pluribus de cauſis optatiſsimas mihi eas tuas litteras fuiſſe.* Nam *quod ſcribis ſtatuiſſe te, litteras ad me mittere, quoties habebis cui des; id ſi non amem faciamq; plurimi, homo plane mihi ipſe non uidear.* Peto *autem abs te; ne meæ*

uoluptati ea in re pluſquàm quod commodo tuo facere poßis, ſeruias. Quod quæris ex me de uerſiculis illis uernaculis plumbea in pyxide in ſepulchro inuẽtis, an Petrarcæ *ſint: illa uero non modo ab illius mirifico ac prope diuino ingenio abſunt lõgißime: ſed nę mediocris quidem ullius poëtæ aut ſtilũ aut eruditionem ſapiunt. Quin etiã non uno in loco* Ethruſcorum *linguæ leges; quas ne ruſtici quidem negligunt; prætermiſſæ ab illo ſcriptore ſunt erratis nõ concedendis.* Vale *: meq; ut facis, ama; ita tamẽ; ſi te amari a me mi Caſtellane intelligis.* Sept. *kalend. Maias* MDXXXIII. *Patauio.*

RAVENNAM.

P. B. Ioanni *Chryſoſtomo monacho* S. P. D.

EXCVSATIONE *tua; qua uſus es, quod me proficiſcentes tu, fraterq; tuus* Baſilius *non inuiſeritis; opus nihil fuit. Quid eſt enim mihi aut clarius, aut omnino probatius ueſtro in me amore, charitate, beneuolentia? quàm nõ ſolum pietate atq; conſtantia ab ineunte ueſtra ætate ſemper aluiſtis: ſed plurimis etiam atque illuſtribus officijs auxiſtis, & teſtatiorem ſanctioremq; feciſtis: quæ ſane officia meo quidem ex animo nunquàm effluent. Itaque ſic exiſtimes uelim; notam te potius apud me ſubijſſe imbecilli in amicitiæ tuendis legibus animi; quod, ne uobis ſubiraſcerer, pertimueris: quã neceſſe fuerit, uos apud me purgatum iri tam leui ieiunaq; de*

cauſa:

cauſa: quam ego, ut ueriſsime dicam, ad cogitationes meas ne admiſeram quidem. Sed de his hactenus. Libros de ſermone uernaculo meos fratri tuo reddēdos, itemq; Nazianzeni tragœdiam; de qua curaueram ut tibi deſcriberetur; ei iuſsi dari, cui uoluiſti. De ioco in Rhamnuſium quod petis ut te certiorem faciam: habuit ille quidem omnes parteis urbaniſsimi feſtiuiſsimiq; ſalis: uiguitq; non intermiſſus complures dies. Quid? quæris: nihil potuit fieri comius, amabilius, lætius. Nunquàm riſus hilariores ullius fabulæ exitum ſunt conſequuti. Fratri tuo multam ſalutem: quam tu ei per litteras deferes. Vale. Nonis Septembris. MDXXXIII. De Noniano.

P. B. Ioachino Principi Brandeburgenſium S. P. D.

LEGI ad Italos litteras de Georgio Sabino tuas aliquanto poſt, quàm eius ingenium in bonarum artium atq; poëtices ſtudijs egregiū ac præſtans adamauiſſem. Itaque qui mihi erat per ſe ipſe plane iā perfamiliaris; quemq; pro eius eximia excellentiq; uirtute magnopere diligebam: ualde enim mihi eius carmina probabantur: factus eſt mihi tua commendatione etiā charior. Gratulatusq; Sabino ſum: qui te tantum hominem eo ſplendore, eaq; dignitate habeat: cui ſua ſtudia curæ ſint: cuiúſque in patrocinio degere ſecurus & beatus poſsit. Caue enim putes claros illos poëmatibus conſcribendis uiros; quorum

rum nunc libros tam libenter in manibus habemus, quiq; Romæ Octauiani *Auguſti tempore floruerunt; ad illud artis culmen euaſiſſe: niſi magni principes extitiſſent; qui ſtudia eorum coluiſſent; ingenia fouiſſent; induſtriam, diligentiam, laborem maximis propoſitis præmijs adauxiſſent.* Quod *quidem de Sabino tuis auſpicijs futurum plane uideo.* Eſt *enim iam eò cum ingenio, tum ſtudio prouectus: ut ſi perrexerit; neq; ſe aliò flecti ac propelli ſinet: clarum ſit poëtam noſtra ſe ætate præſtaturus; tuumq́; nomen atque memoriam, una cum ſuis ſcriptis, magna cum tua laude & gloria immortalitati commẽdaturus.* Hæc *ad te ſcribenda mihi eſſe duxi non eo quidem, ut qualis quantusq́; ſit Sabinus, tibi oſtenderẽ: quis enim id te uno melius intelligit: qui adoleſcentem in tuis habes familiaribus; teſtimonioq́; tuo apud exteros ornas homines, commendasq́; nobis omnibus? Sed ut illud aſſequerer: ut quàm libẽter morem in eo tibi geramus, Sabinumq́; tuum beneuolentia, & omnibus officijs complectamur; ex me ipſo cognoſceres: ſimul ut tuam a me amplitudinem præter cæteras tuas uirtutes, ob id etiam plurimi maximiq́; fieri, quod doctis hominibus faues; méque tui eſſe ſtudioſiſsimum, ſcire poſſes.* Vale. Quinto *kalen.*Martias. MDXXXIIII. Patauio.

P. B. Alberto

P. B. *Alberto Cardinali Brandeburgenſi* S. P. D.

GEORGIVM *Sabinum Germanũ, iuris ciuilis addiſcẽdi cauſa iſtinc ad nos profectũ, in meam beneuolentiam & fidem libentiſsime recepi: cũ mirificum adoleſcentis ingenium, & in litteris humanioribus, præſertimq́; in poëtices ſtudijs ſingularem induſtriam, & præclara ſtudia cognouiſſem: eiusq́; conſuetudine, perlegendisq́; carminibus magnopere ſum delectatus: chariſsimumq́; illũ habui.* Neque *ulla quidem in re tam egregio & præſtãti iam poëtæ; cuius artis nomen apud omnes gentes celebre ſanctiſſimumq́; ſemper fuit; ſi meis uti fortunis uoluiſſet, Sabino defuiſſem. Vbi uero is in ſermonibus colloquutionibusq́; noſtris, tuas mihi litteras oſtendit de ſeſe amantiſsime ſcriptas: quibus eum* Italis *hominibus commendas: non maiore quidem illum beneuolentia: uix enim mihi ad priſtinum meum erga illũ amorem quicquam addi poſſe uidebatur: ſed multo libentius multoq́; diligentius ſum complexus: cum uiderem illum abs te tanto uiro, eo ſplendore, ea dignitate, tot oppidorum & populorum principe honeſtari ac diligi.* In *quo uno rem te maxime omnium dignam facis.* Nihil *eſt enim præclarius magnis principibus ac regibus: quàm fouere ingenia; quæ ad magnam ſint frugem, ſi excolantur, peruentura: quæq́; memoriam eorum multa ſua cum laude in omnem poſteritatem proferant. Quod quidem iã*

uideo

uideo in te atq; in tuos Sabinum ipſum ſplendidis ac duraturis carminibus poëmatibusq; feciſſe. Hæc cũ ita ſe habeant: et ſi exiſtimem nihil illi apud te mea commendatione opus eſſe; qui iam tibi per ſe ipſe et optatus ſit & gratus; ego autem in tuam familiaritatem nulla ex parte adhuc quidẽ uenerim: tamẽ, ut meo in illum amori, qui me plane urget, ſatisfaciam; tibi eum non tam ſane commendo: quanquàm commẽdo quidem diligentiſsime: quàm uolo his litteris teſtatum apud te facere, me de Sabino ita ſentire: ut ſi eum à poëtices ſtudijs fortuna, quæ plurimum in humanis rebus poteſt, non abducet; magnum ſis hominem atq; antiquis illis, qui tantopere laudantur, propemodum æquandum habiturus. Neque enim cognoui ullum pangendis carminibus eruditum his temporibus hominem: quibus omnino tẽporibus Latinæ litteræ prope reuixerunt; aut etiam ullius ſcripta legi: qui mihi uideretur ſtili facilitate ac genere ad Ouidianam ſcriptionem atq; facundiã tam proxime accedere. Sed tenenda illi eadem orbita eſt; ſtilúsque ipſe aſsiduitate diligentiáque muniendus: neque tam quantum uiæ fecerit; quã quo progredi poteſt, & uero etiam debet, ſingulis prope horis cogitandum. Neq; enim ſi aut in Batrachomiomachia Homerus, aut in culice Virgilius a ſcribendo ſe continuiſſent: eorum nomen ſæculis omnibus clarum celebréque uiguiſſet. De me autem ſic exiſtimes uelim: tuam a me dignitatem; quæ quidẽ apud omnes homines ampliſsima clariſsimáque eſt; eo pluris

eo pluris fieri; quod optimarũ artium ſtudia; quæq́; iјs ſe ingenia cum prouentu dediderunt; tibi amanda fouendaq́; duxiſti. Vale Quinto kalend. Martias MDXXIIII. Patauio.

P. B. Bernardo Cardinali Tridentino, Regis Romanorum ſummo ſcribæ S. P. D.

CVM Prioratus Auraniæ cauſam; cuius quidẽ ſacerdotij ius mihi uni competit, uetuſto noſtræ beneuolentiæ nomine Petro Paulo Vergerio, Clementis Pont. max. apud Regem tuum internuntio, per litteras commendauiſſem: is mihi reſcripſit; ſe ſe tecũ ea de re colloquutum, propenſam erga me uoluntatẽ tuam cognouiſſe: confidereq́;, ſi ea regni Pannonici pars regi iſti ceſſerit, te curaturũ; ut mihi id, quod iure competit, etiam tribuatur; libenterq́; cauſam ipſam pro tua humanitate ſuſcepturum. Quæ intelligens ſtatui ad te ſcribere: ut & tibi gratias agerẽ: quod mihi homini nulla tecũ neceßitudine coniuncto; cuius neque faciem unquàm uidiſſes; in re tanta, tam optata, tam etiam propter temporum iniquitatem prope deſperata; tuam operam patrociniumq́; ſpopondiſſes: & me tibi eſſe iam pro ea beneficij tui ſpe, immortaliter deuinctum ſignificarem. Volo enim te ſcire: ſi eius ſacerdotij poſſeßionem tua procuratione aſſequutus fuero; omnes meas fortunas fore per te conſtitutas; dignitatémque meam ſuum locum, qui ei temere ſubripitur, recepturam: meq́; tibi æque

ac Leoni

ac Leoni Pont. max. debiturum. Ille enim in me ius tantummodo eius ſacerdotij contulit: neque enim potuit tunc amplius: tu ei iuri ſuccum omnem atq; neruos addes: pluſquàm mihi fructuum & prouentuum uno nomine attribues; quàm ille tribuerit omnibus; cui per tot annos ſumma fide ac labore magno ſtudui & inſeruiui meo. Hæc collegi: ut cum tibi tui beneficij magnitudinem propoſuiſſem; & ipſe te ad id uehementius incitarem; qui eſſes unus omnis meæ dignitatis & honeſtatis auctor & propagator futurus: & tu magis confideres, fore me tuorum in me officiorum & promeritorũ bene memorem; qui tibi ſummam eius rationis antea confeciſſem; atque hanc ad te epiſtolã, quaſi tui æris tabulas & ſyngrapham miſiſſem. Vale. Sept. Id. Aprilis M D X X X I V. *Patauio.*

BASILEAM.

P. B. *Hieronymo Frobenio, officinæ librariæ magiſtro* S. P. D.

QVOD *a me per litteras Viglij Iureconſulti ſuaſu petijſti; ut libros priores ſex Liuianæ tertiæ decadis manu ſcriptos perquirerẽ; & ſi haberi poſſent, ad te mitterem: fuit mihi gratum. Perdiu enim eſt; cum te diligo, facioq; plurimi: diligentiaq; tua; quam adhibes in iuuandis bonis artibus librorũ probe incuſſorũ ſupellectili; uehementer mihi quidem probatur. Itaque quoniam eos ego libros non habebam;*

habebam; quæſiui a nõnullis: ac demũ repertos librario dedi meo deſcribendos. Eorum *ille complures iam paginas cum deſcripſiſſet: collatis codicibus depræhendi nihil boni illis ineſſe; quod non haberent ij libri, qui ex* Aldi *officina quindecim ab hinc annis parua ſub forma exiere:mali uero ac errati ſane plurimum.* Quamobrem *ne tibi mea diligentia laborem ſuperuacaneum adiungerem; librarium continui.* E*quidem doleo, hac in re,quam a me unam expetiueris; me tibi ſatisfacere non potuiſſe.* Tu *uero, ſi me amas* Frobeni, *propterea ne deſtiteris; si quid poſthac erit, in quo mea tibi opera opus ſit; a me omnia expectare amici hominis officia.* Non *fallã expectationem tuam.* Viglio *multam ſalutem.* Vale. Cal.Iul. MDXXXIIII. Patauio.

VENETIAS.

Petrus Bembus Egnatio S. P. D.

TE Frobeniorũ *nomine in perquirendo* Liuia*no iſto libro de quo me admones, laborem ſumere non oportet.* Nam *cum e* Marcia Bibliotheca *eos ipſos libros, quos abs te quæſiui, manu ſcriptos habuiſſem; deſcribiq; iuſsiſſem: comperi nihil in illis eſſe probe ſcripti; quod non in* Aldinis *reperiretur libris; quos tu ab iſto libro deductos fuiſſe me certiorem facis.*Ea *de re* Frobenijs *reſcripſi; ante quàm in* Nonianũ *ueniſſem.* Puto *me illis ſatisfeciſſe: quorum cauſa, pro eorum in imprimendis libris induſtria;*

ſtria; quam abs te plurimi fieri ex tuis litteris intellexi; uolo me hercule omnia. Sed de Frobenijs hactenus. Quod ſcribis meas uirtutes nominisq; mei gloriam tibi olim gratiſsima, nunc uero eſſe etiam iocundiſsima: tametſi quæ me gloria ſequatur, aut quàm puſillus omni uitæ ſtatu ſim; non ignorem: de eo tamen magnam uoluptatem accepi. Nam cũ tuam excellentem atque illuſtrem plurimarum artium doctrinam iam ab ineunte ætate magnopere adamauiſſem, teq; mihi eſſe omni neceſsitudine coniunctum ſummo ſtudio ſemper expetiſſem mearum rerũ curſus quidam prope fatalis me ab urbe diſtraxit. Itaq; te complures annos ne uidere quidem potui. Poſtea uero; quàm domum atq; ad meos me recepi; Patauium eſt a me delectum; quo in oppido a laboribus; tanquàm in portu a fluctibus acquieſcerem. Eo factum eſt; ut non ſæpe una fuerimus:cum tu ab urbe, niſi cum te zelarinum tuum requirit,ne pede quidem longius abeſſe conſueueris: ego; ſi aliquando iſtuc ueni; ne meum ſtudium atque officium te offenderet, pertimuerim. Nunc quoniam & amari me abs te, ut exiſtimarem, effeciſti; & proximam hymem totam me ad urbem confecturum puto: Dabo operam; ut tecum eſſe, & tua conſuetudine perfrui aliquando poſsim. Dominicum Triuiſanum, ædis Marciæ procuratorem,affinem meum; quem ego unum uirtutis priſcæ hominem omni pietate ſemper colui; clariſsimum ciuitatis lumen, ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum. Vale. Nono kalen. Sextiles.

MDXXXIIII

MDXXXIIII. De Noniano.

CARPENTORACTE.

Petrus Bembus Antonio Florebello S. P. D.

EGO uero te in eorum, quos ualde amo, charosq; habeo, numerũ libentiſsime recipio: uel quod id admodum cupere te oſtendis: uel eius doctrinæ, quæ mihi ſe tuis in litteris patefecit, nomine: uel etiã propter eam, quàm es ingreſſus cum Sadoleto meo, familiaritatem & conſuetudinem. A quo qui amantur & probantur; eos a me non diligi nefas puto. Quæ de me prædicas; de ijs eo magis tibi debeo, quo minus a me ipſo agnoſcuntur. Sed facis tu quidem amabiliter: ſi, quem diligere inſtituiſti; eum dignũ eſſe oſtendis, qui diligatur. Reliquum eſt: ut quæ proficiſci ab amiciſsimo tui debent; ea de me tibi ipſe polliceare. Dabo operam; ne te fruſtra iudicium ſuſcepiſſe intelligas. Sadoletis multam ſalutem. Vale. Quarto Idus Sextilis. MDXXXIIII. De Noniano.

Petrus Bembus Fuluio Peregrino S. P. D.

LITTERAE uerſiculiq; tui me magnopere delectarunt non ea me hercule de cauſa, quod me laudibus in cœlum ferunt. Scio enim te in eo amoris erga me tui ſtimulis magis, quàm iudicio incitatum ad ſcribendum acceſsiſſe. Sed quia ingenium mihi

ſeſe tuum oſtendit utroq; in genere ſcribendi facetũ & elegans; magnam ex eo cepi uoluptatem. Itaque *quod uideris cupere ad amicitiam admitti meam: tu uero ipſe aditum tibi ad eam iuſtiſsimis initijs aperuiſti: ut ferreus plane ſim; niſi te ualde amem.* Vale. Pridie Id. Sextilis. M D X X X I I I I. Patauio.

VENETIAS.

Petrus Bembus Preſbytero Albino S. P. D.

MEAS *ad* Ioannem Piſanum *uirum clariſsimũ litteras tibi uſui fuiſſe; teq; ex ijs ea, quæ magnopere concupieris, aſſequutum; ualde lætor.* Ea omnino *de re mihi te gratias agere non oportuit.* Tuus tamen *gratus animus mihi multo iocundiſsimus fuit.* Quod *ſi ea, quæ in extrema pagella tuarum litterarum te facturum polliceris, etiam præſtiteris: & tu, quæ te digna erunt præmia, facile conſequere: & ego ſatis magnum mei de te iudicij fructum me cepiſſe arbitrabor.* Vale. *kalen. Septembribus.* M D X X X I I I I. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Georgio *Seluæ*, Epiſcopo *Vaurenſi*, Legato Regis Galliæ S. P. D.

TE Patauium *ueniſſe, dum ego eſſem ruri, ualde me hercule dolui.* Mirifico *enim deſiderio tenebar tui:*

bar tui: Quod quidem certe mihi primum tu excitauiſti: qui me, quem nunquàm uidiſſes, ſaluere tamen per amicos humaniſsime iuſsiſti: deinde multorum hominum & prudentium & mihi familiarium ſermones magnopere auxerũt: cum nihil eſſe te uno doctius, grauius, humanius, nihil omnino amabilius dicerent. Itaq; *urgeor cupiditate te uidendi atque amplectendi. Quam plane dabo operam ut exhauriam:* Venetiasq; *me conferam; cum primũ per ea, quibus adhuc diſtineor, negotia mihi licebit.* Nũc *autem litteras ad te mitto eas; quas ad* Franciſcum Belinum *ſcripſi iuuenem ſatis eruditum e* Cardinalis Turnonij *familia; cumq; litteris una pixidem: in qua eſt formula ceſtuum, quos antiquos domi habeo.* Eam *ille me per litteras magno ſtudio flagitat patroni ſui cauſa: adſcribitq;, ut tibi & formam & litteras curem dandas: eas te ad ſe miſſurum.* Daneſium *tuum plurima ſalute uelim impertias meis uerbis.* Vale. *Sexto* Id. *Sept.* MDXXXXIIII. Patauio.

IN GALLIAM TRANSALPINAM.

Petrus Bembus Franciſco Belino S. P. D.

RARO *mihi ullæ tuæ litteræ iocundiores fuerunt; quàm eæ, quas* Lutetia Pariſiorum *dediſti.* Perdiu *enim eſt; cum de te omnino nihil audio.* Itaque *angebar animo: neq; quã commode te haberes; neq; plane ubi eſſes, intelligebam.* Rumor *tantum ad me*

iampridem attulerat; te cum Franciſco Turnonio, qui eſſet e Cardinalium Collegio, in ulteriorem Galliam traieciſſe. Quare gratiſsimũ mihi feciſti; quod ea me non modo cura, ſed etiam ægritudine liberaſti. Quod quereris; eos, qui Romæ meas res procurabant, te ad earum adminiſtrationem non admiſiſſe: de eo nihil poſſum dicere: niſi me putare illos tibi oneri eſſe noluiſſe: cum præſertim ullo in munere tu quidem non eſſes; ex quo iuuari tua uel opera, uel ſtudio, uel omnino labore ac diligentia potuiſſent. Nam te mihi eſſe chariſsimum, omnes plane intelligebant. Quod poſtulas; ut Ceſtuum eorum, quos in antiquo marmore ſculptos habeo, tibi formam mittam: ita ſtatim feci: eamq; formam una cũ his litteris Georgio Seluæ Legato regio, quemadmodum uis, iuſsi dari. Id ſi tardius eſt factum; quàm uoluiſti: tuæ litteræ eam morã attulerunt: quæ mihi redditæ ſunt pridie kalen. Septembris ipſæ ad Quintum kalendas Quintiles datæ. Quod tamen ipſum non ex tuis litteris: nam in illis dies adſcripta non erat: ſed ex ijs, quas ad Colam meum dediſti, a me cum ille abeſſet reſignatis ac perlectis cognoui. De ipſo Georgio quæ ſcribis; ea omnia multorum ad me ſermonibus perferũtur: eſtq; is mediusfidius iam in oculis meorum ciuium plane omnium. Adhuc quidẽ illum non uidi. Aueo autẽ & uidere & colloqui. Idq; fiet perbreui. Verſiculos, quos requiris, tuos habebis cum his litteris. Te autem, quod ais magno deſiderio teneri meam rerum Venetarum hiſtoriam legendi:

gendi: eſt mihi ſane gratũ. Agnoſco enim in eo magis amorem erga me tuum, quo incitaris; quàm iudicium. Ego autem eius hiſtoriæ quinq; tantum libros conſcripſi: quibus quidem libris res geſtas annorum fere quatuordecim ſum cõplexus: ut nõ plane tertiam totius operis partem confectam habeam. Hoc ideo ſcripſi: quod me ad calcẽ mei muneris perueniſſe iam exiſtimas. Cardinalem tuum ualde amo, eum ſcilicet uirum ijsq; uirtutibus præditum, quas commemoras. Vale. Sept. Idus Septembris. MDXXXIIII. Patauio.

ROMAM.

P. B. Alexandro Cardinali Farneſio S. P. D.

CVM proximis diebus Franciſcus Belinus Roma domum rediens ad me de uia Patauiũ diuertiſset: cepi ex eius ſermone mirificam uoluptatem: cum diceret ſe in tuam familiaritatem liberaliter eſſe receptum; eaq; in re plurimum ſibi profuiſſe; quod ſcires diligi ſe a me, longoq; mecum hoſpitio atq; neceſsitudine eſſe coniunctum. Nam illud quidem, meã apud te auctoritatem ualere multum, teq; de me amantiſsime honorificẽtiſsimeq; ſentire, ſingulis prope in collocutionibus tuis ſe cognouiſſe affirmauit; multaq; ſigna cum in uerbis, tum in uultu ipſo tuo præclara atq; illuſtria uidiſſe tuæ in me propenſiſsimæ uoluntatis. Hæc eius oratio, ut dixi, magnopere delectauit. Nam etſi mihi minime nouum eſt amari

me abs te; qui nõ ſolum teſtimonio me tuo, quod ego maximi ſemper feci, omni tempore libentiſsime ornaſſes; ſed etiam Leone x. Pont. *maximo, honeſtiſſimum ſacerdotiũ in eccleſia* Lateranenſi *amico mihi homini, quem tibi commendaueram, cõtuliſſes: ualde tamen lætor, temporis longinquitatẽ decenniumq́; hoc, quod prope uniuerſum ab urbe abſuimus, atque his in locis plane delituimus, de tuo uetere in nos amore nihil omnino detraxiſſe: recensq́; tua iſta de me prædicatio beneuolentiæq́; ſignificatio mihi maximæ iocunditati fuit.* Itaq; *quod ad* Belinum *attinet; quanquàm is quidem adoleſcens ijs moribus eſt, ea probitate, fide, humanitate, eo ingenio, ea bonarum artium & ſtudiorum; quibus te ſummopere delectatũ eſſe cognoui, ego prope ſemper uixi, præſtantia; ut ſatis tibi ipſe per ſe cõmendatus eſſe poſſe uideatur: tibi tamen illum probatiorẽ fuiſſe propterea, quia mihi charus & probatus fuerit; dupliciter gaudeo. Sic enim & mihi plurimum abs te tribui uideo; & ei, quem ſummopere amo, meam in illum beneuolentiam & honori & uſui ſentio fuiſſe.* Caue *enim exiſtimes quicquàm illi hoc tempore accidere optatius potuiſſe; quàm & eſſe ſe in tuis familiaribus; & ea tui erga ſe animi habere iam indicia, tuæq́; pietatis; ut ſuum in te colendo ſtudiũ atq; induſtriam optime ſe collocaturũ putet.* Quibus *ego de rebus omnibus immortales tibi gratias habeo.* Nã *& quod adhuc in illum liberalitatis contuliſti, non minori mihi iocunditati ſcito fuiſſe, quàm illi fuerit: &*

rit: & ſiquid in poſterum conferes; quod quidem de tua uirtute animiq́; magnitudine admonitus confido breui futurum; in eo certe ipſe me accepiſſe abs te beneficium ſum exiſtimaturus; idq́; omne in meis, quas tecum habeo, rationibus libenter tibi acceptum relaturus. Reliquũ eſt; *ut quod minime neceſſe eſſe exiſtimo facere me, tamen faciam, uel amoris erga* Belinum *mei exuberantia, uel tuorum in me beneficiorum recordatione incitatus; ut tibi illum, quo maiore poſſum ſtudio, etiam atq; etiam commendem. Si ei benefeceris; tua liberalitate illũ dignũ, et bene memorem atq; gratum cognoſces. Eſt præterea eiuſmodi; ut etiam referre gratiam poßit, eo ſcilicet remunerandi genere, quo magni & clari uiri plurimũ delectantur; quodq́; eſt, ut ego ſemper exiſtimaui, omnium optimum atque maximum; laudis & gloriæ ſempiternæ. Vale.* Decimo *kalendas* Quintiles. MDXXX. De Noniano.

P. B. *Paulo tertio* Pontifici *max.* S. P. D.

NVNTIO *idibus* Octobrib. *allato incredibili* Cardinalium *conſenſu te* Pontificem Max. *eſſe factum: magna me lætitia perfudit: cum tibi; quem quidem ego propter ſingularem optimarum artium doctrinam, maximas innumerabilesq́; uirtutes cum amplißima familiæ dignitate coniunctas uiginti annos ipſos ſummo ſtudio coluiſſem; liberalemq́; in me atq; beneficum eſſem expertus; tam latam atque in*

omnes terras patentem ditionem, tam amplum imperium delatum intelligerem. Egiq́; DEO opt. max. *gratias: quod & mihi cæteriſq́;, qui eaſdem bonas artes & præclara colunt ſtudia, eum principem ac rerum dominum dederit; a quo ſit magna nobiliſſimarum diſciplinarum ſeges & prouentus expectandus: &* Chriſtianæ *reip. procellis temporum turbulentiſsimorum iactatæ gubernaculo eiuſmodi magiſtrum adhibuerit: quo regente nemo non modo naufragium expaueſcat: ſed ne ullam quidẽ aberrationẽ a recto curſu aut omnino declinationẽ timeat. Quæ cũ ita ſint: de regno ac maieſtate iſta; quâ nulla unquã maior inter homines extitit; cum tibi ex animo atq; ueriſsime gratulor; eoq́; magis; quod ad te ornãdum multo maxime diuerſarum partium hominum, interſeq́; diſsidentium, par tamen & propenſio & alacritas, atq; idem plane ſtudium acceſsit: ut iſta declaratio* Deorum *immortalium uoluntate potius, quàm humanis cõſilijs ſuſcepta fuiſſe uideatur: tum eiuſdem reip. cauſa uehementer gaudeo, atq; in primis* Romæ *ipſius patriæ atque altricis tuæ: in cuius urbis ciuitatẽ pontificatum max. quo quidem illa iã annos plus centũ caruerat; tui fama nominis et uirtutum claritate reuocaſti: &* Romanos *ciues tuos fortunæ contumelia diu grauiterq́; conflictatos prima regni die portorijs acerbioribus ſublatis tua liberalitate recreaſti: ut ſperandum plane ſit, urbis uulnera his accepta temporibus; quæ quidem ualde multa ſunt atque adacta penitus; te unum breui ſanaturum,*

naturum; damnaq́; omnia & detrimenta ſarturum. Quãquàm quidem multo plus eſt totum illud; quod de te ſperant homines; quodq́; iam ſibi ipſi pollicentur. Nam; quæ tua eſt prudentia, conſtantia, grauitas, animi magnitudo; celeriter te inteſtina Chriſtianæ ſocietatis bella compoſiturum, atque incendia reſtincturum putant. cuius rei plura iam ſigna atque indicia tuis in actionibus publice habitis conſpexerunt. Atque eſt hoc ipſum mediusfidius tam amplũ, tam eximium, tam laudabile: ut in hoc uno cuncta ineſſe diuini Pontificis munera, omnes partes, ſit exiſtimandum. Sed mihi tamen antiquorum regum & clarorum imperatorum res pace geſtas conſideranti, illa pulcherrima atque humano generi & naturæ propria maximeq́; ſalutaris ſemper eſt uiſa; qua illi ſuum ſtudium ad bonas artes fouendas atque ornandas tranſtulerunt. Quo ex fonte quantæ, quãq́; illuſtres in hominum conuentus utilitates & iocunditates permanarint; nemo te melius intelligit: cuius præſtans & excellens in Latinorum & Græcorum litteris eruditio omnes, qui huic ſe rei dediderunt, in eam ſpem adduxit; ut per te celeriter magnum incrementum ſumptura bona ſtudia exiſtimẽt. Ea ſpes ne quenquàm deſtituat; non poſtrema tibi cura eſt adhibenda; atque, ut facile coniector, præclare adhibebitur. Noui enim animi tui ſenſum, ad omnem optimarum actionum laudem, & ueræ gloriæ cumulum undiq́; colligendum. Sed non committam; ut qui ad hanc ſcribendam epiſtolam, ut tibi

gratularer,

gratularer, initio me contuli; nunc te hominem omnium ſapientiſsimum ad ea horter; ad quæ & uitæ ſumma cum dignitate actæ inſtitutio, & natura, & mores omni elegantia & ſuauitate præditi ac perpoliti tui, & humanitas ipſa te incedunt. Vnum addam: ſi per ualetudinem mihi licuerit; dabo operã; ut communi ac gentium et ſæculi noſtri lætitia præſens fruar; pedesq; tuos deoſculer. Vale. Quartodecimo kalen. Nouembris. M D X X X I I I I. *Patauio.*

P. B. *Cardinalis, Paulo tertio Pont. Max.* S. P. D.

QVOD *me in ampliſsimum Ro. reip. Cardinalium collegium nihil eiuſmodi petentem, nihil omnino cogitantẽ ſponte tua cooptaueris: quodq; Octauianum Zenum familiarem a cubiculo tuum eius rei nuntium tuis cum litteris humaniſsime honorificentiſsimeq; ſcriptis, cumq; priore capitis tegumento purpureo ſacroq; magnis itineribus ad me miſeris: immortales tibi gratias habeo, habeboq;, dum uiuã. Quid enim aut ad hominum de me opinionem honeſtius, aut ad memoriam mei nominis clarius, aut ad bene de humano genere merendum aptius atque accõmodatius magiſtratu iſto dari mihi potuerit; ſane non uideo. Tuum uero hominis ſupra ſortem hominum poſiti tam honorificum de me iudicium pluris eſſe; quàm magnorum regum opes & fortunas omnes puto. Nam ſi laudari a laudato uiro docti homi-*

nes in

nes in optabilium & honoratarum eſſe rerum gene-re ſtatuerũt: tibi certe omnium hominum longe ma-ximo, ſummi DEI *uicarium in terris gerenti pro-bari me, tantoq; ac tam præclaro munere dignum uideri, cum quo tandem erit laudis gloriæq; or-namento comparandum? Itaque cum tuos pedes ab-ſens non poſſem; eas ſum litteras uerecunde oſcu-latus;* DEVMq; *opt. max. precatus; ea ut res mi-hi et reip. proſpere atque feliciter eueniret.* Tametſi *paulo poſt ſedatiore animo imbecillas uires meas cũ ingenij ob naturæ tarditatem, qua impedior, tum ue-ro etiam corporis propter ſenectutem, mecum repu-tans; ualde timui; ne tu mihi plus eo iudicio tribue-ris; quàm ſuſtinere ipſe ulla mea diligentia & ſtu-dio, ullis plane opibus poſſem; præſertim perdiffi-cili hoc et perincommodo Chriſtianæ reip. tempore: cum et ſeditionibus noſtrorũ hominum, & bellis ex-terarum nationum ardere orbẽ terrarum flagrareq; uidemus.* Tranquillo *enim mari facile quilibet ueli-ficationem ſuam curſumq; moderatur.* In *tempeſta-te autẽ turbulenta uentisq; ſæuientibus uectore opus eſt magnopere induſtrio artemq; callente: quem me eſſe porro non ſentio.* Hic *me timor cum non medio-criter ſuſpenſum tenuiſſet: in eam tandem cogitatio-nem ueni: ut conſiderem: ſi tibi, quantum maxime tenuitas mea fert, & fidem meam & ſtudium cul-tumq; præſtitiſſem: ſatis tibi me feciſſe, te pro tua in-credibili prudentia & pietate atque in tuos beneuo-lentia libenter exiſtimaturum.* Ea *recreatus ſpe; ut*

ad tuam

ad tuam erga me profuſam liberalitatem tuasq; litteras redeam; hoc unum tibi reſpondeo; me omnem operam daturum ac pro uirili mea cum diuinæ bonitatis auxilio, quæ quidem preces hominum ſibi rite ſupplicantium non reſpuit, omni tempore diligentiſſime curaturum; ut te de me tam amanter iudicauiſſe, tantumq́; mihi dignitatis tribuiſſe non pœniteat. De meo ad te aduentu, quem ſcribis ut maturem, deq́; reliquis rebus, quas ad me Zenus tuo nomine detulit; ita faciam; ut te uelle uideo. Vale. Pridie kalen. Aprilis. M D X X X I X. *Venetijs.*

P. B. Cardinalis Paulo, *tertio* Pont. Max. S. P. D.

FRANCISCO Belino *familiari tuo ad te reuertenti mãdaui; ut meo nomine pedes tuos oſcularetur; gratiasq́; tibi ageret; quod me domi hos æſtatis menſes manere permiſiſti. Equidem uere poſſum dicere, nihil me maluiſſe, quàm ad urbem quàmprimum accedere: ut te præſentem intueri & uenerari, tibiq́; omnia mea ſtudia præſtare ac dedicare celerius poſſem. Quid eſt enim quod tibi a me non debeatur: qui omnino plus in me dignitatis, quàm optare auſus sũ, contuliſti? Sed propterea quod ſi uiæ me dediſſem; in magnos calores, atque in illud ipſum fere diſcrimen, quo Roma reliqui abeunt, aduentus incidebat meus: lætor te ſenectuti meæ temperatius atq; commodius ad hoc iter capeſſendũ anni tempus tribuiſſe: præſertim cum non firmißimo ſim corpore;*

re; aliquotq; annos nihil fere itineris longiuſculi cõfecerim. Domus etiam & rei familiaris meæ rationibus moram eam tu quidem humanitate tua dederis ſane peropportunã: quibus interea conſtitutis liberiore animo ac ſolutiore potero abeſſe: quemadmodũ a Belino ipſo intelliges. Quem quidem tuæ pietati commendarẽ. Eſt enim bonus me hercule uir, & moribus caſtiſſimis, ac præſtanti in primis & conſtanti erga te fide: doctrina præterea & poëtices ſtudijs eiusmodi; ut de illo poſſis dicere καὶ μύθοισι κέκασο, πάλαιά τε πολλά τε εἰδώς. Sed nolo cõmittere; ut egere familiares tuos aliorum apud te commendationibus uidear exiſtimauiſſe. Omnino, quia illum ualde amo, facere non poſſum; quin hoc ſaltem, tua tibi eum ſponte & cõmendatum & probatum eſſe cupiam. Vale. Tertio Id. Maias. MDXXXIX. Patauio.

CRACOVIAM.

Petrus Bembus Franciſco Bonero S. P. D.

PRIORIBVS tuis ad me perhumaniter ſcriptis litteris nihil omnino reſponderam: propterea quod præpoſtere admodum agi abs te mihi quidem uidebatur: cùm uelles; ut de Valentini Polydami hiſtoria, quam ad me impreſſam miſiſſes, iudicium tibi afferrem meum; & quæ in ea probarem, quæue improbarem, accurate diligenterq; perſcriberem. Quid enim fieri intempeſtiuius poteſt; quàm, ſi ali-

qua

qua reprehendenda ſint; tum id facere, cum nihil ſane proſis; illum uero etiam offendas, qui ſcripſerit? Quod ſi ante quàm Polydamus librum ſuum edidiſſet, tibi hoc a me petenti ſatisfeciſſem: poterat id quidem ratione a me factum uideri: ſcilicet ut is admoneretur, ſiquid ab eo perperam eſſet ſcriptum, id ut corrigeret, hiſtoriamq́; purgaret ac perpoliret ſuam. Nunc autẽ; cum ſibi ipſe, tradito in uulgus libro, omnem eius rei facultatem eripuerit; tu uero alteris etiam litteris a me idem poſtules: laudarem tibi quidem illius ſcripta prorſus libentiſsime; ſi recte facere id poſſem. Bonum enim uirum eſſe illum puto, pro quo tantopere laboras. Reliquis uero de rebus & ſcriptorum eius rationibus & partibus, uelim mihi ignoſcas morem tibi non gerenti: præſertim cum Cæſaris, Saluſtij, Liuij tibi præſto eſſe poſsint libri: ad quos ſi Polydami hiſtoriam cõparaueris; quàm is proxime ad optimum ſcribendi genus accedat, quàm ab eo diſtet; per te ipſe facile perſpicies. Etiam illud uereor; ne ſubodioſum ſit, me; qui hiſtoriã conſcribo; de aliquo hiſtoriæ ſcriptore non nimium præſtante pronuntiare quid ſentiam: ut, ſi malum probem librum, ineptus; ſi culpem, inuidus uideri poſsim. De me ipſo multa cum mea laude quæ in tuas epiſtolas cõieciſti; ea ſi agnoſcerem; tibi tamen deberem præclara de me prædicanti. Cum uero abs te uel amoris erga me tui; quo te affici magnopere oſtendis; uel humanitatis abundantia; qua te præſtare ac excellere exiſtimo; illa

ipſa

ipſa collecta eſſe uideam: dabo hercule operam, ut et ego te mutuo diligam; & tu me tui erga me amãtiſſimi animi plane memorem atque gratum cognoſcas. Vale. kalen. Martijs. MDXXXV. *Patauio.*

P. B. Petro Paulo *Vergerio, Pontificis Max. apud Regem Romanorum internuntio* S. P. D.

PETRI Pauli *Vergerij maioris tui de ingenuis moribus librum, ad pueros regios erudiendos, Vbertino Carrario miſſum nuper legi. Cuius oratio grauis & digna Philoſopho, atque, ut in illo ſæculo, pereruditа me magnopere delectauit:* Admonitusq́; *ſum, te domi habuiſſe, unde diſceres, animumq́; tuũ bonis artibus excoleres: quibus informatus atq́; inſtructus magnum & excellentem uirum, & cũ Romanis Põtificibus charum; tum Chriſtianæ reip. tam duro eius tẽpore peropportunum maximeq́; utilem te præſtares. Quod quidem abunde iam facis: adisq́; ad clarum gentis & familiæ tuæ ſplẽdorem illud, quod in uirtute poſitum eſt, ornamentum animi proprium ac uere tuum. Quoniam autem audio regem iſtum admirabili ac diuino prope ingenio & ſingulari prudentia præditum, non illos modo, quibus imperat, Germaniæ Pannoniæq́; populos ſumma incredibiliq́; moderatione atque iuſtitia continere: ſed ſuos etiam liberos, quos illis reges relicturus eſt, ita educare atque inſtituere, ut digni habeantur, qui ſuo tempore tantorum regnorum hæ-*

reditatem

reditatem adeant: erit tui muneris atque officij eum librum illi tradere legendum: ut quibus rudimentis, quibus moribus atque artibus eos imbuat, de gentili tuo ſcire poßit. Caue enim putes aut Carolum Romanorum Imperatorem eius fratrem, qui ei Germaniæ regnum tradidit; aut fortunam, quæ tam amplæ ditioni magnam Pannoniæ partem adiunxit; ad eius filiorum futuram gloriam æternitatemq́; nominum plus contuliſſe; quàm eſt uirtus ipſa collatura; præſertim optimarum artium doctrina & philoſophiæ monitis præceptisq́; perpolita. Neque enim Iulius minus ſcriptis, quàm geſtis a ſe rebus eſt laudandus: neque Alexander; ſi Homeri libros nunquã legiſſet, & Ariſtotelem magiſtrum non habuiſſet; tantum ſibi nomen atque gloriam comparare apud omnes homines omniaq́; ſæcula potuiſſet. Quanquã habebunt Ferdinandi quidem certe liberi patris uirtutes; quas imitari ſtudeant, quibusq́; ad præclaras res gerendas accẽdantur. Sed ſi eos magiſter aliquis Vergerij tui monitis erudierit: & facilius æmulari eas poterunt: & ipſi ſe ad actiones immortalitati commendandas diligentius & conſtantius hortabũtur. Quis eſt enim in aliquo itinere; qui cum ſciat, qua ſe flectere debeat, notamq́; habeat omnem regionem, non celerius perueniat, quo uult: quàm ille; qui locorum atque uiæ ignarus caſu regitur, & interdũ errat, laboremq́; ſuum ſæpe irritum et inanem facit? Quare & illi tibi, cum adoleuerint, multum ſe debere fatebuntur: & illorum pater amoris erga te ſui,

quem

quem quidem magnum eſſe intelligo, gratiã ſibi abs te relatam putabit ea filiorum ſuorũ recte inſtituendorum cura cogitationeq́; adhibita. Vale. nosq; ut facis, dilige. Quarto Idus Nouemb. MDXXXIIII. Patauio.

VENETIAS.

Petrus Bembus Michaëli Barotio S. P. D.

ORATIVNCVLAM de Philoſophiæ laudibus, quam ad me miſiſti, tuam, his diebus cum legiſſem: ea uerißima eſſe cognoui; quæ de te paulo ante mihi narrauerat Coſmus Epiſcopus Fani fortunæ, amantißimus tuæ: a quo etiã ſaluere abs te ſum iuſſus. Nã & ingenij tui mirifica quædam, ut ipſe aiebat, indoles; & in litterarum & bonarum artium ſtudia ingreſſus, uel progreſſus potius ille ardens atq; uehemens tuus, mihi ſe ſuauißime legenti oſtenderunt. Amoris autem erga me tui; de quo idem Coſmus me certiorem fecerat; omnem ſignificationem cum oratio ipſa non caperet; in qua tamen multa cum laude uerba de me feceras: magnam eius partem in epiſtolam, quam ad me orationi cõiunctam dederas, humanißime conieciſti. Vtrunq; igitur lætor; et te eiuſmodi eſſe, ut in iſto adoleſcentiæ initio uirtus iam ſe proferat & eluceat tua: & me abs te amari; qui tantam de te ſpem excites in noſtra ciuitate. Quam ut ſuſtinere plane poßis, eo maior tibi erit cura cogitatioq́; adhibẽda; quo difficilius profecto eſt præ-

ſtantibus in rebus media et poſtrema conſequi, quàm priora tenuiſſe. Vale. Tertio Id. Mar. M D X X X V. *Patauio.*

BRANDEBVRGIVM.

P. B. *Georgio Sabino Brandeburgenſi* S. P. D.

ELEGOS *tuos miſſos abs te mihi legi non ſolum libentiſsime, ſed etiã cupidiſsime pluries: magnamq́; ex ijs uoluptatem cepi, cum quia & docti ſummopere ſunt & culti, & omnino eiuſmodi, ut delectare mirum in modum ingenia eruditorum hominum poßint: tũ propterea, quòd te mei eſſe memorem oſtendunt, teſtesq́; ſunt & tanquàm prædes noſtræ neceßitudinis: quo mihi nihil poteſt accidere optatius. De uxore, quam duxiſſe te ſcribis Philippi Melanchthonis doctiſsimi uiri filiam, lætor. Dij tibi matrimonium fortunent. Socerum quidem habes eum, qui tibi etiã præceptor in bonarum artium diſciplinis fuit. Ita te mihi dicere ſolitum uideor recordari, ut tibi eo etiam nomine eſſe charus & optatus debeat.*

Reliquum eſt, ut intelligas id, quod te ſcire etiã tacẽte me puto: mihi te chariſsimum iocundiſsimũq; eſſe, atq; a me propter poëtices, in qua excellis, ſtudia reliquasq́; tuas uirtutes fieri ſane plurimi. Quibus a ſtudijs ne te diſtrahi permittas, ualde te rogo. Vale. Septimo kalen. Quintiles. M D X X X V. *Patauio.*

Romam.

ROMAM.

P. B. Alexandro Cardinali Farneſio S. P. D.

Ex Caroli neceſſarij mei non unis litteris, quo me ſtudio & diligentia Paulo Tertio Pont. max. auo tuo commendaueris, magna cum uoluptate cognoui. Qua ex commendatione factum eſt; ut alterum eorum, quæ impetrari mihi per te ab illius liberalitate cupiebam, hoc ſim tempore conſequutus. De altero; propterea quod permagnos meis poſtulatis aduerſarios fortuna mihi obiecit; ſi nihil impetratū eſt; minus doleo. Non enim auum tuum tibi in eo gratificari noluiſſe: ſed ampliſsimis illis uiris, qui me oppugnabant, negare non potuiſſe ipſum puto. Quare ſpem habeo; cum probari amplius Pontifici mea cauſa poterit; libenter illum omnia tibi pro me petenti & laboranti conceſſurum. Interim autem maximas tibi gratias habeo, primum: quod me auctoritatis patrocinijq; tui magnopere indigentem fouēdum & tuendum ſuſcepiſti neque notum tibi hominem, neque ullo in te officio antea functum: ut iſta tui erga me animi propēſio atq; alacritas mihi præſto diuinitus fuiſſe uideatur. Deinde; quod tantum in me beneficium contuliſti; ut poſteritati nunc demum ſit proſpectum meæ, quæ quidem annos aliquot iacuit omnibus prope fortunæ iniurijs propoſita. Poſtremo illud mihi etiam atque etiam gratulor; quod in tuam familiaritatem his tractādis rebus

ſum ingreſſus: quam certe mihi omni tempore magno & uſui & ornamento futuram puto: quemadmodum quidem nuper fuit: præſertim cum te eiuſdem aui tui pietas eo dignitatis iam atque amplitudinis euexerit: ut uno ipſo excepto, Romæ *te adoleſcente atque impubere nemo uel ſenex maior fere aut opulentior habeatur. Quas ad res cum acceſſerit egregia litterarum & optimarum artium diſciplina; quibus te totum formandum & erudiendum tradidiſti; quis te uno, quis inquam te uno erit beatior? Quare te hortor; ne fortunæ illecebris abduci te aliorſum ſinas; ſtudiaq́; litterarum; quarum es præſidio ampliſsima ornamenta, ingentes utilitates, uberrimosq́; in tota uita fructus prouentusq́; animi iocundiſsimos percepturus; deſeras. Quin quo maior opulentiorq́; es; eo te magis erigas excitesq́; ad uirtutem bonasq́; artes ediſcendas et capeſſendas: quæ in te ſplẽdidiores erunt ipſæ propter hoc; quod ad magnas opes dignitatemq́; peregregiam ſe adiũgent.* Caue *enim putes ulla omnino bona tanti eſſe; quanti ea, quæ in uirtute poſita ſunt, atque ad animorum cultum pertinent.* Neque *te homines, cum eris plane uir, tam libenter intuebuntur propterea, quod opes maximas poßidere te intelligent, atque in ampliſsimo dignitatis gradu eſſe; quã quod probus ſis uir, quod ingenio præſtans, quod doctrina omnibusq́; bonis artibus præditus.* Hæc *laudantur: hæc amantur: hæc fiunt maximi.* Ad *quæ quidem conſequenda nõ externis tibi exemplis opus eſt, quibus*

bus inflammeris. Domi adeſt, quod imitere; auus ipſe tuus ſcilicet: quo ab uno abunde ſumere omniũ exempla uirtutum potes. Illum inſpice: ad eius te doctrinam atque mores forma. Profecto nihil tibi deerit; ſi ad illius uitæ ſignum ingenij aciem diriges & intendes tui. Sed neſcio quo pacto ab ea ſcribendi ratione, quæ tibi gratias ageret, ad hortationẽ defluxit epiſtola non tam quidem mea ſponte, aut cõſilio: neque enim puto monitore te egere: quã amoris impulſu, quo te proſequor tuis incenſus officijs tuaq; liberalitate. Itaque finem faciam ſcribendi. Tu modo; ſi me bonum uirum, ſi gratum, ſi beneficiorum eſſe memorem exiſtimas; quam ſemel curam tuendi mei amplexus es, eam uti ne remittas, pro mea in te obſeruantia & cultu etiam atque etiã abs te peto. Octauo kalen. Septembres. MDXXXV. Patauio.

ROMAM.

P. B. Alexandro Cardinali Farneſio S. P. D.

SCRIPTIS iam & obſignatis, quas ad te dederam, litteris certior factus ſum prioribus tuis erga me promeritis nouũ beneficium acceſſiſſe: quod quam pecuniam in re mea impendi ſacerdotalibus libellis a Pontifice habendis more inſtitutoq; ueteri oportebat; eam tu mihi uniuerſam remitti & dono dari ab auo tuo impetrauiſti. O Alex.r quantum iã eſt illud; quod tibi a me deberi ſentio: qui plura in

me, quàm ego abs te petieram, contuliſti: qui omnibus liberalitatis tuæ cumulis me ornatum eſſe uoluiſti. Equidem fateor pro mea tenuitate opportunam mihi maxime tuam iſtam munificẽtiam accidiſſe. Sed omnino unum illud multo mihi iocundiſſimũ fuit; te ea dignitate atq; amplitudine adoleſcentem ad iſtam etiam petitionem apud Pontificem, ut omnibus numeris mihi eſſes uſui, deſcendiſſe. Nõ horum morum, non horum temporum tua iſta largitas atque benignitas fuit. Tametſi alia etiam in re, quanti me faceres, oſtendiſti: qui maximorum & clariſſimorum hominum auctoritatem me apud te impugnantium neglexiſti; prudentiaq; tua eorum cõſilium repreſſiſti. Quæ quidẽ ſingula ita erunt ſemper fixa in animo atque memoria mea; ut mihi uiuo eripi aboleriq; nõ poſſint. Agerem tibi gratias, quẽadmodum quidem debeo, de his omnino omnibus: ſi orationis genus ad eam rẽ idoneum haberem. Quod quoniam nullum ſuppetit credo propterea, quod ſuperaſti tu quidem tuis officijs omnem expectationẽ de te meam: itaque præteritus re, a uerbis quoque orationeq; deſtituor: quod reliquum eſt atque pronum, agam: ut DEVM *opt. max. rogem: ut quãdo tu innocẽtis hominis patrocinium ſuſcepiſti; Ita te ille ſua cura & pietate focum atque ornatum iri ſtatuat: ut nemo ei ex omni cœtu hominum æque, ac tu, carus eſſe ac probatus uideatur. Quod quidem iam fit. Vale. Quarto kalen Sept.* MDXXXV. *Patauio.*

ROMAM.

P. B. Alexandro Farneſio Cardinali S. P. D.

LEGATIONEM *Hiſpanienſem maximis anni caloribus mutatis te iumentis obijſſe; neq; ſolum uegeto corpore ac firmo* Romam *ad tuos; ſed etiã hilariori uultu atq; habitudine, quam diſceſſeris, redijſſe; ualde lætor.* Magnum *enim de tua bona ualetudine & membrorum plane robore periculum abs te factum eſſe uideo: præſertim in tam tenera ætate tam longo itinere ac difficili tam celeriter pertinaciterq; confecto.* Itaq; *ut de eo certior factus ſum: exilui gaudio.* Nam; *ut uere tecũ loquar; ualde mediusfidius tibi timueram: ualde ſuſpenſus animo fui: quod uerebar, te plus oneris ſubire uoluiſſe; quàm adoleſcentia ferre ac ſuſtinere poſſet tua. Sed profecto magnitudo animi tui omnes difficultates ſuperauit: corpusq; ipſum ad eas obeundas & perferendas ſupra uires ſupraq; annos; tanquàm manu ſuſtinens, aſſuefecit: ut nihil in poſterum fere obuenire tibi muneris tam magni et laborioſi poßit: quod nõ facile ac ſine moleſtia peragere te poſſe ſit ſperandum. Cæterum gratißimum etiam & iocundißimũ mihi fuit ex* Caroli *mei litteris intellexiſſe, te curaturum; ut mihi de Campegiana domo in* Vaticanis *ædibus; quam annos aliquot* Leonis x.mi *tempore incolui; quæq; cõmodior multo quàm erat, mea impenſa uti eſſet curaui; aui tui liberalitas accommodet.* Non

det. Non poſſum dicere, quantum acceſsionis ad id, quod iam tibi omnibus numeris debeo, ea re fiet. Fiet quidem certe plurimũ. Sic enim multis me curis difficultatibusq; liberabis: quas tibi cognitas ſcio eſſe. Vale. Quarto kalendas Auguſti. MDXXXIX. *Ex agro Veronenſi.*

BONONIAM.

P. B. Coſmo Gherio, Fani fortunæ Epiſcopo S.P.D.

EX *tuis litteris; quæ me de tua apud Fanũ manſione reliquisq; tuis rebus erudierunt; magnam cepi uoluptatem, propterea quod & elegãtes ipſæ ſunt; neq; tantum latine, ſed etiam polite atq; ſubtiliter ſcriptæ: & tuam erga me beneuolentiam; quã ego ſemper feci plurimi; magnopere præ ſe ferunt.* Itaq; *nihil mihi potuit optatius accidere; quàm tuum & in bonarum artiũ ſtudia litterasq; noſtras progreſſum; & in me amorem te ſcribente agnouiſſe.* Dele*ctatus etiam ſum; quod addis; academiæ tuæ deſiderio: ſic enim appellas: quam hic prope unus conſtitueras; incredibiliter teneri.* Confido *enim ſi id ita ſit; te ad nos aliquando reuerſurũ.* Q*uanquàm quod poſtea* Bononiam *profectus es; uereor, ne te* Ro*manæ reip. tibi propoſitæ magna cum ſpe actiones & munera intercipiant. Sed hæc* DEVS *aliquis gubernabit.* Recordor *enim; quæ mecum diſcedens amantiſsime his ipſis de rebus es colloquutus: neq; tibi ea puto excidiſſe; de quibus ego tunc tua captus*

amabilitate

amabilitate, humanitate, tuiſq; uirtutibus incenſus te de me quid ſentirem ſedulo quærentem amice atq; fideliter monui. Reliquum eſt; *ut cum tibi perſuaſeris, me amātiſsimum tui eſſe; hoc etiam mihi des; ut in te expetendo & tibi proſpera omnia feliciaq́; optando concedam nemini.* Cola *meus plurimam ſalutem impertit* Ludouico *tuo: item ego.* Tu *ſalue & uale.* Sept. *kalen.* Febr. MDXXXIII. Patauio.

BONONIAM.

P. B. Coſmo Gherio, Fani fortunæ Epiſcopo S.P.D.

ET ſi *a* Lampridio *primum, deinde a* Ludouico *tuo coram ea, quæ uolebamus, de te, deq́; pueris tuis cognouiſſem: tamen non tam mihi ſermo illorū gratus, quàm tuæ ipſius ad me litteræ ſuaues & iocundæ fuerunt:* Credo, *quod in ijs non ſolum narratio inerat earum rerum, de quibus ſcire cupiebam: ſed etiam teſtimonium illuſtre atq; mirificum ſe oſtendebat & tuæ in me uoluntatis, & mei erga te amoris noſtræq́; neceſsitudinis: quo quidem uno magnopere ſum delectatus.* Nam *cum te propter adoleſcentiam tuam in filij apud me loco iam pridem habeo: nam propter ſacerdotij dignitatem longe es mihi ipſi anteferendus: tum ætas mea plane ingraueſcēs adminiculi indiget; quo ſe ſuſtentet.* Id *autem in ſurgengenti ac florenti ætate ac uirtute tua & ingenio illo amabili, quo excellis, & omnino in tua erga me beneuolentia ſingulari mihi poſitum et conſtitutū puto.* Itaque

to. Itaq; cum tuas litteras lego, aut de te cogito; ualde mens conquieſcit & exhilaratur mea. Spero enim fore; ut neq; a me uiuo amorem tuum ulla res abſtrahat; neq; mortui memoriam ulla tẽporis longinquitas in te ſit deletura. Sed hæc malo ab utroq; noſtrum re, quàm oratione declarari. Tuorum ſtudiorum ratio; de qua me certiorẽ facis; ualde mihi grata accidit: præſertim cum te dicas in eo curam habere ualetudinis tuæ: quod mihi magnopere probatur. Villa quidem iſta, quam incŏlis, & mons & ſylua uiridiſsima, in qua te oblectas, utriuſq; rei habere uidetur rationem; tibiq́; conſulere; ut & doctior & certe ualentior ad nos reuerti poſsis. De Ludouico tuo nihil attinet me ad te nunc quidem ſcribere. Is meum ſermonem, quem cum illo habui, ad te rediens perferet: cui has litteras dedi. Priolo Dij prudentiorem mentem uelim dent. Amorem quidem erga te uidebantur dediſſe. Vtinam ea res Ludouico ipſi emolumenti aliquid pariat. Nam curæ & laboris quantum allatura ſit, ſatis adhuc perſpicere non poſſumus. Id ipſa patefaciet dies. Bonus eſt uir, prudens: uiget ingenio: optimis eſt artibus præditus: amicus uero eiuſmodi; qui cũ in tenebris, ut aiunt. Quare cõfido nouum hoc eius conſiliũ: quod non ſponte inijt: & ipſi & tibi uoluptati fore. Omnib. meis gratiſsima fuit ſalus miſſa abs te illis: quibus ſingulis nemo meorum neceſſariorum te eſt uno charior, nemo iocundior. Itaq; tibi plurimam ſalutem dicunt; Torquatusq́; in primis: cuius mater plane

ter plane conualuit: a qua ſaluebis & ualebis. Vale Vale. Quarto Non. Quintil. MDXXXV. Patauio.

P. B. Coſmo Epiſcopo Fani fortunæ S. P. D.

POST diſceſſum tuũ nullas abs te litteras habebamus. Quod quidem nobis moleſtißimum ſane fuit: qui deſiderium tui ferre prope non poſſumus: nedum etiam ſilentium feramus. Quare ſcribe aliquid ad nos: quod abſentis tui ægritudinem noſtrã leniat: Ne tecum ipſum etiam amorem tuum, quem nobis mutuo dederas, abſtuliſſe uideare. Tum quid Ludouico tuo factum ſit, fac ut ſciamus: tecumne adhuc quidem ſit; an Romam remigrarit. Quod nos quidem feremus æquiore animo: ne de urbe hoc ſane nomine ipſi uni conqueramur: Quæ a nobis Polum & Priolum abſtraxit. Sed de his hactenus. Ego Torquatulum meum ad Lampridium mittere propediem cogito; ut ab illo erudiatur. Ipſe enim mihi ſe humanißime atq; amantißime obtulit: cũm aliorum liberos omnium reſpuere uſquequaq; ſtatuiſſet. Quo nihil mihi potuit ab illo accidere iocundius; addo etiam opportunius. Valde enim me ea cogitatio torquebat, quem puero Græcarum litterarum magiſtrum darem: cum doctorũ ſimul & bonorum hominum magna paucitas ſit; ut te non latet. Itaq; illi plurimum debeo: qui tam tempore ſuam mihi operã eſt pollicitus. Nos ualemus: & te amamus: & tibi omnia feliciter euenire; quæ tractas, quæq; cogitas;

gitas; optamus. Vale, Salue. Septimo kalen. No*uembreis.* MDXXXVI. *Pataiuo.*

FANVM.

P. B. *Coſmo Gherio,*Fani *fortunæ* Epiſcopo *S.* P. D.

PERGRATVM *mihi eſt; quod me per litteras de tuis rebus crebro certiorem facis: præſertim cũ apud te, ut ſcribis, recte ſint omnia: ualetudo primum tua; quam auget opportunitas loci & cœli tẽperies brumalibus etiã diebus: deinde animus in dies ad philoſophiæ ſtudia paratior: poſtremo tuorũ puerorũ mirifica educatio et doctoris probitas tibi plane iam perſpecta & cognita. Quæ cum ita ſe habeant; purpuratos illos amicos noſtros; qui nuper* Romanorum *principum collegiũ auxerunt; te beatiores eſſe ſane nõ puto.*Innocentiũ *Piſaurenſem ſuis tibi officijs ſatisfacere, ualde gaudeo.* Bonus *eſt uir, rectus, amicitiarum non ſolum appetens; ſed etiam; quod eſt probitatis indicium; ualde me hercule retinens; uitæ ac uictus elegantia in re familiari nõ magna prope inſignis. Quare hominẽ in familiaribus tuis habeas cenſeo.* Torquatulum *meum adhuc quidem apud me uolui eſſe: ne hyemalibus itineribus, inſuetum labori puerũ ad doctorem mitterem. Sed mittam propediem; cum uiæ minus lutoſæ eſſe incipient.* Nam *conglaciare deſierunt.* Eius *ſoror* He*lena; de qua ſcire uis; in litterarum rudimentis progreſſus miros facit: ut etiam fratrem adæquarit; qui*

eſt natu

eſt natu tribus prope annis illa maior. Formæ autẽ: nam hoc quoq; ad rem pertinet: ea in dies incremẽta puella blandula uenuſtulaq; præ ſe fert: ut cum adoleuerit, egregiæ pulchritudinis multas partes habitura uideatur. Mater quidem eius Moroſina id ætatis, qua filia nunc eſt, longe tenuiorem eius rei ſpem ſuis dabat. Quæ tamen quo euaſerit, non puto te oblitum. Tametſi tu illam forma iam deſloreſcente paulo ante quàm e uita decederet, aliquoties uidiſti. Annum enim agens octauum & trigeſimũ eſt mortua. Sed ut ad pueros redeam, uterq; multã tibi ſalutem dicit. Idem Cola meus, uel potius noſter, & Federicus Delphinus uti faciam, & te ſaluere iubeã, me admonent. Ego te ualde amo: meq; abs te magnopere amari cum opto, tum ſentio. Vale. Nonis Februarijs. M D X X X V I I. *Patauio.*

OENIPONTEM.

Petrus Bembus Georgio Loxano S. P. D.

NVMI *argentei ponderis bene magni decem; quos tuo & uxoris tuæ uultu inſculptos ad me dono miſiſti; me mirifice delectarunt. Nam cum te, propter eum amorem, quo tuas plurimas excellenteſq; uirtutes proſequor, uidere ualde mediusfidius cuperem; neque antea unquàm uidiſſem: numorum eorũ aſpectu, qualis non tu modo eſſes, ſed uxor etiã tua, intueri poſſe me, mihi ſane optatiſſimum iocundiſſimumq; accidit. Itaque de eo ualde te amo; debeoq;*

ſane

ſane plurimum. Sed hæc ipſa tunc, quod eram Venetijs, ut propinquo tuo, qui eos numos mihi reddendos curauerat, ſignificarentur; mandaui. Nunc uero; cum operepretium mihi magnopere ſit, duos libros in Germania impreſſos habere, qui apud nos nõ habentur; Marſilium ſcilicet Patauinum, qui de auctoritate pont. max. conſcripſit, itemq; Ocani dialogum eadem de re: peto abs te & quidem diligentiſsime; ut eos libros mihi perquiri emiq; iubeas, ad meq; tranſmitti. Erit id mihi tam gratum; ut nihil poßit eſſe gratius: niſi ſi tu mihi quoq; aliquid mãdaueris; in quo tibi eſſe uſui poßim. Vale: meq;, ut facis, dilige. Quarto kalen. Iun. MDXXXVIII. Patauio.

OENIPONTEM.

Petrus Bembus Georgio Loxano S. P. D.

ET *amabam te antea.* Nam & Braßicanus, *cũ is carmen ad te ſuum mihi recitauiſſet, ali ſe abs te hoc in ludo bonarum artium* Patauino *mihi dixerat: quo nihil poteſt eſſe præſtanti ciue dignius:* & Petrus Bechinius *amantißimus tui, quem ego unice diligo, multa mihi narrare ſolitus eſt de liberalitate ſumma tua, de probitate, de elegantia, de tuis reliquis maximisq; uirtutibus:* Et *nunc acceptis abs te litteris; quibus te in ære prope meo ſcribis eſſe; magnus beneuolentiæ cumulus ad amorem illum priſtinum in te meum ſane acceßit: ut nihil ſit omnino iã; quod*

quod tibi eo nomine nõ debeam. Itaque quod poſtulas, ut te in meorum ponam numero: Ego *uero tenere te inter illos, qui mihi probati ſunt, principem locum ut exiſtimes; maiorem in modũ uelim. Quod autem petis; ut tibi aliquid iubeam:* Equidem *ſcio, te ampliſsimis opibus & auctoritate magna præditum iuuandis hominibus pollere. Sed quid eſt, quod ego fieri abs te pro me; niſi ut me mutuo ames; poſtulẽ?* Id *ſi feceris; omnia me abs te impetraſſe exiſtimabo.* Braßicanum *impenſius etiam deinceps diligam commendatione incenſus tua. Eſt ſane adoleſcens & magno in optimarum artium ſtudijs ingenio, & incredibili diligentia, & eruditione iã plane conſtituta; quas ad res addidit poëtices hilaritatem: qua ego quidem magnopere delector: ſperandum ut ſit, magnum illum in uirum breui euaſurum, uel potius iam euaſiſſe.* Vale. VI *kalen.* Sextiles. MDXXXVI. Patauio.

P. B. Antonio Perrenoto, Proton.° Apoſtolico S. P. D.

OPTIMI *clariſsimiq; uiri patris tui opem atq; patrocinium in mearum fortunarum naufragio magnopere expetens, ſcripſi ad illum ea de re: petijq;, ut pro ſua probitate atque hominibus iuuandis conſuetudine cauſam meam* Carolo Imperatori *commẽdaret: cuius cauſæ ſtatum ſeriemq; omnem* Georgius Palleanus *ei notam atque planam faciet.* Quem

quidem

quidem patrem tuum tametſi exiſtimem uel Pauli Pont. Max. *uel* Senatus *noſtri propenſa uolũtate, quã ſcriptis ad eos, quos iſtic habẽt, legatos litteris utrique præ ſe ferunt; uel fortaſſe etiam ſui erga me animi inductione permotum; ut eſt homo ſe amantiũ non negligens; ea, quæ opto, eſſe facturum: putaui tamen; ſi ad reliquas commendationes atque cauſas tua etiam diligens apud illum commendatio accederet; omnia me ab eo eſſe multo uberius explicatiusq́; conſequuturum.* Quare *peto abs te pro eo; quo te ſum, quandiu* Patauij *fuiſti, amore atque beneuolentia proſequutus; proq́; tuis plurimis beneuoli erga me ſenſus indicijs; non id ſolum, ut ipſe quoque idem facias: ſed; niſi impudens plane ſum, qui tantum tibi oneris imponam; hoc etiam mi* Antoni; *ut ipſe in eo tuas parteis priores atq́; potiores uelis eſſe:* Itaque *apud illum agas; ut a te laborante rogari ſe intelligat; ut res ad eum, quẽ uolumus, exitum perducatur. Si enim paulo amãtius te ab eo cupere oſtendes, ut me tuendum ſuſcipiat: negare tibi ille nihil poterit; cum ſit pater, atque is omnino pater; cui te præſtes ipſe optatiſsimum iocundiſsimũq́; filium; in quo etiam poſuerit principem ſpem bonorum & dignitatum familiæ ſuæ.* Hæc *a te non peterem: niſi leges, niſi boni mores, niſi religio, niſi æquitas, iuſtitiaq́; ipſa meam petitionem tuerentur.* Caue *enim putes quicquàm cuiuſquàm indignius detineri; quàm ea ſacerdotij poſſeſsio, quam mihi tradi poſtulo.* Quo *iuſtius atque audacius uterque no-*

ſtrum ſcilicet, & ipſe te rogare potui; & tu rem ſuſcipere debebis. Vale. Quinto kalen. Decemb. MDXXXVIII. Venetijs.

P. B. Cardinalis, Antonio Perrenoto, Epiſcopo Atrebatenſi S. P. D.

IOANNES Ioacchinus Vaulxi dominus per antiquus eſt amicus meus, & quidem maxime intimus. Eius ego uirtutem et ingenium excellens atque in omni uitæ genere ſingularem induſtriam feci ſemper, facioq; ſane plurimi. Qui cum clariſsimi Illuſtriſsimiq; uiri patris tui patrocinij magnopere indigeat: peto abs te diligentiſsime: ut Ioacchini cauſam, quam cum Imperatore habet, ei commendes: atque ita commendes: ut quod illi multos iam annos a fiſco Mediolanenſi debetur; conſequi aliquando tãdem poſsit: ne Imperatoris æquitas; quam quidem unam eius uirtutem omnium maximã omnes homines experiuntur, atque in cœlum ferunt; ſibi uni ſemper ſit deſideranda. Id ſi feceris; ad tua priora erga me merita magnus cumulus accedet. Vale. Patri tuo multam ſalutem. Sexto kalen. Octobres. MDXXXIX. Patauio.

Petrus Bembus Eraſmo Roterodamo S. P. D.

AMABAM antea Viglium: erat enim mihi & notus ipſe per ſeſe, cum ad me aliquoties ueniſ-

ſet; eiuſq; mirificam indolem & ſermonis ſuauitatē elegantiamq; perſpexiſſem: & Georgij Logi teſtimonio, qui mecum eſt frequens, gratus me hercule et probatus. Nunc uero tua commendatione tuiſq; litteris multo mihi charior eſt factus: magnuſq; amoris cumulus ad priſtinam meam in illũ beneuolentiã acceſſit. Quod eum ſcire uolui: meq; totum ei obtuli: ut ſi aliqua in re iuuare eũ poſſem; ſuo me iure uteretur. Tibi uero etiam gratias habeo: quòd quando tu me diligis, et ego te ſummopere amo; cures deſq; operam; ut communes etiam inter nos amicos neceſſarioſq; noſtros habeamus. De Rodolpho Agricola quod ſcribis, notũ illum nobis eſſe te exiſtimare: illius uero ſcripta maxime omnium; qui ætate noſtra uixerint; mihi quidem probantur. Si Viglius eiuſmodi erit ſcriptor; omne punctum feret. Eum ego; tametſi in curſu eſt; tamen ad ſummam laudem, ut ipſe mones, incitare non deſinam. Vale. IIII. kalen. Septembris. MDXXXII. Patauio.

FRIBVRGIVM.

Petrus Bembus Eraſmo Roterodamo S. P. D.

BINAS a te litteras accepi: unas iampridem: quibus mihi Frobeniorum curam & diligentiam, tũ uerò etiam petitionem Liuianis libris imprimendis commendabas: ad quos cũ reſcripſiſſem (ad me enim ſcripſerant) reſpondere tuis litteris diſtuli: proxime alteras: quarum priore pagina te purgas de illa ipſa

Frobeniorũ commendatione tua: poſteriore me rogas; ut Damiano Luſitano, Patauium uenienti ad ludum litterarum ne deſim. Ego uerò cum illum libẽter uidi: eſt enim, quemadmodum ſcribis, atque ut ex duobus eius congreſsibus & ſermonib. elicui; optimis moribus et omni elegantia et ſuauitate ſane præditus: itaque lucrum mihi uideor feciſſe ex tuis litteris; qui iuuenem mirificum ut cognoſcerem effeciſti: tũ me ei largiter obtuli; petijq;, ut meis rebus omnibus meq; ipſo ſuo iure uteretur. Sed adhuc uſus nõ eſt homo permodeſtus. Domum etiam conduxit me ignaro; ſed domum plane bonam. De purgatione: quæ altera, ut dixi, erat pars in tuis recentioribus litteris: nihil dicam: niſi te nimis parce nimiſq; ſubtimide tibi ipſi de me polliceri. Vellem fidentius atq; prolixius a me omnia expectares coniunctiſsimi hominis officia: utq; id in animum inducas tuum, magnoperè abs te peto. Frobenijs: ut ad antiquiores tuas litteras poſtremo reſpondeam: in eo, quod petebant, eſſe uſui non potui. Neq; enim Liuianos libros habebamus ullos manu ſcriptos: qui non minus probi eſſent, quàm ab Aldo impreſsi; qui ſunt in omnium manibus. Sed de tota re non dubito, quin te illi certiorem fecerint. Hæc ſcripſi manu mea: ut parte aliqua tibi uicem redderem: qui tuas ad me litteras amantiſsime tua manu ſemper conficis. Valetudinem tuam; qua te audio admodũ imbecilla uti; curabis diligenter: noſq; diliges. Vale. Tertio Idus Nouembris. MDXXXIIII. Patauio.

FRIBVRGIVM.

Petrus Bembus Eraſmo Roterodamo S. P. D.

NAE *tu homo es mirificus : qui cum uelles, ut* Ludouicum Berum *perfamiliarem tuum* Romã *proficiſcentem cognoſcerem ; mandaſti ei chyrographo tuo, ut me de uia inuiſeret.* Ille *uerò cum iſtinc diſcedens* Mediolanum, *deinde* Romam *recta ſe contuliſſet ; ut tibi morem gerẽdi facultas eunti defuerit : in reditu alio itinere ſuſcepto* Patauium *uenit : meq́; humaniſſime inuiſens plurimam abs te ſalutem attulit. Qua de re ualde te amo.* Prudentem *enim hominem & grauem, & doctum uirum, &, ut mihi uiſus eſt, ſumma religione præditum & ingenio præſtantem cognoui.* Porro *is percontanti mihi ſe de ſtatu tuo multa dixit ; longumq́; de te ſermonem habuit : ex quo optimũ erga te* Pauli Pont. Max. *animum atque mentem perſpexi : cuius etiam ad te* Berus *litteras afferebat cum mandatis ad tuam dignitatem perhonorificis.* Ego *autem uehementer lætor doctrinam ſigularem tuam, & probitatem, & continentes atque perpetuos tot annorum labores ; quibus te plane confeciſti, ut noſtros homines ſcriptis erudires & locupletares tuis ; apud illum uirum omnium hominum principem eo loci eſſe ; quo merentur.* Itaque *modo recte ualeas, neq; te imbecillitas impediat tua ; mihi ſpes eſt, te ab eo omnia ſumma honoris & dignitatis inſignia breui conſequuturum.*

rum. Quare te mi Eraſme hortor; ut ualetudini tuæ ſeruias, conſeruesq́; te cum nobis amantiſsimis tui; tum fortunæ: quæ ſe hilaris, ut tibi præſto ſit, parat. Vale. Duodecimo kalen. Quint. MDXXXV. Patauio.

CARPENTORACTE.

Petrus Bembus Paulo Sadoleto S. P. D.

AMABAM equidem te antea Paule. Nam et quod Iacobi Sadoleti fratris filius es, & quod optimis ſtudijs te tradidiſti; putabam me meam tibi beneuolentiam præſtare debere. Idq́; apprime faciebã: quod quidem cognoſcere anno ſuperiore potuiſti; cũ domum rediſſes, litterasq́; ad me uernaculo ſermone ſcriptas miſiſſes: ad quas tibi ſtatim reſcripſi lepore tuo captus. Hoc uerò tempore, cum alteras abs te Latinas litteras acceperim bellas me hercule & pereleganteis; ualde gaudeo: teq́; facio, uti debeo, plurimi. Quanquàm accendiſti tu me quidem ad te omnibus animi mei ſenſibus amplectendum, etiam ea opera quam te ſcribis ponere in meis legendis libris. Qui quidem libri ſi tibi animum addiderunt, ut affirmas, ad progrediendum in eam ſcribẽdi rationem, qua patruum tuum quaq́; me uti uides; cur te non amem infinitum iam in modum? aut cur non ſuauier iſtam ipſam uoluntatem tuam? Itaq; ſic exiſtimes uelim, te mihi eſſe plane chariſsimum. Spero autem fore; ut cum te per ætatem confirmaris,

nihil ſint docti homines in te deſideraturi: ſi ſe ardor iſte tuus, quo es ad bonas arteis capeſcendas inflammatus, nihil remiſerit; neq; tua elangueſcet induſtria. Caue enim putes quicquàm eſſe in litterarum ſtudijs, quod adoleſcentes tam prouehat ad ſummam laudem gloriamq; promerendam; quàm aßidua & diligens laboris & induſtriæ perfunctio atq; conſtãtia. Sed hæc tu omnia de patruo tuo melius, quàm ex me. De *reliqua epiſtolæ tuæ parte, qua me in cœlũ fers, quaq; mihi gratularis; quid tibi ego reſpõdeam?* In *eo ſi non falleris, lætor iudicio tuo: ſin deceptus es; amore beneuolentiaq; delector.* Vale. Q*uartodecimo kalen.*Febr*uarias.* MDXXXI. V*enetijs.*

CARPENTORACTE.

P*etrus* Bemb*us* P*aulo Sadoleto* S. P. D.

TVAS *ad me humanißimas litteras ſuperiore anno datas & tunc eo libentius legi; quo mihi ſpem maximam attulerunt, fore te in bonarum artiũ ſtudijs breui eum illum, quem uolumus: qui iam tum tam ampliter profeciſſes: quẽadmodum tibi reſcripſi.* Et *nunc; dum eſt, cui dem; te plane hortor, iſtam ipſam inſiſtas uiam: pergasq; eo greſſu; quo cœpeſti, uel potius quo iam magnam itineris partẽ confeciſti, atque illam quidem, quæ profecto moroſior ſalebrisq; impedita magis eſt.* Nam *ea, quæ reſtant; una cum fructu & quidem uberrimo, iocũditatis*

ditatis tibi plurimum ſunt allatura. Habes domi; *unde omnia, tanquàm de pleno fonte haurias; patruũ ſcilicet tuum hominem antiquis illis, quos tantopere laudamus, parem.* Habes *ætatem ad omnem induſtriam exercendam laboresq; perferendos aptiſsimam atq; accõmodatiſsimam.* Habes otium. *Præſtas ingenio; quo maximo præſtantiſsimoq; uteris.* Vt *nihil ad id, quod ſummum eſt, aſſequendum tibi à* Dijs *immortalibus non abunde atq; largiter ſubminiſtratum fuiſſe uideatur.* Hæc; *quia te amo equidem plurimum, non propterea quòd tu monitore egeas; ſcribo.* Valebis *igitur: nosq; diliges.* Sexto Idus *Aprilis.* MDXXXII. *Venetijs.*

ROMAM.

Petrus Bembus Paulo Sadoleto S. P. D.

QVOD *mihi duos Iacobi Sadoleti patrui tui libros miſeris: quorum in altero accuſatio, in altero philoſophiæ defenſio continetur: magnas tibi gratias* Paule *habeo.* Dediſti *enim mihi eas diſputationes cognoſcendas; ex quibus tametſi plurimum uoluptatis me percepturum confidebã: Quid eſt enim illius uiri cum ingenio & eloquentiæ ſplendore, tum doctrina & facultate in omni optimarum artium et diſciplinarum genere præſtantius? multo plus tamẽ, quã putaram, ſum earum lectione delectatus. Nã & Phædri oratio, a qua philoſophia in magnam inuidiã populi adducitur, habuit & copiam mirificam atq;*

appoſitam ad perſuadendum ; & urbanitatem atque aculeos eiuſmodi, ut inſitam de illa in hominum mẽtibus opinionem uehementer eluderet : & Sadoleti defenſio tã elegans, tam docta, tã grauis, tam uere denique ſapiens & plena diuinorum conſiliorum fuit : ut non tam hominem quempiam ea hominibus reliquis tradentem ; quàm illum ipſum mundi & rerum omnium fontem & effectorem DEVM *ſub illius perſona ſeſe nobis ſuamq; uim & maieſtatem oſtendentem, eq; cœlo nos alloquentem mihi plane uidear audiuiſſe*. Itaque *quod ad eam partem attinet tuarũ litterarum, in qua meum de illis iudicium tam diligẽter exquiris ; hoc tibi unum uerißime reſpondeo ; nihil me unquàm legiße poſt illa* Auguſti & Romanorum Imperatorum *ſane perpaucorum tẽpora proſa oratione conſcriptum ; quod putem recte poſſe cum horum librorum elegantia, ſplendore, dignitate comparari*. Quamobrem *ſpero fore ut cum in manus hominum uenerint, maximum Sadoletus atque uberrimum ſuarum uigiliarum fructum capiat, nomẽ atque gloriam ſcilicet ; quam nulla tẽporis atque annorum uolubilitas ſit deletura*. Atque *hic toto de opere meus quidem eſt ſenſus atque iudicium*. Neque *tamen habeo ulla in operis parte non modo quod reprehendam ; ſed de quo ne ſuſpicer quidem, an poſſit melius dici*: Tametſi *bis iã eos perlegerim libros*. Sed *aueo etiam ſæpius*. Id *fiet ; cum ad me redierint*. Miſi *enim eos* Venetias *ad* Polum *legendos, uel, ſi uolet, etiã deſcribendos. Scripſiq; ad illum ; me id tuo iuſſu*

iuſſu facere: Sed ita; ne in uulgus exeant. Tuam *uero in patruum pietatem, quam præ te fers; dum à me perſancte multisq; precibus poſtulas, nequid ſileam eorum, quæ non probem; tanti equidem facio; ut te ea de cauſa etiam aliquanto plus amem.* Quam *quidem ad poſtulationẽ tuam conſideratius reſcribam, poſtea quàm eos libros, quantum oportebit, in manibus habuero.* Hæc *autem ſcripſi; ut ſcires, & illos mihi redditos fuiſſe, & incredibiliter placuiſſe.* Qua *in uoluptate illud mihi profecto iocundiſſimum atq; gratiſſimum fuit: quòd de me* Sadoletus *ijs in libris non iam ſemel, ſed omnino bis honorifice amantiſſimeq; loquitur.* Vt *omnes homines intelligant, de noſtra uetere beneuolentia fortunam, quæ nos tantopere diſiunxit, nihil detraxiſſe.* Venio *nunc ad illam partem tuarum litterarum: qua mihi ſpem facis te ad me uenturum; modo in* Aprilem *menſem tuus in* Galliam *reditus differatur.* Ego *uero te mi* Paule *etiã atq; etiam rogo; ut ſiue* Aprili *menſe rediturus es, ſiue ante id tempus;* Patauium *uenias: ut ego te; quem quidem propter tuas, de quibus omnes prædicant, plurimas ſuauiſſimasq; uirtutes, nihilo ſane minus, quàm ſi mihi eſſes filius, amandum ſumpſi; uidere atq; alloqui poſſim; præſertim cum te uiderim ante hac nunquàm.* Non *poſſum commemorare quãtopere id cupiam; quantumq; tibi debere me ſim exiſtimaturus; ſi te uidero.* Da *hoc amori erga te meo; cui quantum debeas, ipſe uerius conſtituere potes, quàm ego ſcribere: aliquantum debes certe: eſt*

enim

enim prope ſingularis: da illi neceſſitudini; de qua dixi; quæq; ſane inter patruum tuum atq; me a primis utriuſq; noſtrum annis interceſſit nō modo ſumma; ſed etiam propter collegij noſtri celebritatem plurimaq; mutua officia, addo etiam ſcripta, perilluſtris. Omnino ut Bononia *flectas ad me; quàm ad urbem* Roma *tibi reuertenti eſt eundem; iter bidui, aut ſummum tridui ad totius uiæ ſpatium addideris: & mihi gratiſſimum feceris. Quæ autem alia te uidendi occaſio mihi ſit præterea expectanda; ſi hæc effluxerit; non uideo: qui ſextum & ſexageſimum ætatis annum ago. Quare noli committere; ut me in hanc aduentus tui expectationē temere uideri poſſis adduxiſſe: cum id facillimum factu ſit.* Non di*cam, te* Pataui*j plæroſq; homines doctiſſimos uiſurum: quorum ſinguli, ut hoc itineris ſuſcipias, incendere te ſane debent: multa præterea oppida ipſa in uia, qua te domum referes, egregia & præclara: quæ magnā tibi uoluptatem ſuo ſint aſpectu allatura: ne uidear minus tibi debere uelle; ſi alias etiā cauſas attulero; quibus ad id impelli poſſis.* Vnum *dicam: ſi ueneris; meū patrui tui deſiderium; quo undecim iam annos pene conficior, dum illius optatiſſimo conſpectu & conſuetudine ſuauiſſima careo; magna te ex parte leniturum.* Ab Lazaro *&* Lam*pridio multā ſalutem.* Vale. Pridie *kalen.* Ianua*rias.* MDXXXV. Patauio.

Romam.

ROMAM.

P. B. Benedicto Accolto Cardinali S. P. D.

EVSEBII liber græce ſcriptus περὶ εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς, de quo ſcribis, apud me non eſt. Eſt tamen in reip. bibliotheca, cui præſum. Eum, ſi uoles, tibi deſcribendum curabo: nam mittendi libros illos extra urbem lege prohibeor. Erit autem multorum dierum negotium: nam librariorum quidem, fidelium præſertim & proborum, magna penuria eſt. Sed indicabo tibi uiam, qua tu uia, breuiore certe itinere multoq; faciliore id, quod poſtulas, aſſequere. Eum ipſum librum ex bibliothecæ mihi creditæ libris deſcriptum miſit his proximis diebus Romam ad Egidium Cardinalem Gabriel Venetus Auguſtinianorum Eremitarum magiſter. Non uereor, quin Egidius tibi illum uel ad legendum, uel ad deſcribendum ſit commodaturus. Tu tamen ſi malueris hic illum deſcribi, tibiq; mitti, facies ut ſciã. Dabo confeſtim operam, ut tibi mos geratur. Cæterum quod mutuæ noſtræ beneuolentiæ, quodq; meo in te quidem ſummo perq; ueteri amori te multum confidere humaniſsime ſcribis; eſt mihi gratum, ita ſane, ut nihil poſsit eſſe gratius. Ea enim amplitudo tua eſt, claritas, dignitas; ut magni etiam reges tuam exoptent beneuolentiam, ſeſeq; amari abs te ſibi pulchrum atq; honeſtum putent. Volo autem te plane ſcire, nihil tam eſſe in tuo ære, quàm meipſum. Id

ſum. Id *cum tuis plurimis maximisq; uirtutibus debeo: tum uoluntate quadam mea propenſa atq; mirifica ad te colendum atq; amandum trahor, animiq; mei iudicio iam inde ab ineunte ætate tua conſtituto: cum te puerum optimis artibus deditum nihil omnino, niſi bona ſtudia bonosq; mores cogitare atq; colere uiderem: quod quidem homines optimi multorum annorum ſpatio confirmati uix ægreq; faciunt*. Itaq; *redeo ad illud; ut ſiquid porro aut eſt nunc, aut erit ullo tempore, in quo tibi eſſe uſui ſtudium, cura, diligentia, labor etiam meus poßit; ne grauere de eo me certiorem facere*. Non *Venetæ quidem hiſtoriæ inſtitutio ſuſcepta iam a nobis, quam commemoras; non ulla certe res me impediet; quin mandata omnia exhauriam atque perficiam tua*. In *quo illud erit iocundißimum; quod exiſtimabo amari me abs te; ſiquid mihi oneris impoſueris; eoq; magis, quo id procliuius, quóue crebrius feceris*. Flauium *ſaluere iubeo*. Vale. Tertio Idus *ſept*. MDXXXI. Patauio.

ROMAM.

P. B. Benedicto Cardinali Rauennæ S. P. D.

LEGATIONEM *Piceni tibi delatam eſſe uehementer gaudeo*. Quotquot *enim acceßiones dignitatis tuæ fiũt; eaſdẽ pro meo uetere in te amore, obſeruantia, ſtudio, mihi ipſi fieri exiſtimo*. It aque *cum de ea tibi uere atque ex animo gratulor: tum ut*

perpetuæ

perpetuæ uoluptati tibi ſit iſte magiſtratus, magnopere a Dijs *quæſo & opto.* Vale *patrone optime atque ampliſsime.* Decimoquarto *kalen.* Augusti. M D X X X I I. Patauio.

NEAPOLIM.

Petrus Bembus Garſilaſſo Hiſpano S. P. D.

Ex *ijs carminibus, quæ ad me pridem ſcripſiſti, & quantum me amares, libentiſsime perſpexi: qui neque familiarem tibi hominem, neque de facie cognitū tam honorifice appellauiſſes, tantisq́; ornares laudibus: & quantus ipſa eſſes in lyricis pangendis, quantūq́; præſtares ingenij luminibus amabilitateq́; ſcribendi; facile cognoui.* Quorū *alterum eiuſmodi eſt; ut nihil mihi potuerit accidere iocūdius.* Quid *eſt enim; quod poſsit cū præſtantiſsimi poëtæ amore atque beneuolentia comparari?* Reliqua *enim omnia, quæ honeſta & cara homines habent, una cum ijs, qui ea poſsident, breui tempore intereunt.* Poëtæ *uni uiuunt, longæuiq́; ac diuturni ſunt: eandemq́; uitā ac diuturnitatem, quibus uolunt, impartiuntur.* In *altero illud perfeciſti; ut non ſolum* Hiſpanos *tuos omneis, qui ſe* Apollini Muſisq́; *dediderunt, longe numeris ſuperes & præcurras tuis: ſed* Italis *etiā hominibus ſtimulum addas; quo magis magisq́; ſe excitent: ſi modo uolent in hoc abs te certamine atque his in ſtudijs ipſi quoq; non præteriri.* Quem *quidem meum de te ſenſum atq; iudicium alia tua non*

nulla

nulla eiuſdẽ generis mihi Neapoli nuper miſſa ſcripta confirmauerunt. Nihil enim legi fere hac ætate confectum aut elegantius, aut omnino probius et purius, aut certe maiori cum dignitate. Itaq; quòd me amas; mihi uerißime iuſtißimeq; lætor: quòd egregius es uir atque magnus; cum tibi in primis gratulor; tum uero plurimum terræ Hiſpaniæ, patriæ atq; altrici tuæ: cui quidem eſt hoc nomine amplißimus bonæ laudis atque gloriæ cumulus acceſſurus. Tametſi eſt etiam aliud; quod quidem auget magnopere lætitiam ex te conceptam meam. Nam cum nuper mecum Honoratus monachus; quem tibi fama notum eſſe uideo; in eum ſermonem eſſet ingreſſus; ut quid de tuis carminibus ſentirem, me interrogauiſſet: ego uerò illi meum iudicium patefeciſſem: quod quidem accidit ei par atq; ſimillimum ſuo (eſt autem peracri uir ingenio atque in poëticis ſtudijs pereruditoẽ) ea mihi de tuis plurimis maximisq; uirtutibus, de morum ſuauitate, de integritate uitæ, de humanitate tua dixit; quæ amici ei ſui per litteras ſignificauiſſent: ut hoc adderet: omniũ Neapolitanorum, qui te nouiſſent, ſermonibus atteſtationibusq; confirmari: his temporibus; quibus maxime Italiam ueſtræ nationes referſerunt; quem omnes plane homines te uno ardentius amauerint, cuiq; plus tribuerint; illam ad urbem ex Hiſpania ueniſſe porro nullũ. Quamobrẽ magnũ me feciſſe lucrũ ſtatuo: qui nullo meo labore in tuam beneuolentiã peruenerim: tuq; ita me complexus ſis; ut, etiam ornes Muſæ

nes Muſæ tuæ præconio tam illuſtri. Quibus quidē ſit rebus; ut niſi te contra ipſe quàm plurimum & amauero & coluero; hominem profecto eſſe me nequaquàm putem. Sed amoris erga te mei atque obſeruantiæ ſtudium teſtatum tibi facere hoc ab initio decreui: ut eundem Honoratum, *de quo ſupra commemoraui; qui te impenſe diligit, ad teq́; in præſentia proficiſcitur; ſumma tibi diligentia commendarē.* Vt *hinc potiſſimum cognoſceres, quid de me tibi ipſe polliceri poſſis: cū me uideas id abs te audere petere; quod mihi eſſe maximū maximeq́; expetēdum ſtatuiſſem. Illius fratrū, hominum innocentiū & plane bonorum patrimoniū quemadmodū nulla ipſorum culpa in* Gallici *belli præda fuerit; ſcire te arbitror. Itaq; de eo nihil dicam.* Nunc autem *cum hi ab* Carlo Imperatore, *omnium, qui unquàm nati ſunt, regū atque principum optimo iniuſte amiſſa repetere ſtatuerint: ſi te unum eius rei adiutorem habebunt; ſperant ſe, quod honeſte cupiunt, etiam facile conſequi poſſe: ea tua eſt et apud* Imperatorem *ipſum gratia; & apud illos, qui ei chariſſimi ſunt, auctoritas, familiaritas, neceſſitudo. Quare magnopere te rogo; ut rem ſuſcipias; fratreſq́; illos atq; familiam in priſtinum fortunæ ſtatum tua cura procurationeq́; reſtituas.* Homines *honeſtiſſimos tuiq́; ſtudioſiſſimos tibi in perpetuum deuincies.* Mihi *uero tam gratum feceris; ut illo ipſo patrimonio me abs te iri auctum et ornatū putē.* Honoratū *enim tā diligo, quā ſi meus eſſet frater: tāti facio; ut æque perpaucos: tam illi*

cupio

cupio hac in re tuo beneficio, et uſui et uoluptati eſſe; ut ipſe, cuius fratrũ intereſt, magis idem cupere nõ poßit, aut magis animo laborare; quã ipſe plane laboro. Sed hunc laborem meum tu; qui me tua ſponte diligis; dexteritate illa tua, qua excellis, & ingenio, quo te charum & peramabilem apud omnes homines reddis, mihi, ut ſpero, celeriter eripies. Quod ut facias; naturæ bonitati ac lenitati confiſus tuæ, non iam, ut nouus tibi amicus, pudenter atq; ſubtimide; ſed quemadmodum ueteres neceſſarij ſolent, etiam atq; etiam abs te peto. Vale. Sept. kalen. Septembres. MDXXXV. *Patauio.*

FLORENTIAM.

Petrus Bembus Benedicto Varicenſio S. P D.

IOANEM *Baptiſtam Braccium adoleſcentẽ; quem mihi diligenter commendas; & uidi libentiſſime; & rogaui, ut me, tanquàm te uteretur: ſiquid eſſet; in quo illi uſui eſſe poſſet domus, res; ſtudium meum, deniq; etiam diligentia. Omnino tibi tã multis uerbis nihil opus fuit; ut me illi beneuolum redderes. Satis erat, ſcire me, tibi eum amicum eſſe. Benuenutum noſtrum morbi ſui reliquias abieciſſe, plane gaudeo. Itaq;; quando ad me tam amanter uenire decreuiſtis; te atq; illum magnopere expecto. Nihil mihi eſſe gratius aut iocundius poterit uobis duobus. Verſiculos tuos uernaculo ſermone conſcriptos deoſculatus ſum: ita mihi uiſi ſunt tuum illum*

erga me amorem præ ſe ferre: cui te nimis indulgẽtem eſſe ſane puto. Sed hoc tu uideris. Petro Victorio, *a quo mihi ſalutem dixiſti, a me item plurimam atq; amabiliter dicito.* Vale. Nonis Ianuar. MDXXXVI. Patauio.

VENETIAS.

P. B. Victori Trincauello Phiſico S. P. D.

DE *Stobæo; quem quidem tua cura et diligentia fidelibus pulcherrimisq; formulis impreſſum dono mihi miſiſti unà cum epiſtola eius muneris teſte, quam liber ipſe præ ſe fert; ualde me hercule te amo.* Ea *enim re, quanti me faceres, oſtendiſti: cum tuã induſtriam nomini meo das; qui cum in lucem atque in manus hominum prodeat.* Itaq; *tua iſta erga me amoris & beneuolentiæ perhonorifica perq; illuſtris ſignificatio mihi magnæ uoluptati fuit: deq; ea tibi plurimum debere me profiteor.* Quanquàm *quidem omnes etiam homines, qui bonas litteras colunt, eo nomine tibi ſane debituros puto: quòd illis eum librum dederis; qui omnibus in uitæ rationibus, ac pene etiam ſermonibus & uſui & oblectationi eſſe maiorem in modum poßit.* Nam *ut ſunt quidam homines uita & moribus ita ſuaues; ut nunquàm non grata ſit eorum conſuetudo atque uictus: ſic* Stobæi *liber habet ille quidem ſemper aliquid, quo delectere: neque ullus alius eſt omnium horarum & locorum magis. Sed hæc tu optime intelligis.*

gnoſcerem effecerunt. Quid illud autem præterea eſt; quæue ea tuarum litterarum pars; Quàm noua, Quàm iocunda: in qua de Aetnæ ueſtræ incendio maximis cum terræmotibus & earum regionum uaſtitate nuper excitato; cum annos quadraginta continenter ſiluiſſet; me certiorem facis? An non mihi ipſe uiſus ſum, dum tuas litteras lego, montem illum fluuios igneos euomentem intueri? ut eodem pene timore unà cum legendi uoluptate afficerer; quo exterritos ob repentinam illuuiem fuiſſe populos eos omnes dicis. Omnino cum reliqua, de quibus ſcribis, omnia: Sunt enim eiuſmodi; ut nihil poſſit eſſe doctius: tum uero illa me pars epiſtolæ tuæ, quam dico, mirifice delectauit; credo propterea; quòd eum adiui montem, dum iſtic moram traherē: neq; uidi unquàm quicquàm in uita; quod me uidiſſe magis gaudeam. Scripſi etiam de ea re dialogū admodum adoleſcens: qui quidem circūfertur. Itaque plura ſunt; quæ mihi lectionem illam iocundam per ſeſe, multo etiam iocundiorem effecerunt. Quare uelim ſic exiſtimes: quod plerique homines multis annorum ſpatijs & longo uitæ uſu conſequūtur; ut, amicitiā cum eo, quem diligunt, bene ſibi eſſe conſtitutā putent: te id unis his tuis litteris perfeciſſe: ut ipſe te tā diligam iam, uel amem potius; Quàm qui maxime: tuq;, mihi ſis & charus & iocundus & optatus. Sed omnino ad ſuperiorem illam partē epiſtolæ tuæ; in qua de Mathematicis diſſeris; reuerti pauliſper uolo. Nam quod ſcribis dialogos treis de

forma & numero & ordine elementorum & cœlorum; de Sphæræ circulis & Planetarum motibus; deq; anno et reliquis temporum ſpatijs te confeciſſe; eosq; mihi libros dono dare decreuiſſe, ſi uelim: ego uerò iſtud mi Franciſce *ſane peruelim.* Quod *enim munus alicui, qui uir ſit, charius & optabilius afferri; aut quæ uberioris donationis inter uiuos fieri ſtipulatio poteſt: quã eius; quæ noſtri nominis memoriam in omnem ſit poſteritatem propagatura?* Non *enim uereor, quin tua ſcripta ſint eiuſmodi; ut te quidem certe ipſum; ſed & illos etiam, ad quos ſcribis, in omne æuum proferant.* Itaq; *tam præclarum tui erga me amoris teſtimonium non modo libentiſſime, ſed etiam cupidiſſime, ut uerum fatear, expectabo.* Quod *quereris de librorum ea in diſciplina conſcriptorum deprauatis & peruerſis locis: equidem tecum ſentio, non tam quidem mea cura & diligentia eiuſmodi cognitionem aſſequutus; quã* Federici Delphini *clari in* Mathematicis *diſciplinis uiri iudicio: quem domi meæ multos iam annos habeo contubernalem unum omnium ſuauiſſimum & egregia doctrina innocentiaq; præſtantem: quiq; in ludo* Patauino *publice iuuentutem cœli conuerſiones & aſtrorum curſus & rationes docet:* Nam *canones ſuper* Alfonſinis *numeris; quos coinquinatos mendis dicis; ſunt illi quidem haud magna etiã apud nos fide: quippe quos* Ioannes *neſcio quis è* Saxonia *conſcripſit homo maiorum ſuorum moribus non diſſimilis: qui æs pro auro uendiderit.* Quod *ſcriptorum*

rum tuorum ſane quam plurimorum argumenta mihi eſſe cognita uoluiſti: profecto in eo quàm ſolida quàmq; ſtabilia noſtræ neceßitudinis fundamenta ieceris; uideo. Neque enim uel cæmentis probe coalitis, uel quadratris lapidibus ſubiectis ulli parietes ſurgere firmiores et diuturniores queunt illa beneuolentia; cuius inſtitutionis eſt origo & initium commemoratio doctrinæ atq; uirtutis. De patre tuo; quē fuiſſe mihi notum putas: ego uerò ſum eius rei prorſus immemor. De mittendis ad te diſciplinæ tuæ libris; ſiqui apud nos ſunt; quos te uelle legere exiſtimem: ſunt quidem Procli libri tres Græcè ſcripti; quos ille in primum Euclidis librum edidit; ualde, ut audio, probati. Quos ad te mitterem: niſi te illos contriuiſſe iam legendo exiſtimarem. Impreßi enim aliquot ab hinc annos in Germania una cum libris Euclidis uulgo ueneunt. Quod autē poſtulas, ut litteris mittēdis inter nos deſideria uterq; noſtra leniamus: erit id quidē certe iuſtißimij: eoq; magis; quod ipſe iā ſeptimum & ſexageſimum annum ago: ut quo minus uiæ ſupereſt; eo crebrius, tanquàm in diuerſorijs, ſic noſtris in litteris utrinque accipiendis conquieſcamus. Vale. Sexto kalen. Quintiles. MDXXXVI. Patauio.

MESSANAM.

P. B. Franciſco Maurolyco Meſſanenſi S. P. D.

DIALOGOS tuos; quos de cœlo & elementorum atq; aſtrorũ rationibus ſcripſiſti, ad meq; miſiſti; ut primum cœpi legere; amorem erga me tuum deoſculatus ſum. Valde enim mihi gratum & iocundum fuit tam illuſtre teſtimonium tuæ erga me beneuolentiæ noſtris hominibus te dediſſe. Deinde cũ omnes eos perlegiſſem; cognoui te præſtanti ſingularíq; doctrina & perilluſtri ſcientia experientiaq; præditum: qui tot res cognitu ſane arduas, explicatu uerò multo difficillimas, ſermone probo & erudito ſis complexus. Nam ut uere tecum loquar, ſuperaſti tu quidem expectationem illam de te meam; quam tuis ad me amantiſſimis litteris ante biennium hoc datis excitaueras. Itaq; tota de re deq; libris his tibi, ut debeo, ex animo atq; magnopere gratulor. Eiuſmodi enim ſunt, ut cum tibi nominiq; tuo magnam apud omnes homines, qui quidem eo cognitionis & doctrinæ genere delectantur; laudem ſint gloriamq; parituri: tum uerò etiam multum adiumenti ad illa cognoſcenda ijs, qui inſtitui & doceri cupiũt; allaturi. Nam & ordine uſus es egregio in illis contexendis: & non paruam rerum optimarum ſyluã in diſputationes tuas attuliſti. Stilus autem tuus tametſi Latinum illum antiquorum hominum candorẽ grauitatemq; omnibus numeris non expreſſerit: ſu-

perauit

perauit tamen plurimorum eorum, qui his de rebus uolumina noſtris temporibus confecerunt, dictionem facultatemq; ſcribendi. Nam ijs; quæ ante hos dialogos primis in libelli paginis collegiſti ſcripſiſſe iã te; ut ſtudiorum & ſcriptorum tuorum reliquorum mihi ratione explicares; omnes profecto partes atque uniuerſi mathematicarũ rerum articuli cõtineri abs teq; declarari mihi quidem uidentur: ut nihil fere extra ea poßit eſſe; quod ſciri opus ſit, aut ſane de quo inueſtigatione ac diſputationibus quæratur. Sed ut ad eos ipſos, quos ad me miſiſti ſermones tuos redeam: eæ quidem magnopere legentium animos delectabunt rationes; quibus à te planetarũ à terra ſpatia comprobantur. Delectabiles enim ualidæq; ſunt. Illud unum fortaſſe aliquibus præpoſtere uideri poſſet poſitum; quod eſt in primi libri fine de ſolis ad planetas reliquos conuenientia diſputatũ. Continet enim motuum ipſorum cognitionem & ſcientiã; de quibus in tertij libri fine, qui eſt ultimus, diſſeris. In ſecundo ſane libro uideo te diutius, quã neceſſe erat, niſi me meus erga te amor fallit, in uentorum & in temporis partibus recenſendis ſermonem tenuiſſe. Ipſa uerò errantium Canonica non nimis abundant poſitionibus figurarum: quæ profecto res difficultatem parit ad eas intelligendas ijs, qui docendi ſunt. Conſideratio quidem illa, quam te legiſſe arbitror, Abrachis Rhodij, quæq; hominem de ſolis apſide, deq; illius à centro remotione admonuit; ualde bella eſt, ut mihi quidem uidetur. Eam ſi tu in ſolis Theorematibus

 poſuiſſes;

poſuiſſes, ſermonem tuũ doctiorem reddere, & uerò etiam delectabiliorem potuiſſes. Vbi autem de ortu occaſuq; ſignorũ loqueris: ſi latius atq; apertius aliquanto ea ipſa, quæ in poëtis quæq; in agricolis nobilibus de eo legũtur, aſperſiſſes; nõ parum ſane decoris, ut mihi quidẽ uidetur, ſermoni illi tuo addidiſſes. eſt enim pars cum apta, tum plauſibilis, neq; ab ullo, quod plane ſciam, ſatis apte aut dilucide tractata. Atq; hæc quidem ipſa in hanc epiſtolam non tã ut te admoneam conieci; quàm ut cognoſceres tuos me dialogos diligenter perlegiſſe: quos me hercule pluris facio; quàm eam ipſam dignitatem, qua de mecum amantiſsime loqueris. Neq; enim ij mihi minus chari aut iocundi ſunt; quàm hæc fortunæ ſæpius, quàm uirtutum inſignia. Quibus in rebus tamẽ ſi quid erit, quo tibi uſui & dignitati poſsim eſſe: uelim ita cogites; non minus tibi eam dignitatem eſſe partam, quàm ipſi mihi. Hoc excellens tua doctrina & uirtus, et meus ſũmus erga te amor poſtulat. Petro Pharaoni uiro illuſtri, amicitiæ utriusq; noſtrum auctori; cui hac de cauſa omnia debeo; plurimam amantiſsimamq; meo nomine ſalutem dices. Vale. Decimoſeptimo kalen. Maias. MDXL. Romæ.

ROMAM.

Petrus Bembus Franciſco Molſæ S. P. D.

SERIVS tibi reſpondeo, quàm uolebã, propter continentes occupationes meas: ad quas acceſ-

ſit pituita;

ſit pituita; quæ me diu male habuit: fuit enim permoleſta: neq; dum abijt. Sed quia minus urget; ſumpſi calamum, ut ad tuas litteras reſcriberem. Subinuideo tibi mi Molſa*, primum, quòd ab* Apennini *radicibus* Romã *uſq; una cum Sadoleto iter, ut ſcribis, confeciſti. O iocundos ueſtros & feſtiuos dies.* Neq; *enim uereor; quin te ille optatiſsimum, eius uiæ comitem habuerit æque, atq; illum tu.* Deinde *quòd te ad* Romani *cœli temperiem hac hyeme contuliſti: eáq; frueris: dum nos hic niuibus obruti pene obriguimus gelu.* Poſtremo*, quòd in ea luce hominum uerſaris: quæ aliquanto eſt nunc, quàm antea fuerit, clarior propter eorum ſplendorem, quos ad urbem* Paulus Pont. Max. *euocauit: quibúscum te frequenter eſſe non dubito; Sadoleto ipſo meo,* Federico Epiſc.º *Salernitanorum,* Reginaldo Polo*, quo eſt uno lõge* Britãnia *illuſtrior,* Gregorio Corteſio *optimo doctiſsimoq; uiro ciue tuo,* Priolo *etiam noſtro: cuius te conſuetudine, litteris, morib. delectari maiorem in modum cognoui.* Quibúscum *uiris eſſe tibi quotidie cum liceat; miror te eam ægritudinem, quã* Medicis *tui morte contraxeras, adhuc non abieciſſe. Sed de eo tu uideris. Illud, tot atque tantis bonis frui te, quis omnino tibi non inuideat?* Præſertim *cum hoc tempore pauci ſint; qui unum modo tantulumq; bonum teneant.* Venio *nunc ad priorem partem tuarum litterarum:* Qua *de parte, dum felicitates iſtas commemoro tuas, ſilendum mihi putaui.* Equidem *probari tibi eos epiſtolarum libros; quos a me* Leo-

nis x.^mi

nis x.[mi] *pont.max.nomine conſcriptos nuper edidi, atq; ad te perferri iuſsi; ualde lætor.* Fructum *enim iſtum labori meo datum iri maximum atque uberri=mum ſemper duxi: ſi tu, qui mihi es pro multis mil=libus, factum meum iudicio laudauiſſes & confir=mauiſſes tuo.* Itaq; *nihil mihi afferri gratius aut io=cundius potuit tuis litteris.* Neque *me mouent eorũ hominum ſermones: qui cum nihil ſcribant ipſi; o=mnia aliorum ſcripta, tanquàm ſuæ laudi officiant, carpunt atque improbant.* Nam *quod me amantiſ=ſime admones eſſe nonnullos, qui me in laudando* Paulo Pont.Max.*longius progreſſum putent, quàm aut mei mores, aut ſumma in me* Leonis *x. officia; aut ueritas omnino ipſa poſtularit:* Ego *uerò cum probandum eſſet populo & ſcenæ meum illud conſi=lium; quo, ut illos libros ad* Paulum *mitterem; per=ſuaſus ſum: quid potui afferre aptius atque accom=modatius; quàm ſi eum à mitiorum ſtudiorum ele=gantia, quorum in genere ſcriptorum illi ipſi libri ſunt, laudauiſſem,* Leoniq; *prætuliſſem?* Fuit *autem illud quidem in* Leone *non tam animi, quàm fortu=næ culpa, minus accumulatum & redundans bonum.* Quæ *cum eum fortuna multis incommodorum ge=neribus diutiſsime uerſarit; fugæ, direptionis, exi=lij, egeſtatis: dare ſeſe ille bonarum artium ſtudijs magnopere non potuit.* In *quibus ſi ei* Paulum *ante=poſui: non item in prudentiæ aut ſapientiæ muneri=bus, non in tractanda regendaq; rep.non in conſtan=tia, temperantia, probitate, liberalitate; quæ ſunt*

ueræ

ueræ ſolidæq́ uirtutes, quasq́ omnes homines Pau-*lo magnopere attribuunt; anteposui. Non enim meũ illud iudicium fuit. Quibus in uirtutibus* Leonis *cũ ingenium, tum institutio eiusmodi à me informata illis in libris eſt: ut non modo memorem illius beneficiorum me fuiſſe; ſed in eo illi ampliſſime etiã a me relatam eſſe gratiam putem. Quod qui legent, facile intuebuntur.* Itaq́ *mei priſtini mores; qui omni tempore ab ingrati animi culpa longiſſime abeſſe conſueuerunt; profecto erga illum extiterunt. Quod autem ſumma in me* Leonis *fuiſſe officia commemorant: omnino illa quidem non tam ullius hominis, quàm mea prædicatione eiuſmodi ſunt habita.* Ta-*metſi mediam plus partem earum, quas habeo, fortunarum omnium* Iulius *Secundus* Pont. *max. cui nunquàm inſeruiui, contulit.* Vt *minus mirari homines debeant, alteram earum partem, aſſiduis meis nouẽ annorum diurnis nocturnisq́ laboribus & inexhauſtæ fidelitati ab* Leone *ipſo datam: eamq́ non tam in ſummorum tradentis officiorum, quàm in remunerationis genere pro ſummis accipientis meritis eſſe reponendam facile iudicent.* Poſtrema *eſt eorũ accuſatio; qui me non uera loquutum dicunt. Qui ſane mihi parum uidentur cognouiſſe; quæ* Leonis *doctrina in eiuſmodi litteris fuerit; quæue ſit* Pauli, *quem illi prætuli.* Id *autem non tam eſt anceps atq́ ambiguum; ut ſermonis egeat mei; præſertim apud te: cuius eſt et doctrina & iudicium æque ſummum. Quare cum ij nihil laborent ſi uera an falſa pronun-*

tiant:

tiant: ego quoq;, quò illi damnent atq; improbent, non laboro. Ac ſi a uobis & doctis uiris, & optimis hominibus non reprehendar: facile me tuebor uel ueſtro ipſorum iudicio, uel natura mea; qua cũ nemini male cupio: tum Leonis clarum atq; ſanctũ omnibus & gentibus & ſæculis nomen beatiſſimosq; manes ea pietate ſemper colui: ut cum nonnulli maximas ab illo opes ampliſſimosq; magiſtratus conſequuti in eius tamen uitam probris & maledictis nimis ſæpe inuehantur: ut ſunt quorundam hominum praua iniuſtaq; ingenia: nulla unquàm tamẽ mea eſt uox ab ullo audita uel meo in illum perpetuo & cõſtanti amore ac fide, uel eius in me liberalitate atq; officijs indigna. Vale. Nosq; ut facis, dilige; tuiq; eſſe amantiſſimos exiſtima. Nono kalen. Ianuarias. MDXXXVI. Patauio.

VIENNAM.

P. B. Adamo Carolo, Regis Romanorum à Secretis S. P. D.

AMABAM te antea ex Braſſicani ſermone, quem is mecum habuerat: Idq; ut tu aliquo argumẽto cognoſceres; dedi ei librum meum, quem ad te mitteret; puſillum ſane munus; ſed quod tibi nõ ingratum putaui fore uel propter tui magiſtratus rationem perſimilem ei magiſtratui, quem ego tum gerebam, cum eum librum conſcripſi: uel propter meum in ea re ſtudium quærentis aditum ad beneuolentiam

lentiam tuam. Nunc uero lectis litteris tuis; quæ me de tuo erga me beneuolentiſsimo amantiſsimoq; animo, deq; tua eo ex libro percepta uoluptate, demũ de tuo perhonorifico de meis ſcriptis iudicio certiorem fecerunt; ualde lætor, me, quod magnopere cupiebam, fuiſſe cõſequutum: ut ſcilicet diligerer abs te. Nam ut mihi tantopere tribueres, tantisq; me ornares laudibus; ſane non expetebam. Id quoniam præter ſpem accidit; maiorem in modum auxit uoluptatem meam. Illam enim ueram eſſe laudẽ, ſemper duxi: quæ à doctis hominibus atq; iiſdem claris uiris proficiſcitur. Doctrina mihi tua tuis in litteris ſe oſtendit: quæ quidem litteræ magnam recte ſcribendi facultatem, magnum ſtili dictionisq; ſplendorem præ ſe ferunt. Claritatem tuam loci celebritas, quem apud regem tuum obtines, omnium hominum oculis ita proponit; ut nulla prope eſſe uel teſtatior, uel peruagatior profecto poſsit. Quare cum tu eadem epiſtola & beneuolentiæ mihi ſigna plurima, & iudicij teſtimonium locupletiſsimum dederis: potes iam uel tacente me, quàm grata mihi utraq; ea res fuerit, ipſe per te exiſtimare. Quarum in altera uinci nõ patiar: ut tu me plus diligas; quàm ego te; qui tam es amandus. In altera ſi lapſus es; ut à te multo pluris fiam, quàm oportet: tamẽ gaudeo; quòd te ita ſenſiſſe uel amoris abundantia; uel naturæ liberalitate, optimis humani animi affectionibus, deceptum puto. Quàm uero exiſtimas libenter me eam epiſtolæ tuæ partem legiſſe; in qua ſcribis magnopere

gnopere

gnopere laboraſſe te; ut meus tibi liber mitteretur? Quàm illam; in qua de tui erga me amoris ortu atq; initio commemoras? aut in qua de Budæi epiſtolis deq; Eraſmi erga me ſenſu mentionem facis? Reliqua ne colligam; pudore mediusfidius impedior. Sed omnia eodem ſpectant; ut tibi me debere plurimum ſentiam; idq; libentiſſime profitear: ſimul ut exiſtimem, nihil eſſe te uno humanius, nihil probius, nihil amabilius. Quare peto abs te; ut non tam ex huius temporis breuitate, cum te cœpi diligere, quantum te diligam, æſtimes: Quàm ex eo; quod tu mihi plurimas maximasq; cauſas uno tempore das, uel potius ingeris, & tanquàm ſtimulos adhibes iocundiſſimos illos quidem ſuauiſſimosq; te amandi. Braſſicanus; quem mihi commendas; quiq; mihi eſt, uti debet, ſane chariſſimus; ſuperioribus diebus me ſalutato in Germaniam ſe redire dixit. Te ab illo iam conuentum puto. Si reuertetur ad nos: erit mihi tua commendatione multo etiam charior. Stephanum Brodericum Epiſcopum Quinqueeccleſienſem; ſi adhuc apud uos eſt; ſaluere uelim iubeas meis uerbis. Vale: meq; in tuo ære eſſe ualde exiſtima. III kalen. Febr. MDXXXVII. Patauio.

PATAVIVM.

P. B. Dominico Bonſilio Bononienſi S. P. D.

LIBRVM de immortalitate animorum tuū ad me amantiſſime ſcriptum; quem mihi frater tuus reddidit;

reddidit; legi magna cum uoluptate. Eſt enim & doctrina tua & beneuolentia noſtra dignus; et mihi multo gratiſsimus: qui nihil omnino aut lego iã pridem, aut audio, ea diſputatione ſententiaq; libentius. Itaq; de iſto tuo labore tibi gratias habeo; quas quidem debeo: immortales ſcilicet: ut tui operis argumẽto mea in te uoluntas eſſe par atq; mutua uideatur. De tota uero diſputatione tua, cum Patauiũ rediero, colloquemur inter nos; ut conſuetudo noſtra, atque amor in te ſummus meus poſtulat. Vale. Octauo Id. Februarias. MDXXXVIII. Venetijs.

ROMAM.

Petrus Bembus Vbaldino Bandinello S. P. D.

LITTERIS *tuis: quibus te purgas de eo, quod ad me delatum ſciebas, te in meis Pontificalium epiſtolarum libris nonnulla improbauiſſe, uitioq; cũ communibus amicis uertiſſe: mihi quidem nihil opus fuit: cum certe uno ipſo ea de re per litteras Iacobi Sadoleti Cardinalis teſtimonio interpoſito acquieſcens omnem illam; quam de tuis reprehenſionibus opinionem ex Nigri litteris in animum induxeram; me abieciſſe ad illum reſcripſiſſem: amoremq; inſuper illi meum erga te atq; beneuolentiam obtuliſſem. Non enim modò id, quod ei te cupere oſtenderas, ut ipſe de te nihil eiuſmodi crederem, cõfectum erat iã & explicatum: ſed illud etiam; quod tamen quanti tibi faciendum ſit, ſtatues profecto ipſe; ut me tibi*

fore

ſore amicum atq; beneuolum, ſi uellet, confirmarem. Quæ cũ ita ſe haberent: gratæ tamẽ eo nomine mihi tuæ litteræ acciderunt: quod cũ ego ſcripti a te nihil unquã legiſſem; omnino ex ijs, quã in eo genere excellas, præſtanſq; tuũ ac perelegans ingeniũ quantos progreſſus in recta ſcribẽdi ratione fecerit; plane cognoui. Ita qui antea bene de te quidẽ ſentiebam doctrinæ tuæ impulſus fama, quã multorũ hominum ſermonibus auditionibusq; perceperã: non iam ullius prædicatione, aut Sadoleti iuſſu, quemadmodũ ad illũ ſcripſerã; ſed mea ipſius ſponte atq; iudicio te deinceps diligã. Reſpondere me ad ſingulas epiſtolæ tuæ partes nõ neceſſe eſſe duxi. Tu ſi meorũ uerborũ ſenſa perinde interpretatus fuiſſes, ac merẽtur: et quod te decebat; ſi tam es, ut ſcribis, innocens; in primis feciſſes: & laborem ſuperuacaneum litterarum neq; ipſe ſumpſiſſes, neq; mihi dediſſes. Vale. Quarto kalen. Martias. MDXXXVII. Patauio.

Herculi Cardinali Mantuano: quẽ ego uirum propter eximiam eius uirtutem & in optimarum artiũ ſtudijs ſingularem præſtantiam colo ſummopere iã pridem atq; amo: ſalutem dicito.

VENETIAS.

P. B. Antonio Eparcho Corcyræo S. P. D.

LITTERAE tuæ, quas ad me græce ſcriptas miſiſti; ut uere dicam, quod ſentio; me cum uoluptate, tum uero etiam dolore ſane magnopere affecerunt.

cerunt. Nam quod erat earum ſermo purus, ſuauis, doctus, Athenas ipſas redolens; tum etiam philoſophiæ ſenſu ac præceptis pictus & perpolitus: maiorem in modum tuarum litterarum lectione ſum delectatus: eoq́; amplius; quod noua mihi hercle tota ea res inopinataq́; acciderat. Neq; enim putabam his quidem tempeſtatibus; cum è Græcia bonarum litterarum ſtudia penitus emigrauiſſent; tam egregium tamq́; præſtantem optimis artibus ac diſciplinis uirum, ut te eſſe uideo, Corcyram Inſulam non nimis elegantem alere ac erudire potuiſſe. Itaque eam præ oculis pagellam diu tenui: quæ tuæ mihi doctrinæ tuorumq́; morum teſtis & plane obſes fuit. Quæ uero earundem litterarum tuarum pars illatã tibi proximo bello Thracio à fortuna tam inſignem iniuriã continuit; ut à ſolo patrio fugiens nihil inde tuarum rerum tecum abſtuleris, præter nudos liberos; ad quos quidem nutriendos & tuendos, teq́; unà cum illis ſuſtinendum, coactus fueris ludum litterarũ Venetijs aperuiſſe: ea mihi porro ægritudini ac dolori magno fuit. Angi enim te ac perturbari curis animi atq; laboribus hominem ad ſcribendum & ad poſteritatem natum, tuaq́; ſtudia durißimis uitæ difficultatibus impediri; quis eſt tam illiberali porro ingenio; cui non id permoleſtum eſſe ac plane miſerum debeat? Quare mihi: ut ad illud redeam, quod initio dixi: & hæc uirtutum tuarũ percepta ex tuis litteris cognitio uoluptatis plurimũ attulit; et tuarum moleſtiarum lectio atque cogitatio plurimum

acerbitatis. In qua tamen ea me ſpes recreat; quod te confido in iſtis mœroribus nõ diutißime futurum. Vel enim fortuna eadem, quæ te preßit, etiam ſubleuabit: Vel uirtus ipſa te reſtituet tua; multoq́; reddet clariorem atque illuſtriorem; quàm ſi domi tuæ nulla re offenſus permanſiſſes. Quod ad me attinet: ſi quem hic nactus fuero ex ijs, quos commemoras; eum tibi amicum omni ſtudio comparabo. Sed mira paucitas eſt: omnesq́; fere non tam, ut recte addiſcant; quàm ut paruo, curare atq; perpendere uidentur. Ego, ut ſpero, propediem te uidebo. Vale. XVII kalen. Ianuarias. MDXXXVII. Patauio.

MANTVAM.

P. B. Herculi Gonzagæ Cardinali S. P. D.

DIALOGVM *de Metaurenſium ducibus meum: quem oblitus fuerã ad te mittere: quod quidem tibi oſtenderam̃ facturum, cum me domum recepiſſem: à Gregorio Corteſio monacho admonitus ad te mitto. Atque ut obliuionis eiuſmodi culpa me ſubleues; alios etiam dialogos meos, quos una edidi, ei dialogo adieci. Formam Iuliani pontis, quam tibi dixi habere me recte confectam; ut mihi quidem uidetur: de qua idem me monachus admonuit: quod propter magnitudinem minus eſt ei rei habilis; non mitto. Paruula uero forma; quæ quidem fabricari potuiſſet, ad teq́; mitti; omnes pontis partes non tam*

tam apte, quâm neceſſe eſt, tibi planas exploratasq́; feciſſet. Tum niſi ego præſens ſim; qui te alloquar; oſtendamq́; ea, quæ oſtendenda ſunt; muta formula erudire te non poterit ita; ut tibi Cæſaris uerba ſingula explicari impleriq́; uideantur. Quanquàm: tametſi de Dialogo ſum oblitus: illud tamē ſane memini; me tibi recepiſſe, cum Patauium ueniſſes, eam tibi formā oſtenſurum: Quod & ad rē erit aptius: & mihi multo iocundius, te uidere & colloqui. Matrem tuam fœminam cum fortunatiſsimam, tum uero etiam prudentiſsimam fœminarum omnium, ſaluere uelim iubeas meis uerbis. Decimo *kalen. Sept.* MDXXXVII. E Noniano.

MEDIOLANVM.

P. B. *Paulo Petræſanctæ Iureconſulto* S. P. D.

ACCEPI *tuas litteras: ex quibus, quàm me amares, facile cognoui. Cuius tu amoris tui ſi eam habes cauſam, quam prædicas: lætor eſſe in me aliquid; quod impellere doctos uiros ad me amandum non omnino nequeat. Si non habes: tamen gaudeo te in eo decipi, meq́; abs te propterea diligi. Cæterum uidēdi mei deſiderio teneri te quod ſcribis: ſpero fore; ut uterque noſtrum id, quod optat, aliquando conſequatur. Volo enim cogites & amari te a me; & me cupere, ut alloquendi tui poteſtas mihi fiat. Vale: meq́; in tuis eſſe rebus admodum exiſtima: quando te tuaq́; omnia in meo eſſe ære uti*

credam, poſtulas. kalen. Octobrib. MDXXXVII. Patauio.

IN HISPANIAM.

P. B. Carolo Quinto Imperatori S. P. D.

CVM te eum fortuna primùm, deinde uirtus induſtriaq; tua fecerit; à quo uno omnes plane homines, qui iniuſte premerentur, uel priuatim, uel publicè ſuis rebus auxilia communi iure peterent: deeſſe mihi ipſe nolui; quin à te ſuppliciter poſtularem; ut meam cauſam, quæ tuæ opis magnopere indiget, pro tua pietate atq; iuſtitia ſuſciperes tuendam. Neq; me ab hoc conſilio ea res deterruit; quòd nulla mihi tecum non modo familiaritas & conſuetudo; ſed ne ſermo quidem aliquis aut omnino ſalutatio interceſſit. Non enim eiuſmodi eſt aut Imperij tui amplitudo; ut omnes tuo nomini dediti homines tibi noti & familiares queant eſſe: aut naturæ animiq; tui uis & temperatio; ut quempiam, cui prodeſſe poſſis, reſpuas; modo is iuſta in re atq; cauſa opem atq; auctoritatem requirat tuam. Illud uerò mihi etiam animum addidit; ne dubitarem tuæ bonitati atq; in humano genere iuuãdo uoluntati uel cupiditati potius confidere: quòd cum Veneta ciuitas ſeſe tecum fœdere amantiſſime cõiunxerit: reliquos reges; qui eam ſociam ſibi facere maiorem in modum cupiebant; repudiarit: tu ciuem Venetum; qui tuæ pietati ius et dignitatem commendat ſuam; reij-

cere non ſuſtinebis: ne qui uniuerſi tuam beneuolẽtiam faciunt ſane plurimi; tu ex illis ne uni quidem te beneuolum uideare præſtitiſſe. Cauſa *quæ ſit mea, quaq́; in re prouehere ac regere me poßit fluctuantem atq; in portu ſiſtere aura liberalitatis tuæ: tui tibi familiares explicabunt; ad quos de eo litteras dedi.* Itaq; *non interpellabo te pluribus. Vnum dicam: Si meæ hoc tempore fortunæ; quæ uim nõ bonorum hominum paſſæ complures annos alienis dominis ſeruierunt; per te constituentur: dabo ipſe operam, enitar, perficiam deniq; ut me tibi gratum & præſentes homines intueantur, & poſteritas ſentiat.* Vale. Quinto *kalen.*Decembris. M D X X X V I I I. *Venetijs.*

P. B. Nicolao Perennoto,Domino de Granuella Cæſaris Conſiliario S. P. D.

E G O *& ingenium tuum eximium atq; mirificum omnium maximarum rerum capax, uirtutesq́; ſummas & præſtantißimas una cum ſingulari optimorum ſtudiorum doctrina coniunctas tuas iampridem ſuſpiciens, te intimis animi mei ſenſibus cõplures annos tacitus colui: & liberos tuos primarios adoleſcentes ac ſupra ætatem morum & litterarum elegantia præditos; qui* Patauij *bonis artibus operã dabant; amaui, uti debui, ſane plurimum.* Itaq; *cũ hoc tempore patrocinij apud* Carolum Imperatorem *tui magnopere indigeã: facile in eam ſpem ueni; ut*

tu, quæ tua eſt humanitas, mihi illum ſis tua commendatione propitium atq; beneficum præſtaturus. Georgius Palleanus; quem quidem unice diligo, atq; ab eo diligi me ſentio; cauſam meam remq́; totam ad te deferet. Oro igitur obſecroq́; te; ut tantũ mihi de tua illa prona ad bene de humano genere merẽdum probitate hac in cauſa commodes: ut meam dignitatem measq́; fortunas; quæ quidem iniuſtiſsime diutiſsimeq́; iacuerunt; per te unum aliquando tandem erectas mihiq́; reſtitutas putem. Non dubito, quin plurimis magnis uiris tuam opem implorantibus auxilio ſæpe fueris: eorum cauſas defenderis: nomen illuſtraueris: ipſos tibi omnia debentes dimiſeris. Neq; enim aliter cum de ea, quam habes, hominibus iuuandis facultate; tum de natura nobiliſsima, mitiſsimaq́; tua eſt exiſtimandũ. Sed ſi nos unos; qui minus etiam quàm mediocres ſumus; illis omnibus adiunxeris: non erimus fortaſſe in poſtremo eorum numero; quibus ornamento te fuiſſe, non dicã lætere; ſed certe nunquàm pœniteat. Carolo quidem ipſi, ſi à me referri gratiæ non poterunt: ita tamen habebuntur: ut confidam, illi me ingratum non fuiſſe omnes homines exiſtimaturos. Vale Quinto kalen. Decembris. MDXXXVIII. Venetijs.

P. B. Aloiſio

P. B. Aloiſio Stunicæ Abulenſi, Cæſaris Cubiculario S. P. D.

QVONIAM *probitas eximia & mores ſuauiſsimi amabiliſsimiq́; tui apud* Carolum Imperatorem *eum tibi locum aperuerunt, eamq́; beneuolentiam pepererũt; ut nemo illi ſit te uno charior, nemo interioris uitæ uſu atq; omni familiaritate & neceſſitudine coniunctior: ea ſum re magnopere gauiſus; quòd intelligebam cum reliquis tuis plurimis maximisq́; uirtutibus præſtantem etiam optimarum litterarum doctrinam eſſe coniunctam.* Putabam *enim propterea quòd ipſe quoque bonas arteis uſq; à puero coluiſſem, uitamq́; omnem fere in illis inſumpſiſſem; fore, ut ſtudiorum ſimilitudo tuam mihi beneuolentiam, cuius hoc tempore maiorem in modũ indigeo, non difficulter conciliaret.* Fit *enim communi ui naturæ: ut quas quisq; artes magnopere adamarit; qui eiſdem ſeſe artibus tradiderit, facile diligat; præſertim ſi is prior ſuam beneuolentiã illi ipſi præ ſe ferat.* Quæ *cum ita ſint: peto à te, quantum poſſum maxime atq; diligentiſsime: primùm; ut me in tuam beneuolentiã recipias: desq́; hoc mihi; ut quod ante fieri oportuit, ut quantum id cuperem quantiq́; facerem, tibi declararem; tu id, quaſi factum ſit, exiſtimes: cõcedasq́; uel amoris in te mei ſtimulis, quibus incendor; uel feſtinationi, qua ducor mutuum tuum erga me animum promerendi; ut mihi pluſcu-*

lum etiam, quàm quod amicitiæ nouitas poſtulet, de tuis candidiſsimis moribus, de tua ſingulari humanitate liberalitateq; largiare: Deinde: *ut quando meæ rationes ferũt; ut ab* Imperatore *operam atq; auxilium meis rebus implorare me oporteat; commendes tu ei meam cauſam, de qua te* Georgius Palleanus *alloquetur: atq; ita plane cõmendes; ut quod ius, æquitas, leges, religio ipſa expetit, ut mihi tribuatur; à* Rege Ferdinando *eius fratre aliquando tandem conſequar.* Equidem *arbitror teneri te quotidie illorum precibus; qui ſe à te commendari* Carolo *poſtulent. Quis enim id non credat; qui nouerit maximam terrarum orbis partem ab illo regi; cui tu ſis & ſupra cæteros familiares intimus, & omniũ hominum iocundiſsimus: qui te apud ſe uſquequaq; uelit eſſe: qui tecum, uti ſecum, loquatur; quiq; familiaris uitæ ſuæ atq; uictus participem potius te, quàm adminiſtrum habeat: ut ab illius animo rectius, quàm à cubiculo eſſe appellandus uideare.* Verũtamen *hoc etiam ſic exiſtimo; mea te cauſa iuſtiorem cauſam, ei quam probares, non facile ullo tempore habuiſſe. Illud etiã perſpectũ plane habeo: quæ tua eſt humanitas; nulli te homini; qui unum modo commendationis ad te aditum habuerit, ſtudia commerciumq; litterarum; tuam opem, tuum auxilium negauiſſe: plurimis magno adiumento, magno ornamento tuam beneuolentiam fuiſſe. Quæ me omnia in eam ſpem adducunt: ut meam dignitatem meaſq; fortunas; quibus iniuſtiſsime perplures annos careo; breui per te mihi re-*

ſtitutum

ſtitutum iri putem. Quod ſi erit: ecquid propterea polliceri tibi & ſpondere poſſim, haud ſane habeo; præter hoc unum; quod tibi audacter ſpondeo, atq; in me perſancte recipio: me tibi gratum animum, quãdiu uixero, præſtaturum. De tuo uero Imperatore; ſi meas preces non erit aſpernatus; ſi mea poſthac uita eius erit opera illuſtrior; illud tibi poſſum dicere (tu ei ſi dices; à te rogo dixeris: ne ſi a me prolatũ eſſe ſentiet; arrogans uidear; qui porro eſſe illi quàm probatiſſimus cupio) plurima eius in plurimos promerita beneficiaq; ſilebuntur; cum de eo, quod in me contulerit, ſermo habebitur. Vale. Quinto kalen. Decemb. MDXXXVIII. Venetijs.

P. B. Cardinalis Aloiſio Stunicæ S. P. D.

MAGNAS tibi gratias habeo de ſecundis Cæſaris ad Ferdinandum regem in me illi commendando Latine ſcriptis litteris. In quibus uideo, quanti me nouum tibi hominem feceris. Nam neq; amantiores aut officioſiores ſcribere pro me ipſe potuiſſem: neq; non clariſſimum tuæ liberalitatis tuæq; beneuolentiæ ſignum illud fuit; te prioribus Galliceq; ſcriptis, quarum quidem exemplum mihi ualde probabatur, contentum non fuiſſe. Itaq; quantum tibi ea ex re debeam, non dicam. Qui enim poſſum; cũ ſane uideã, tui te beneficij magnitudine omnẽ meam expectationem, omnem etiam cogitationem ſuperauiſſe?

uiſſe? Sed omnino tibi omnia debeo. Speroq́; fore; ut Ferdinandus Caroli fratris tam beneuola commēdatione permoueatur: detq́; operam; ut quod iure multos iam annos mihi debetur; aliquando tandem conſequar. Id omne, quantuncūq́; erit; me abs te accepiſſe arbitrabor. Cæſari ſi plurimam ſalutem dixeris, meq́; illi gratum ſemper futurum ſponſor fueris; omnes beneuolentiæ numeros impleueris. Vale. Decimo kalen. Maias. MDXXXIX. Venetijs.

P. B. *Alphonſo Idiaqui, Cæſaris a litteris & conſiliario* S. P. D.

TAMETSI *ego adhuc quidem neque beneuolentiæ, neq; ullius omnino neceßitudinis ad te ſemitam atq; aditum habuerim: tamen cum hoc tempore mea in re mihi quidem pro fortunis meis maxima maximeq́; neceſſaria opem atque auxilium me abs te petere oporteat: nolui mihi deeſſe; quin ad te de eo ſcriberem: præſertim cum ſcirem haud ſane minus in te uoluntatis ad iuuandos homines ineſſe, quàm facultatis, certiorq́; fierem, cum ſingulari humanitate nobilißimaq́; natura tua mitiores etiā litteras, & ea, quæ ipſe plurimum ſemper colui ſtudia, ita te concinnauiſſe; ut quæ nam earum rerum potiores in te partes habeat, non ſit facile diſpicere. Georgius Palleanus, quē te cognoſſe arbitror, meā tibi cauſam proponet; quidq́; à te poſtulē, exponet.*

ponet. Exorandus ſcilicet eſt nobis Carolus Imperator herus tuus: ut me apud Ferdinandū regē fratrem ſuum cōmendatione ſua iuuet: impetretq́; ut is mihi Pannonici ſacerdotij, quod Prioratū appellant, poſſeßionē tradi mandet: qua omnino illius nationis ab hominibus non iure capta, ſed ui intercepta, contra leges, contra bonos mores, contraq́; religionē diutißime ſane careo. Rogo igitur te, & quidem precibus omnibus: ut tantū mihi de tuis uirtutibus promas; propter quas Carolo ipſi es omniū ſermone probatißimus; ut quod iure peto, etiam conſequar. Quod ſi erit: fortunas omnes meas & dignitatē, omnia uitæ ornamenta me à te accepiſſe profitebor: atq; illa ipſa uniuerſa ego et propinqui poſteritasq́; mea omnis tibi debebimus. Vale Quinto kalen. Decemb. MDXXXVIII. Venetijs.

P. B. Michaëli Maio, Cæſaris Vicecancellario S. P. D.

Etſi poſtea quā ab Italia decedēs in Hiſpaniam redijſti, nullas ad te litteras dedi: ſpero tamen te memoria tenere; quanti te, dum nobiſcum eſſes, quanti doctrinam præſtantißimam tuam, probitatē, humanitatem, morum ſuauitatem ſemper fecerim: quantumq́; te eos omnes annos amauerim, obſeruauerim, coluerim. Cuius mei erga te animi teſtē habeo præter cæteros & quidem locupletißimum Victorem Superantium: qui te mirifice diligit. Sæpe enim in

noſtris

noſtris te ſermonibus habuimus; dum tuas uirtutes ſummis laudibus in cœlum tolleremus; faciliusq́; initium de te loquendi quàm finem facere uterq́; noſtrũ poſſet. Atq; hæc quidem noſtri erga te amoris commemoratio eò ſpectat: ut te quoq; tuum in nos non abieciſſe proxime aut æque etiam exiſtimem. Probo enim homini & pudenti nihil eſt tam pronum atque proprium; Quàm ſemel conſtitutas à ſe clientelas et neceſsitudines nunquàm obliuiſci. Quæ cum ita ſint: id, quod hoc tempore mea magnopere intereſt, confido me abs te non difficulter impetraturum: opem ſcilicet atq; auctoritatem in me commendando apud Carolum Imperatorem tuam. Georgius Palleanus meam cauſam tibi planam faciet: qua quidem cauſa nihil eſſe iuſtius cognoſces, nihil æquitate fultũ magis; addo etiam dignitate, religione, pietate. Oro obſecroq́; te, ut rem ſuſcipias. Non dubito; ſi parumper modo in eo ingenium excitabis & calfacies tuum; quin quod opto, etiam conſequar. Quod ſi erit: quantum tibi debiturus ſim; & tu facile iudicabis; & ego, ut bene operam poſuiſſe te ſentias, omni tempore curabo. A Superantio multã tibi ſalutem dicimus. Vale. Quinto kalen. Decemb. MDXXXVIII. Venetijs.

P.P.Gonſalo

P. B. *Gonſalo Pireſio, Archidiac.° Viglienæ, Cæſaris Sacellario* S. P. D.

MAGNAS *tibi gratias de eo ſermone habeo; quem proximis diebus cũ Georgio Palleano meis de rebus Pannoniciq́; Sacerdotij rationibus habuiſti; deq́; eo, quod uideri tibi tentandum à me conãdũq́; eſſe oſtendiſti; ut cauſa ipſa ad eum, quem uolumus exitum perducatur. Prudentis enim hominis & me amantis conſilium id fuit. Qua in re tibi eò etiã iuſtius debeo: quo pauciores ſunt; qui alienum hominem à recta aberrantem uia regant: præſertim cum neque planum neq; non perplexum ſit illis iter capeſcendum, qui regendi ſunt: cuiuſmodi eſſe hanc noſtrarum rerum ineundam ſemitam uides. Omnia quidem feci; quæ tu uti fierent, ſuaſiſti: quẽadmodum ab ipſo Georgio cognoſces. Quem quidem certe uirum & ego unice amo; & amari abs te nõ mediocriter, quemadmodum coniectura conſequor, ualde gaudeo. Quod ſupereſt, rogo te mi Conſalue: (meum autem iam te dicere recte ſane poſſum; qui mihi te amicum præſtas, meq́; iuuas tuo conſilio plurimum) ut & Georgio auctor ſis, doceasq́;, quid illum facere mea in re oporteat: & herum tuum maximum clariſſimumq́; uirum ita mihi concilies, et propitium pares; ut extet fructus operæ atq; officij tui. Cuius quidem ipſe operæ ſi referre tibi gratiam non potero:* DEVS *opt. max. aliquando certe referet.*

te referet. Ille enim pro ijs, qui ſoluendo non ſunt, ſæpe dependit; maximeq́; cum bonis liberalibusq́; debent uiris: qualem te eſſe plane uideo. Sed omnino tui ſtudij tuæq́; in me beneuolentiæ memoria nunquã meo ex animo effluet. Vale. *Quinto kalen.* Decẽ. MDXXXVIII. *Venetijs.*

P. B. *Cardinalis* Gonſalo Pireſio S. P. D.

PLVRIMVM *tibi ſane debeo: qui curam adhibueris, ut alteræ ab* Imperatore *litteræ ad* Ferdinandum *fratrem* Latine *ſcriberentur multo etiam diligentius multoq́; accuratius; quàm priores illæ, quæ* Gallice *erant conſcriptæ.* De eo, *uti me admones, ſcripſi ad* Ludouicum *Stunicam: egiq́; ei gratias, quòd tam ſtudioſe eam rem egerit.* Tibi *hoc uere poſſum dicere; nihil illo uno humanius, nihil officioſius fieri potuiſſe.* Litteræ *utræq́; ad* Ferdinandum *eodem in faſciculo ſunt miſſæ. Siquid ab eo impetrauero; ſtatim ſcies. Interim ſpes eſt aliqua, fore uti uolumus. Stunicæ multam ſalutem.* Vale. Decimo *kalen.* Maias. MDXXXIX. Venetijs

P. B. Adamo Carolo, *à litteris* Regis Romanorum S. P. D.

SENATVS *reiq́; publicæ noſtræ ad* Regem *tuum litteras de me illi commẽdando diligenter ſcriptas, aut legiſſe iam te; aut lecturum puto.* Ex *ijs qua in*

qua in re illius auctoritate mihi opus ſit, facile intelliges. Rogo *te pro eo, quantum me amas (quod quidem eſſe plurimum non tam pro meis opibus, quæ nullæ ſunt; quàm pro humanitate tua, qua maxime abundas; exiſtimo) ut rem meam commendatione ſtudioq; tuo iuues: desq; operam, ſi tibi erit commodum; ut quod iure peto, etiam conſequar*. Vale. Idib. Martijs. MDXXXIX. Venetijs.

ROMAM.

P. B. *Cardinalis Auguſt.* Triultio *Card.* S. P. D.

LITTERAE *tuæ; quibus me* Cardinalem *eſſe factum gratularis; multo mihi gratiſsimæ multoq; iocundiſsimæ fuerunt*. Nam *& te tantum ac tã præclarum in grauiſsimo ſenatu uirum de hac mea dignitatis acceſsione uoluptatẽ cepiſſe ſane gaudeo: & noſtræ ueteris beneuolentiæ memoriam tibi tot annos in orbis terrarum theatro uerſanti, maximisq; in reip. rebus occupato non excidiſſe, ualde lætor*. Nihil *enim contingere mihi cum optabilius, tum uero etiam conducibilius poterat: quàm te habere non ſolum ampliſsimi collegij ſocium; ſed etiam in reliqua mea uita eundem illum mei amantem meiq; cupidum; quem in* Leonis *x.*[i] *pontificatu uniuerſo habui*. Tametſi *te non tam collega, quàm magiſtro et patrono uti cogito*. Id *enim et pro tua ſingulari prudentia et gerendarum rerum uſu præſtantiq; doctrina, & pro mea uetere erga te obſeruantia mihi eſſe faciendum*

ſe faciendum plane puto: Quia ex re plenior multo atq; uberior Pauli Pōt. Max. *erga me liberalitas extitit: quòd te; quem quidem abſens ſummo ſtudio ſummaq́; animi propenſione ſemper colui; deinceps & præſentem intueri, & præſentis conſilio iuuari, & tua conſuetudine tuisq́; uirtutibus & amore frui, cum me* Romam *contulero, mihi, ut uideo, licebit.* V*alde enim libenter eam tuarum litterarum partem legi; qua futurum exiſtimas; ut nos uberiores beneuolentiæ noſtræ fructus ſimus, cum una erimus, percepturi.* Nam *quod ſcribis dignitati meæ atq; commodis omni te ſtudio & diligentia obſequuturum: tu uerò in eo meas mihi præripis, & tibi ſumis partes: qui te colere, tibi obſequi, tuamq́; dignitatem atq; amplitudinem omnibus numeris uelle auctā maxime omnium debeo. Quare ſic uelim exiſtimes; è noſtro te collegio me uno amantiorem, ſtudioſiorē, obſeruantiorem tui, habiturum porro neminem.* Id *ut re poßis cognoſcere; cum ſe occaſio dederit, libentißime diligentißimeq́; procurabo.* Euangeliſtā *tuum ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum.* Vale. Idib. Aprilibus. MDXXXIX. Venetijs.

VENETIAS.

Petrus Bembus Bartholomeo Riccio S. P. D.

GRATVS *mihi tuarum litterarum ſermo elegās et doctrinæ plenus fuit: Quibus litteris gratularis me a* Paulo Tertio Pont. *max. in* Cardinaliū *collegium,*

collegium, quos pontifices appellas, fuiſſe cooptatū. Tametſi tu quidē parcior multo continentiorq; debueras in me laudando eſſe. Sed tuæ te eloquentiæ flumen altum profecto atq; latum, ut à ripa ſoluiſti, liberius rapidiusq; uexit; quàm oportebat. Qua de re maiores tibi gratias & nunc ago; & referam, cū potero. Vale. Nono kalen. Iunias. MDXXXIX. Patauio.

FERRARIAM.

Petrus Bembus Georgio Giraldo S. P. D.

ACCEPI gratulationem tuam humanitatis & beneuolentiæ pleniſſimam. Nihil eſt enim a te pretermiſſum earum rerum; quarum commemoratione probari Pauli Pont. Max. de me iudicium & cooptatio potuerit teſtimonio tuo. Quo quidē nihil mihi gratius potuit accidere. Sed uereor; ne te eum ſermonem ingreſſum longius, quàm par erat, prouexerit uoluntas ipſa in me ornando tua. Quod ſi eſt; eo tibi etiam largius debeo; quo tu plura in nos, quā quæ agnoſci poſſent, uirtutum ornamenta contuliſti. Omnino tota de re tuisq; his tam beneuolis litteris ualde mediusfidius te amo: doctrinamq; tuam facio ſane plurimi. Quòd ſi ſe mihi occaſio aliqua dederit, ut tibi uſui ſim: te magnopere & amari à me & probari ſenties. Vale. Nono kalen. Iunias. MDXXXIX. Patauio.

P. B. *Domino de Frangipanibus*, *Epiſcopo Agrienſi*
S. P. D.

Accepi *tuas litteras* XIIII *kalen. Maij datas* Budæ: *quibus mihi de mea dignitate gratularis*. Equidem, *ut tibi, cum eſſes* Venetijs, *memini me dicere; inſtitutam à* Paulo Pontifice Max. *cogitationem de me in* Cardinalium *collegium cooptando, ſermonemq́; hominum, qui de ea re percrebuerat, ad nihilum putaui recaſuros nulla cum mea certe moleſtia: à quo libertas ipſa uiuendi, uti conſueueram, atq; in meis ſtudijs quieſcendi uoluptas omnibus honorum & dignitatum inſignib. præferebantur.* Nunc *uerò; cum* DEO Opt. Max. *aliter uideã placuiſſe; primum quidem tibi de tua iſta gratulatione plurimum debeo*. Eſt *enim mihi plane gratiſſimum amari me abs te homine optimo atque in* DEI *eccleſia magno ac præclaro uiro*. Cuius *tamen tui erga me amoris & beneuolentiæ certa ſigna atq; indicia non ſemel habui: quæ meo ex animo nunquàm effluent*. Dabo *deinde operam; cum ut expectationi hominũ, ſi qua eſt de me,* DEI *munere benignitateq́; parẽ me; uti & debeo, & tu me amantiſſime admones; præſtem: tum, ut, ſi tibi eſſe uſui hæc mea honoris amplificatio poterit; nulla in re ſim ea libentius;* Quàm *in te ornando tibiq́; gratificando uſurus.* Volo *enim te exiſtimare, omnia tibi à me fraternæ charitatis officia & ſtudia eſſe profectura*. Non *fallam*

exiſtimationem tuam. Ego; *quod te uelle cognoui; in eo admoneri me à te non expectabo. Siqua præterea erunt eiuſmodi, ut mihi nota non poßint eſſe: peto abs te, ut des ad me de ijs litteras; mandesq́;, quid fieri uelis*. Vale. Decimo *kalen*.Iunias. MDXXXIX. Patauio.

P. B. Paulo Archiepiſcopo Strigoniæ S. P. D.

CVM *hoc tempore cuperem, ut rex* Romanorum Ferdinandus Auraniæ Prioratus *locorum, quæ in regno eius* Pannonico *ſunt, poſſeßionem pleno iure mihi debitam tradi meis procuratoribus imperaret: intelligeremq́; te propter tuam eximiam dignitatem tuasq́; plurimas præſtantißimasq́; uirtutes apud* Regem *gratia & auctoritate maxime omnium pollere: has ad te litteras dare uolui: quibus abs te peterem; ut cauſam meam pro tua humanitate tuaq́; iuſtitia regendam & tuendam ſuſciperes*. Equidem *utrunq́; uideo; & me nouum tibi hominem eſſe; qui à te id peto: & rem non minimi ponderis uiſum iri tibi hanc, de qua te rogo*. Veruntamen *& alterum quidem, cum magnis grauißimisq́; rebus nõ ſolum intereſſe, ſed etiam præeſſe quotidie ſoleas, uſu tibi familiare factum exiſtimo; ut ad te non cogniti antea tibi homines ſeſe conferant tuam opem atq́; auxilium poſtulatum: & in altero plane confido te æquitate meæ cauſæ cognita pro tua bonitate nihil recuſaturum; plurisq́; apud te iuſtitiæ partes, quàm*

reliqua omnia futuras puto. Meæ ſtatũ cauſæ Marinus Iuſtinianus reip. Venetæ Legatus tibi notam atq; claram faciet. Rogo obſecroq́; te; ut tuo fauore tuaq́; opera mibi ne deſis: ut res ad eum, quem cupimus, exitum pro iuſtitia perducatur. Id ſi fiet; quid tibi ego polliceri contra poßim uiro maximo atq; ampliβimo non ſane intelligo. Vnum hoc & polliceri & profiteri et præ me ferre non dubitabo; memorem me eius tui officij uel potius beneficij omni tempore futurum. Si uerò etiam occaſio aliqua ſe dederit, ut tibi uſui & dignitati poßim eſſe: efficiã profecto, ut te grato homini nauaſſe operam exiſtimes. Vale. x kalen. Iunias. MDXXXIX. Patauio.

P. B. M. Hieronymo Vidæ, Albæ Epiſcopo S. P. D.

AMABILISSIMAS *tuas accepi litteras kalen. Iulij datas: quibus mihi de mea dignitate gratularis. Quas quidẽ litteras non libenter modo legi: ſed etiã cupidißime auidißimeq́; perlegi, ipſo titulo pellectus: quod mihi à Vida; hoc eſt ab homine omniũ noſtri ſæculi clariß.° mittebãtur. Gaudeo recentẽ Pauli Pont. Max. cooptationem; qua me in Cardinalium collegium aſciuit; tibi gratam & iocundam accidiſſe. Nihil enim malo; quàm à te tuiq́; ſimilibus, ſiqui ſunt, diligi. Sed omnino ſiue ſunt, ſiue non ſunt; à te certe omnium maxime & amari & probari cupio.*

pio. Quod autem eam dignitatem meæ uel doctrinæ, uel uirtuti fuiſſe traditam exiſtimas; easq́; ornas miris laudibus: non dubito; quin plus in eo duci te à beneuolentia, quàm à iudicio permiſeris. Verũtamen, utcunq; ſe res habet; debeo tibi, ſi minus de altero; de amore quidem certe erga me tuo ſane plurimum. In eo profecto non falleris; quod me meo otio meoq́; uitæ genere contentum nihil de his honorũ ſplendoribus putas cogitauiſſe; neq; eos appetijſſe. Nam; ut uere tecum loquar; ſæpius fit, ut peccaſſe me exiſtimem; qui priſtinam uiuendi rationem proiecerim: quàm gaudeam propterea; quod maxima clariſſimaq́; dignitate auctum me atque honeſtatum ſentiam. Quod uero me hortaris; ut à ſtudijs noſtris mitioribus ad Chriſtianam rem tractandam et iuuãdam me conuertam: uelim ſic exiſtimes; me id unũ dies noctesq; meditari. Quid enim aliud agam his inſignibus & nominibus ſuſceptis? Sed neque dum Romæ ſum; ut poſſim boni aliquid in medium afferre: & quanta nobis mala impendeant, uides. Vt uerendum ſit; ne, qui reip. præſunt, ſedare uniuerſi tẽpeſtatem tantam non poſſint: nedum mea unius induſtria hoc tempore ſit magnopere profutura. Sed profecto reip. fluctuanti non deero: & ei operam, quam potero, nauabo. Reliquum eſt, ut me, ut facis, diligas. Quòd ſi etiam litteras ad me, cum otioſus eris, dederis: ut quid agas; quibus in ſtudijs te oblectes; quid omnino ſcribas; ſcire poſſim: erit mihi gratum. Vale. Nonis Auguſti. MDXXXIX. Patauio.

CRACOVIAM.

P. B. *Sigiſmondo Regi Poloniæ* S. P. D.

LEGI *tuas ad Ioannem Vincentium Dulcem litteras: quibus ab illo petis, ut me abs te ſaluere iubeat; mihiq́; de mea dignitate gratuletur.* Addis etiã, *ut te in meam beneuolentiam inſinuet.* Ego *uero mi* Rex, *quanquam quidem multos iam annos & amaui coluiq́; te; quod intelligebam maximis te uirtutibus præditum pulcherrime iuſtißimeq́; regnare: & tu noſtrorum hominum animos ex illo tempore tibi conciliaſti, cum uirginem* Italam *Mediolani* Ducis *filiam* Neapolitani *regis* Neptem *in matrimoniũ duxiſti:* Tamen *his litteris lectis; quæ mihi facile quãta humanitate atq́; amabilitate reliquas tuas uirtutes* Maieſtatemq́; *iſtam regiam condias, oſtenderunt: non poſſum dicere, quàm mirifica quàmq́; ardens ad priſtinum meum erga te amorem acceßio ſit facta.* Quare *peto abs te; ut quoniam utriq́; ſenes ſumus; putes me tuo in ære non modo eſſe nunc; uerum etiã diutißime fuiſſe: quòdque multo antea feciſſe me oportuit, ut tibi ſtudium & beneuolentiam dicarem meam; ijs ipſis, tanquàm antiquitus conſtitutis & ueteribus, deinceps & ſæpius & familiarius utare.* Si *modo erit aliquid; in quo animus hic meus tibi uſui & uoluptati eſſe poßit.* Multa *quidem mihi iocunda & grata ab ipſo* Vincentio *ſæpe acciderunt.* Eſt *enim & bonus & doctus ſane uir, & prudens.*

Verum nihil gratius hoc uno, quod illum uideo huiuſce meæ in te ardentioris obſeruantiæ, tuæq; erga me propenſæ beneuolæq; uoluntatis auctorem extitiſſe. Itaq; ſi tu illum deinceps hoc nomine aliquanto plus amaueris; erit mihi gratum. Ego propterea ualde eum plus in poſterum amabo, pluriſq; faciã. Vale. Quinto kalen. Octobris. M D X X X I X. *Patauio.*

CRACOVIAM.

Petrus Bembus, Petro Kmythæ Principi Pannonio S. P. D.

DEBEO *tibi quidem plurimum: quòd ad me non cognitum tibi hominem perhumaniter ſcriptas litteras dederis: quibus mihi de mea in Cardinalium collegium cooptatione gratularis honorificentiſsimis amantiſsimiſq; uerbis. Tametſi ea, quæ tu de me prædicas, non agnoſco; niſi quatenus amorem erga me tuum præ ſe ferunt. Qui ſane amor eo mihi & charior eſt & iocundior; quo tu in maximis fortunis ampliſsimaq; dignitate conſtitutus prior ad me amandum acceſsiſti. Quamobrem ſic exiſtimes uelim; nihil me hoc tempore libentius legiſſe tuis litteris: perq; gratum mihi feciſſe Ioannem Vincentiũ Dulcẽ: quem ego uirum propter eius plurimas uirtutes magnopere amo: cum mihi tuas litteras reddidit. Puto enim illum; ut eſt magnus amicitiarum concinnator; auctorem tibi fuiſſe ad me ſcribendi.*

Quod ſi occcaſio ſeſe aliqua aliquando dederit, ut tibi uſui poßim eſſe: Quanquàm porro in tam longinqua regione poſitus pro te tãto tamq́; illuſtri homine quid omnino ſperem poſſe me, non uideo: Tamen ſi acciderit, ut mea opera uti uelis; efficiã profecto, ut amori erga me tuo ſatis eſſe factum exiſtimes. Vale Quinto kalen. Octobris MDXXXIX. *Patauio.*

P. B. *Marcello Ceruino Cardinali* S. P. D.

ET *ſi pro tuis erga me promeritis putem te etiã ſine mearum litterarum teſtificatione exiſtimaturũ magnam me lætitiam de tua dignitate cepiſſe: Statui tamen eſſe mihi faciendum, ut tibi per litteras gratularer. Caue enim putes ullum mihi diem, poſtea quàm Romæ ſum; illo die, quo te Paulus Pont. Max. Cardinalem creauit, gratiorem aut iocundiorem illuxiſſe. Valde enim confido fore; ut ſingularis tua & eximia probitas, ingenij præſtantia, uitæ conſtantia, iudicium, plurimæ tuæ maximæq́; uirtutes magnam ſint auctoritatem Chriſtianæ reip. & huic ſanctæ ſedi allaturæ; magno illis uſui & ornamento futuræ. Quare non tibi uni de eo tantum gratulor: ſed & ijs publicis, quas commemoraui, rebus, & noſtro in primis ordini, quem tua præſentia honeſtabis; ac ipſi mihi: qui de tua tam illuſtri honoris & dignitatis acceßione triumpho & gaudeo. Reliquum eſt; ut me, ut ſoles, ames: Alexandrumq́;*

Farneſium

Farneſium Cardinalem et Legatum patronũ & propugnatorẽ meum ſaluere plurimum iubeas meis uerbis: curesq́; ut uterq; ueſtrum è peregrinatione iſta tam longinqua bene procuratis rebus ſaluus ſoſpesq́; ad nos atque ad urbem reuertatur. Vale. Nono kalen. Ianuarias. MDXXXIX. Romæ.

Petrus Bembus, Damiano Luſitano S. P. D.

DELECTATVS magnopere ſum litteris tuis: quæ me tui cupidiſſimũ de omni ſtatu tuo erudierunt. Itaq; gratulor te uxorem duxiſſe, atq; ita conſulere poſteritati uoluiſſe. Quam tibi rẽ DEVM Opt. Max. fortunare uolo. De me quod ſcire optas, nihil poſſum dicere, præter hoc unum, me in Cardinalium collegium à Paulo tertio Pon. Max. nõ modò non petentem, ſed ne cogitantem quidem ea de re quicquàm, fuiſſe cooptatum. Nunc me comparo, ut ad illum proficiſcar, id enim me quàm primum facere uult. Te amantiſſimum mei eſſe, ut ſcribis, ualde gaudeo. Idem de me tu ut cogites, exploratumq́; habeas, à te peto. Reſendij litteræ ſi uenerint, erunt mihi gratæ. Vale. Nonis Aprilibus MDXXXIX. Venetijs.

Petrus Bembus, Damiano Luſitano S. P. D.

HISTORIOLAM de bello apud Dium Indiæ oppidum à Thracibus geſto tuam; quam ad me

amamtiſſime

amantiſsime ſcriptam miſiſti; legi ſumma cum uoluptate. Nam et Luſitanorum uirtutum, qua magnopere delectatus ſum; & Thracum perfidiam, quam quidem omnibus hominibus eſſe notam atq; perſpectam operæpretiũ eſt; ac uarios rerũ & impreſsionum euentus continet cum illuſtri noſtræ neceſsitudinis tuæq; in me ſingularis beneuolentiæ oſtenſione: qua nihil mihi potuit eſſe iocundius. Itaq; de eo ualde me hercule te amo. Tibi uerò; quod re familiari conſtituta te ad ſcribendum contuleris ea præſertim bella & actiones, quæ Regis tui tuorumq; ciuium gloriam ſint propagaturæ, multum ſane gratulor. Te enim ipſum una cum illis illuſtrabis, capiesq; ſtudiorum tuorum eum fructum, qui eſſe maximus poteſt, hominum laudem beneuolentiamq; omnium, qui Latinis ſe litteris dediderunt. Quibus omnino quid eſſe delectabilius poteſt; quàm earum rerum, quas in tam longinquis regionibus & populis noſtri homines fortiter geſſerint, conſcriptarum ſuauis et iocunda lectio? Quare & gratum plurimis feceris, et tibi certe perhonorificum: ſi reliqua etiam; quæ uel geſta per Luſitanos illis in locis iam ſunt, quæ ſcio eſſe plurima atq; maxima, uel poſthac gerentur; ſumes ſcribenda: quemadmodum te facturum polliceris. Nannio tuo debeo ſane plurimum; qui plus mihi ſuis in elegis tribuit, quàm qui non amoris abũdantia ducatur, poſsit agnoſcere. Itaq; erit mihi & ſua doctrina & tua cõmẽdatione plane chariſsimus. Quod ſcribis; ut ei uacationem horas, ut appellant,

ſacras

ſacras ſingulis diebus recitandi propter ualetudinis imbecillitatem & ſtudioſorum, quos ille bonas artes docet, utilitatem, impetrem: ſcire te uolo, nemini homini id eis de cauſis ſolere tribui. Quod ab uxore tua me ſaluere iubes; eſt mihi ſane iocundum: quàm eſſe iam prægnantem, ut ſcribis, lætor. Et dices; ut ſe tibi ſoſpitem ſeruet; & filiolum patri ſimilem edat, cum pariendi tempus uenerit. Vale. Pridie kalen. Ianuarias. MDXXXIX. Romæ.

P. B. Alphonſo Cardinali Luſitaniæ S. P. D.

GRATVLATIO tua de mea dignitate, tuæq; ad me ea de re humaniſsime amātiſsimeq; ſcriptæ litteræ magnam mihi uoluptatem attulerunt. Nam cum nihil fere minus cogitarem, aut omnino crederem; quàm notum tibi eſſe nomen ipſum meum; qui me in Italia quadraginta ipſos annos continuerim: tu uerò, quem quidem id ætatis nondum eſſe intelligo; tam longinquus ab ea omni tempore fueris: luculentum mihi atq; illuſtre teſtimonium dediſti, non modo ſciri abs te qui ſim; ſed etiam amari me, tuaq; in beneuolentia non poſtremum locum obtinere. Caue enim putes ullas me litteras tuis his litteris aut grauiores aut ſignificantiores hoc in genere accepiſſe. Quare ſcito me tui amantiſsimum tuiq; cupidiſsimum earū lectione eſſe factum. Quis eſt enim qui tanto ac tam præclaro uiro, maximi regis fratri, multa doctrina, omnibus uirtutibus perornato; amanti

amanti præſertim, & eius beneuolentiam cupide requirenti, non ſe totum ſtatim tradat dedicetq; animo libentiſſimo? Atq; utinam eæ meæ facultates eſſent, ea induſtria; non ut ipſe me, quemadmodũ quidem ſcribis, exiſtimare potueris uſui atq; ornamento noſtro ordini multis nominibus futurum: ſed ut tibi uni uel uſui uel uoluptati poßim eſſe. Verùm tu de eo iudicabis: ſi mea opera, ſtudio, diligentia, tuis in rebus, quas hic curari uoles, tibi eſſe utendum ſtatueris. Quod ut facias, mihiq; tantum tribuas; etiam atque etiam abs te peto. Amorem quidem erga te meum & propenſam in te colendo uoluntatẽ ſpero me tuæ bonitati, ſi minus amplitudini, probaturum. Quód ſi etiam rogari te à me permittis ea in re, quæ tota tui conſilij eſt tuæq; prudentiæ: oro quæſóq; ; ut de tuo ad urbem aduentu atq; ad Pontificem Max. Cardinaliumq; collegium; quorum in ordine uiginti iam annos abſens fuiſti, quiq; me hercule uniuerſi uidere te atque amplecti magnopere cupimus; aliquando tandem cogites. Vale mi Alphonſe optime atq; ampliſsime. Nonis April. M D X L. Romæ.

P. B. Baſilio Zanco Monacho S. P. D.

LIBRI tui de Sophiæ horto heroicis uerſibus duo; quos ad me amantiſsime ſcriptos miſiſti; ualde me delectarunt. Vniuerſam enim fere noſtrorũ hominum theologiam breuibus ſententijs complexi ornate

nate grauiterq́; (quod erat unum omnium difficil-limũ) ijs de rebus loquuntur; quæ profectò ſoluta oratio poſſe capere ita; ut legentes delectaret, & ſe in dignitate contineret; uix ægreq́; mihi quidem uidebatur. Itaq; *tuorum carminum præſtantiam, feci, uti debui, plurimi.* Amoris *præterea erga me tui locupletiſsimi teſtes ſunt, ueteriſq́; noſtræ beneuolentiæ: ut nihil mihi abs te gratius, nihil omnino iocundius potuerit proficiſci.* Quare *nõ ſolum plurimas tibi de eo gratias habeo: ſed etiam gratulor; quod ad poëtices ſtudia, quæ quidem monachorum uitam multis ab hinc ingreſſus annis poſtea nunquã attigiſti, atq; ad* Muſas *delicatiores illas tuas, tanquàm poſtliminio rediẽs, læto ab illis uultu ſuſceptus fueris; nihilq́; tibi, tam diu ſpretas ſe abs te fuiſſe, ſuccenſuerint.* Itaq; *erit humanitatis tuæ; ſi te interdum poſthac ad ſuos, ut erant ſolitæ, numeros inuitabũt; præſto illis eſſe: quando præſertim magno me hercule cũ fœnore tuiq́; nominis gloria tuam illis operam nauare te intelligis.* Vale. Quarto Id. No*uembres* MDXL. de Vaticano.

P. B. Georgio Cœlio *Luſitano* S. P. D.

LITTERAE *tuæ perhumaniter ſcriptæ; quibus te amantem mei eſſe me certiorem facis: eò gratiores mihi fuerunt, quo minus mihi antea notus fuiſti; ut eodem tẽpore & nomen audirem tuum, & mihi te beneuolum atq; amicum ſcirem eſſe.* Quàm

quidem

quidem meam uoluptatem ea tua ſcripta, quæ mihi unà cum epiſtola miſiſti, non unius ſcilicet generis carmina, & Luciani de Dea Syria hiſtoriola abs te latina facta, magnopere auxerunt. Cognoui enim ex ijs te & illuſtrem poëtam, & oratorē magnum eſſe: quibus de rebus tibi ex animo gratulor. Claræ enim artes ſunt, ſummisq; dignæ laudibus; quibus in utrisque doctorum hominum animi libentiſsime conquieſcunt; & laborum ſuorum in illis addiſcendis ſuſceptorum maximum eum fructum capiūt; ſe confidere in futurorum hominum et ſæculorum memoriam ſua nomina, ſua ſtudia, ſuasq; uirtutes peruenturas. Reliquum eſt, ut tu quoq; me tui cupidum eſſe tibi perſuadeas, & ſi tibi eſſe uſui poterit mea eiuſmodi ergà te uoluntas, ea tuis in rebus utare: promptam tibi et paratam eſſe ſenties. Vale. Quinto Id. Aprilis. M D X L I. Romæ.

Petrus Bembus, Gregorio Corteſio Cardinali S. P. D.

Heri te in noſtrum Cardinalium collegium a Paulo Tertio Pont. Max. incredibili totius ordinis conſenſu cooptatum fuiſſe ualde lætor. Quod quidē tametſi ſerius factum eſt, quàm oportuit, quàmq; ipſe credideram futurum: nam cum anno ſuperiore apud illum hac ipſa in cauſa plurimum de te ſermonem habuiſſem; ſic ab eo diſceßi; ut confiderem cum ijs, qui paucos poſt dies eundem honorem aßequuti ſunt,

ſunt, te renunciatum iri: tamen cum ſit is uniuerſi Chriſtiani orbis concilium hyeme proxima concelebraturus: à Deo Opt. Max. *te in hoc tempus reſeruatum fuiſſe mihi quidem perſuadeo: ut tibi ad hoc muneris accerſito ſtatim quaſi cãpus latiſſimus pateat; in quo ſe uirtus laudabiliter oſtendere et exercere poſſit tua.* Quare *de eo non tibi ſoli gratulor; cuius nomen doctrina tua excellens, religio, pietas, incomparabilis prudentia tam clarũ iam apud omnes gentes reddiderunt; ut poſtrema hæc dignitas non tam priorem tuam dignitatem auxiſſe, quàm ad illã acceſſiſſe uideatur: ſed & collegio ipſi noſtro; quod me hercule te addito ualde erit poſthac ornatius; et toti planè reip. quã quidẽ es ab ijs hominibus; qui eã hoſtiliter inuadũt, tuo illo propè diuino ingenio, & ſapientia, & reliquarum uirtutum plurimarum tanquàm acie ac robore peropportune defenſurus; eiq; magnæ tum gloriæ, tum utilitati futurus. Me quidem habebis eundem in poſterum; quem multos ab hinc annos habuiſti; amantiſſimum & cupidiſſimum tui; & præterea, quoniam in eodem collegio erimus; & in cõſilijs capiendis, & in ſententijs dicendis, & in omni uita tecum in primis coniunctiſſimum.* Vale. Tertio Nonas Iunias. MDXLII. Romæ.

Patauium.

PATAVIVM.

Petrus Bembus, Torquato Bembo filio S. P. D.

EQVVM *quem tibi pollicitus fueram me miſſurum*, Ioanni Caroli *noſtri familiari ad te* Patauiũ *perducendum dedi*. Eo *te perbelle uſurũ puto*. Dedi *etiam horologiolum in* Gallia *tranſalpina confectũ, & quidem eiuſmodi; ut uel noctu, & ſine luminibus, quota hora ſit, poßis ab eo ſummi tactu digiti fieri certior*, Moneo *autẽ; ne eo uti incipias; niſi ab eius artis magiſtris, quo id pacto recte fiat, prius edoceare*. Parua *enim culpa omnis illa motuum & rotarum temperatio perturbatur*. Hócque *me unum diſces: neruus ut is; cuius unius ui reliqua omnia cõuoluuntur, ſuamq; uicem faciunt; bis à te in die intendatur; ante prandium ſemel, ante quàm dormitũ eas, iterũ*. Quod *te hac hyeme intelligo nauaſſe operã bonis artibus ſatis diligenter; ualde gaudeo: atq; ut in eo conſtes, te hortor*. Colæ, Federico, Bonfadio *doctoribus tuis multam ſalutem*. In *poſtremis tuis litteris dies adſcripta non erat*. Vale. *pridie kalen*. Februarias. MDXLII. Roma.

Petrus Bembus, Torquato Bembo filio S. P. B.

TE *fructum plurimum cepiſſe ex* Pierij *optimi & doctißimi uiri, & mei amantis, & quem ego unice diligo, paucorum dierum, quos iſtic confecit, conſuetudine;*

conſuetudine; plane gaudeo. Cognoui enim ex ijs litteris, quas ad me octauo Idus Iulias dediſti, te aliquanto eruditiorem in ſcribendo & diligentiorem eius præceptis factum. Itaque iudicium de illo tuũ; quem ſummis laudibus ad cœlum fers, & cui te totum tradidiſti; mihi quidem probatur. Quamobrẽ elabora, enitere, perfice: ut ei cum in ſcriptorum elegantia, tum in morum ſuauitate quàm ſimillimus euadas. Nihil neque tibi aptius in omnem uitam; neq; mihi ad ſenectutem meam reliquam gratius fieri abs te poterit. Vale. Ioanni Antonio multam ſalutem. Septimo kalen. Auguſti. MDXLIIII. Romæ.

Petrus Bembus, Laurentio Maſſulo Monacho S. P. P.

LIBER de laudibus hiſtoriæ tuus, quem mihi Flaminius Tomarotius iſthinc rediens tuo nomine legendum attulit, ſumma me uoluptate affecit. Nam, & grauitate ſententiarum, & dicendi copia ità undiq; refertus eſt, ut non modò me, qui huiuſmodi ſtudijs ſemper delectatus ſum, uerùm etiam quemlibet ab omni prorſus humanitate alienũ, eius lectio maxime allicere poßit. Itaq; hortatu meo quidem, illum imprimendum curabis: uel ut publice ſtudioſorum conſulas utilitati, cum de modo rationeq; conſcribendæ hiſtoriæ, nihil apud Latinos extet, quod lectu dignum ſit; uel ut eam laborum tuorum

mercedem conſequare, quam nulla ſit unquàm ætas delatura. Vale. Idibus Iun. MDXLIIII. Romæ.

Petrus Bembus, Torquato Bembo filio S. P. D.

HOROLOGIO è mea bibliotecha tibi allato; à quo expergefieri, qua hora uoles, poßis; te libenter uti, non moleſte fero. Modò te id nõ intemperate a ſomno auocet. Valetudinis enim tuæ curam te habere in primis uolo. De tuorum ſtudiorum ratione, nihil tibi mando nunc quidem; niſi unum. Fac; ut in tuis, quas ad me das litteris, Ciceronem accuratius exprimas; moremq́; illius ſcribendi, uerba, numeros, grauitatem, lenitatem diligentius imitere. Hoc ſi feceris; omnia te aſſequutum putabo. Præceptori tuo multam ſalutem; Tufeto etiam. Vale. Sextodecimo kalen. Februar. MDXLIIII. Romæ.

P. B. Canonicis & Societati Eccleſiæ Bergom. S. P. D.

VESTRAE mihi litteræ gratißimæ fuerunt: tametſi ſerò redditæ. Sed nulla quidem ſera eſſe amabilis uoluntas poteſt. Itaque in eo, de quo mihi gratulamini, agnoui beneuolentiam erga me ueſtram: officium autem & ſtudium ualde amo: tum illud; quòd de meo erga uos ueſtrámque ciuitatem animo optime

mo optime ſentire uos & cogitare uideo, repetita uſque à Bembo patre meo prætura Bergomenſi; qua in prætura cum illo biennium adoleſcens cum fuiſſem; apud illũ ſic a ueſtra urbe diſceßi; ut eius recordatio omni quidem tẽpore in memoria & ſenſibus grata & iocunda inſederit meis. De meo ad uos aduẽtu, quẽ optare magnopere oſtenditis; quid dicam non habeo: conſtituere enim de eo nihil poſſum, homo neque mei iuris, neq; propter ſenectutem ſatis firmus, Sed dabo operam, ut officium meũ uobis præſtem etiam abſens haud minus diligenter atque amanter, quàm ſi adeſſem. Quod uos uſu ipſo cognituros breui confido. Valete. Tertio Non. Maias. MDXLIIII. Romæ.

Petrus Bembus, Antianis Bergomi S. P. D.

QVAS *ad me litteras dediſtis; eæ mihi & egregiam erga me beneuolentiam ueſtram ſingulis prope in uerbis, & iocundam ciuitatis ueſtræ in Bẽbum patrem meum uigere memoriam oſtenderunt. Quibus duabus rebus à uobis nihil mihi potuit afferri gratius. Auxit uoluptatẽ meã ciuis ueſter eques Taſſus bonus & prudens uir: qui mecum de ueſtræ urbis Epiſcopatu à Paulo Tertio Pont. Max. mihi delato, & amanter gratulatus eſt ueſtro nomine; et omnia ueſtra in me ſtudia officiaq; pollicitus, optatißimum uobis fore ſignificauit; ſi me ad Epiſcopatum meum contulero. Quod quidem faciam, ſi potero, non*

ro, non libenter modo; ſed etiam plurima cũ uoluptate: qui uos inuiſere,& urbem iſtam præclaram; in qua bienniũ adoleſcens amabiliter uixi; reuiſere ualde me hercule cupio. Sed eſt eius itineris occaſio aliqua expectanda: quæ tamen, ut nunc res ſe habent, non ualde proxima uidetur eſſe. DEVS autẽ Opt. Max. cõſilia et actiones noſtras reget. Valete: Non. Maij. MDXLIIII. Romæ.

P. B. Georgio Sabino Germano S. P. D.

ELEGOS tuos, quos poſtremo ad me miſiſti, libentiſsime legi, uel potius cupidiſsime. Redolent enim; ut non ſemel tibi me dicere memini, Ouidianum morẽ & lenitatem illam ſcribendi. Itaq; debeo tibi; quod ea me uoluptate affeceris; addiderisq; ad eos elegos alia etiam tua carmina; quæ me apprime delectarunt. In quibus illud te præclare aſſequutum eſſe uideo: quod difficillimis ſcribendis rebus non lumen modo; ſed etiam facilitatem & amabilitatem plurimam contuliſti. Quas ob res ſi te Germani tui non maximi faciunt, non in cœlum ferunt laudibus, non in te honeſtando certatim ſtudia ſua conferunt; indigni ſunt qui te habeant, à quo laudentur, & quorum benefacta labore & ingenio æternitati commẽdes tuo. Mea carmina quod requiris; facis ex tui erga me amoris abundantia. Ego autem ab eiuſmodi ſcriptis nunc quidem abſum plane longiſsime. Sed iuſsi; ut aliqua tranſcriberentur, tibiq; mitterentur: ne à

ne à me quicquàm fruſtra petijſſe uideare. Vale; *&* *te à me amari magnopere exiſtima.* Sexto Cal. Maias. MDXLIIII. Roma.

P. B. *Adamo Carolo,* Regis *Ferdinandi à Secretis* S. P. D.

SCRIBO Regi *tuo optimo principi de re* Auguſtini Beatiani *probi uiri & docti me hercule hominis:cuius ſacerdotij ex ijs, quæ ſunt in ſocietate* Hieroſolymitanorum; *quorum ego protectorem, ut appellant, gero; in* Aquileiæ *finibus prædia & fortunas omneis* Regij *miniſtri contra fas, contra bonos mores, contraq́; omnia omnibus hominibus probata & ſancta ſociorum inſtituta auare turpiterq́; diripientes ſub corona uendiderunt.* Quamobrem *pro tuo in me amore, próque mea in te ac uirtutes tuas plurimas ſingulari propenſione abs te peto & quæſo; ut hominem egregium & indignum,in quem tam inſolita exerceantur, auctoritate tua iuues; incolumemq́; uelis eſſe.* Ne *ſocietas egregia & perantiqua,deq́; nomine* Chriſtiano *optime merita iniuſte lædatur.* Omnem *rei ſeriem ab alijs intelliges:* Hoc *de me.* Si *feceris ea in cauſa id; quod te facere cum pietatem atque officium, tum rectam ac beneficam naturam tuam decet maxime: mihi gratiſſimum iocundiſſimumq́; feceris: nihilq́; erit quod tibi non ex eo libentiſſime debeam.* Vale. XV Cal. Septemb. MDXLIIII. Roma.

Petrus Bembus, Danieli Barbaro Philoſopho S. P. D.

LIBRVM de uniuerſa naturali philoſophia ab Hermolao Barbaro patruo magno tuo breuiſsimis propoſitionibus confectum; quē tuæ ad me miſſæ proximis diebus litteræ eleganter me hercule & prudēter ſcriptæ ſecum habuerunt; legi magna cum uoluptate. Nam & res ipſæ, quibus in rebus omnes naturæ partes continentur, paruo ſcriptionis incluſæ ſpatio eo mihi plus delectationis attulerunt; quo minus in perlegendo moræ hominem planè occupatum me inſumere oportuit, concinnæ præſertim & multa cum dignitate conſcriptæ: & patrui tui doctiſsimi præſtātiſsimiq; omnibus in diſciplinis uiri ſanctiſsimiq; hominis recordatio animo meo iocundiſsima ſanè fuit. Qui enim illum è noſtris ciuibus aut plus amauerit, quàm Bembus pater meus; aut plus coluerit, & ei ſuis ſcriptis plus tribuerit, quàm ego, haud facile reperies. Tui etiam erga me amoris atteſtatione meæq; in te beneuolentiæ commemoratione abs te perhumaniter adducta, ſum magnopere oblectatus. Nam quoniam te adhuc quidem planè puero; ut primum ingenij tui uim & ardentem in bonarum artium ſtudijs uoluntatem & propenſionem cognoui; magnam in ſpem ueni, clarum te in uirum, ſi tibi uita ſuppeteret, euaſurum (quam certe meam ſpem & expectationem non modò ſuſtines probe

nes probe tu nunc quidem atque imples, ſed etiam multis partibus exuperas) non poſſum dicere, quã-to me gaudio ijs tuis litteris affeciſti. Video enim et me tanto ante uerißimum de te iudicium feciſſe; & te iam, quò uterque noſtrum maxime cupiebamus, recto curſu perueniſſe. Cum uero meæ fidei eum ipſum tradis & commendas librum; nihil omnino eſt, quod tibi iam nõ debeam: qui me ornas optimo ſuauißimoq; munere. Tametſi unum ipſum Hermolai nomen ſatis illi quidem ad omnium hominum beneuolentiam promerendam auctoritatemq; adipiſcendam futurum puto. Cuius te nominis gloriam ſcriptis monumentisq; tuis æquare uoluiſſe, et quod uolueris perfeciſſe, noſtri homines ſi exiſtimabunt: et ipſe uberem tuorum laborum & uigiliarum fructum capies, & tua familia in pulcherrimæ laudis titulo, tanquàm in poſſeßione à maioribus tuis parta atque ipſorum poſteris relicta, præclare confirmabitur. Vale. Pridie Nonas Februarias. MDXLV. Romæ.

Petrus Bembus, Scipioni Capicio S. P. D.

POEMA de principijs rerum tuum heroicis carminibus conſcriptum, in tres diuiſum libros; legi ſanè libentißime, eſt enim eiuſmodi; ut magnopere cum Lucretij ſtilum & eloquentiam, tum antiquorum hominum ætatem cultam et perpolitam redoleat. Itaq; & tibi gratias habeo; qui me iocun-

diſsima tuorum librorum lectione oblectaueris: & Taſſum noſtrum ea de re pluſculum etiam, quàm ſoleo, amo: Soleo autem, & debeo certe plurimum: quòd eum puto tibi auctorem fuiſſe, ut mihi illos mitteres. Ab ipſo enim accepi. Quamobrem ſi eos apud te libros ſatis iam diu tenuiſti, præceptoq; Horatiano ſatisfeciſti: edas illos cenſeo, ſinasq; per manus perq; ora gentium peruagari. Magna enim tua cum laude nomen ipſum proferent, & æternitati conſecrabunt tuum. Quod rogas, ut te in clientelam meam recipiam: Ego uero tui ſimiles, ſi qui ſunt; in fratrum chariſsimorum loco habeo, neque hercle minus illis cupio; quàm ipſi mihi. Reliqua de Taſſo, cum ad te redierit, intelliges. Vale. Quarto Non. Iul. MDXLV Romæ.

Petrus Bembus, Ranutio Farneſio Cardinali S. P. D.

PAVLVM Pont. Max. auum tuum heri te in noſtrum Cardinalium collegium cooptauiſſe tibi uerè & ex animo gratulor: eoq; magis: quòd nō modo libentiſsimis omnibus, ſed etiam propè certantibus te ut plurimis quilibet morum optimorum egregiæq; in litteris eruditionis & uirtutum cæterarum laudibus cumularet, es tu quidem maximo eam dignitatem honorificentiſsimoq; totius collegij conſenſu conſequutus. Quæ quidem certe actio quanta me

lætitia

lætitia perfuderit; pro meo in te amore tibi planè, ut arbitror, cognito malo te æſtimare, quàm me ſcribere. Tametſi erudire te etiam de eo poterunt ij, qui tibi has litteras reddiderunt, Carolus meus & Vgolinus eius filius familiaris tuus. Quem ego Vgolinum ſumma probitate, officio, fide, modeſtia iuuenem tibi commendarem in maiorem modum; cupit enim apud te eſſe; niſi ſe ipſe iam ſua erga te diligenti multorum annorum obſeruantia & cultu cõmendauiſſet. Sed commendo tamen. Reliquum eſt, ut te id pro mea charitate unum moneam; quod tamen te facturum per te ipſum certo ſcio: ſcilicet ut te hoc ipſo aui tui diuini ſanè hominis noſtroq; ſingulorum de te iudicio atq; hoc tam illuſtri tibi tradito munere omnibus numeris dignum præſtes: & quemadmodum adhuc quidem planè puer reliquorum ætate tibi æqualium ingenia, ſtudia, induſtriam, laborem, ſpem denique, quam ipſi ſuis dant; longo mediusfidius interuallo ſuperaſti: ita etiam poſthac in reliqua uita cum bonis artibus omnibus adipiſcendis, tum uerò in primis recte agendo recteq; ſentiendo tecum ipſe certes, teq; uincas, & celeriore in dies ad omnem uirtutem curſu inito quaſi prætereas. Vale. Sextodecimo kalen. Ianuar. MDXLV *Romæ.*

P. B.

P. B. Iacobo & Ioanni Baptiſtæ Lomellinis fratribus S. P. D.

AMABAM uos quidem antea multis nominibus plurimũ. Nunc uerò quas ad me litteras Patauio dediſtis: eæ me ueſtri multo etiam amantiorẽ reddiderunt. Sunt enim & plenæ officij, & amabiliter ſcriptæ,& quæ ueſtram uos operam in optimis artibus ediſcendis bene poſuiſſe adhuc quidem facile oſtenderunt. Itaq; ueſtra ea de re cura & diligentia mihi magnopere probatur: hortorq́; uos; ut, quod laudabiliter incepiſtis, etiam ad exitum perducatis. Nihil omnino uobis ipſis ad dignitatem atq; ad omnes uitæ ueſtræ rationes poterit eſſe aptius, opportunius, conducibilius: nihil patri patruoq́; ueſtro; qui uobis iſtud otij & facultatis comparauerunt; planè iocundius: Quorum alterum doctum ſanè hominem, & ſumma prudentia uirũ plures iam annos unice diligo: utorq́; eius conſuetudine & beneuolentia perfamiliariter: alter autem,quoniam uobis pater eſt; tametſi eum nunquàm uidi, à me tamen neutiquam diligi qui poteſt? Me quidem habebitis; cui æque chari ſitis,ac eſtis patruo; paulo autem minus chari,quàm ipſi patri; Quod supereſt amabitis inter uos amore uere fraterno, & ualebitis. Sexto decimo kalen. Octobris MDXLVI. Romæ.

Petrus

Petrus Bembus, Damiano Goes Luſitano
S. P. D.

TE à Rege tuo è Gallia reuocatum cum uxore liberiſq; Oliſipponē reuertiſſe, planè gaudeo: tuaq; iſta poſt tot annos domum reditione nihil puto tibi fuiſſe iocundius: laudabilius quidem fieri profectò nihil potuit. Quid enim poteſt homo prudens: qui multa uiderit, multum terrarum obierit, multas fortunæ uarietates temporūq; uiciſſitudines ſit expertus; agere melius: quàm domeſticis rebus & familia conſtituta ſua in patria unà cum ſuis ciuibus pacate atq; honeſte uitam ducere: præſertim optimarum artium ſtudijs & doctrina præditus, & ſcribēdis rerum pulcherrimarum commentarijs aſſuetus non ſine dignitate? Vnus quippe dies ita confectus anno tibi erit aliter peracto dulcior. Itaq; pergratum mihi feciſti; quòd ea ut ſcirem uolueris. Nam te quas ſcribis dediſſe antea plures ad me litteras: earum unæ tantum meas ad manus peruenerunt, plenæ tuarum moleſtiarum: quibus quidem mederi non poteram, tam longo abs te locorum diuiſus ſpatio; tā incertus qui eſſent qui te captiuū fecerant. Sed acta ne agamus, Ego me hercule de tuo reditu ad tuos tibi quidē ualde gratulor: optoq; ut et Regis tui optimi & religioſiſſimi omniū hominū principis liberalitas, & tua excellens uirtus breui tuos tibi labores & erumnas reſarciant. Reſendij tui poëtæ illuſtris

hexametri;

hexametri; quos accepi unà cum tuis litteris; maiorem in modum me delectauerunt. Sunt enim & probi, & perelegantes, & mirifica cum ipſius in me beneuolentiæ commemoratione ſuauitateq; conſcripti. Ei tu magnas ages gratias meis uerbis: meq; illi omnia debere ſignificabis; qui tam profuſe cũ me amet; tum de me tã honorifice & loquatur & ſentiat. Eum carminibus remunerari non ſum auſus. Quis eſt enim hoc tẽpore à muſis me uno alienior? Et quidem hæc dies aliam uitam; alios mores poſtulat: ut te non fugit. Retinebo autem eorum carminum uerba ſingula meo in animo inſcripta, uel inſculpta potius; quo ad mihi uita ſuppeditabit. Quod mihi eum commendas, qui mihi tuas litteras reddidit; eſt omnino gratum. Viſus eſt enim mihi aſpectu ipſo & facie eiuſmodi eſſe, ut ſcribis; homo ſcilicet amabilis & ingenio perliberali. Dixi illi, ſi quid poſſem, mea opera uteretur: ei me tua cauſa non defuturum: utq; uteretur, ambitioſe etiam ab eo petij. Iacobus Sadoletus Cardinalis legit tuas ad me litteras; tibiq; gratulatur & multam ſalutem dicit. Vale. V. Non. Octobris MDXLVI. Romæ.

VENETIAS.

P. B. Iouitæ Rapicio *uiro illuſtri* S. P. D.

AMAVI *te quidem omni tempore, doctrinæ præſtãtiſsimæ tuæ incenſus ſplẽdore ac nomine: quẽ ſanè amorem erga te meum auxerunt cum et mores honeſtiſsimi*

honeſtiſsimi tui, & inculpatæ uitæ ſanctitas, tum uero quod ſciebam amari me abs te nullius mei erga te officij cauſa; ſed planè bonitate illa tua; qua excellis, & propenſo bene de humano genere merẽdi ſtudio & uolũtate. Nunc autem quum Ioannis Baptiſtæ Rhamnuſii antiqua mihi neceſsitudine ac familiaritate coniuncti litteris certior factus ſim, quã lubẽti animo pollicitus fueris te omnem operã daturum in erudiẽdo Caroli Fanenſis mei filio Horatio; quem ad te propterea mittere cupiebam, quáque de re ad Rhamnuſium, cuius in domo & cõuictu eſſes, ſcripſi ſanè diligentiſsime: nõ poſſum dicere, quãtus ad meũ priſtinum erga te amorem beneuolẽtiæ cumulus acceſſerit. Tametſi non id ſolum: quod erat tamẽ magnum ipſum per ſeſe, quodq; unum mihi abs te dari expetebã, ut puero bonis artibus inſtituẽdo ſtudium afferre uelles tuum: ſed illud etiã te meditari intelligo: ut, cura tua, ab ijs etiam doctoribus quos Rhãnuſius Pauli filij ſui gratia conductos domi tecũ habet, græcas litteras & mathematicas diſciplinas quã maxima fieri poterit diligentia, percipiat: et nullam temporis partem, niſi quãtum ualetudinis ratio poſtularit, elabi permittat. Quam ob rem ſcire te planè uolo, me nõ in meorum familiarium numero, quod uideris tantũ uelle: ſed in amantiſsimi mihi hominis & certe coniunctiſsimi loco te deinceps habiturum. Rhamnuſium noſtrum poſt tot egregios doctores, nõ ueterem modo, ſed recentem quoq; iſtam & nouam geographiam illis obiter traditurum uæhemẽter lætor: eiq;

tor: eiq́; propediem etiam hoc ipſo nomine quas debeo, gratias agam. Tu uelim ijs quos dixi docendi magiſtris meo quoq; nomine denũcies, ſi ſuas partes ad inſtituendũ puerum libenter adhibuerint, me eis magnopere debiturũ: req́; ita eſſe, quũ ſe occaſio dederit diligenter cupideq́; oſtenſurũ. De Caroli filio hoc tibi poſſum dicere, illum ad uos optimã indolem, et ingeniũ, uti pueri duodecim annorũ, Satis quidem aptum ad diſcendum, ad pronunciandum autẽ & recitandum ea quæ didicerit, etiam ſuaue & iocundum allaturum. Vale. VII. *Idibus Aprilis.* MDXLVI. *Roma.*

PETRI BEMBI *Epiſtolarum familiarium in ſex libros diuiſarum finis.*

Series chartarum.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb.

VENETIIS *Ex Officina Gualteri Scotti Anno* MDLII. *Menſe Maio.*

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONTIFICIS
Max. nomine ſcriptarum libri ſexdecim

AD PAVLVM TERTIVM PONT. MAX. ROMAM MISSI.

PETRVS BEMBVS

PAVLO TERTIO PONT. MAX.

S. P. D.

CVM Latinus Iuuenalis internuncius apud remp. noſtram tuus bis proximis brumæ diebus Patauium ueniſſet: proq; iure uetuſtæ noſtræ neceßitudinis apud me diuertiſſet: iocundißimis inter nos ſermonibus percũctationibusq; habitis, & curato corpore bibliothecam eſt ingreſſus: erat enim eius cubiculo proxima. Itaque libros ſingulos excutiens in uolumen incidit ſepoſitum, nec ſatis explicatũ epiſtolarum; quas quidem ego in Leonis Decimi Pontificatu maximo eius nomine conſcripſeram; nõ plane omniũ: nam tot exẽpla difficile fuiſſet uno uolumine includere: erãt enim prope innumerabilia: ſed illarum tantummodo: quas porro propterea, quod erant multorum euentuum & rerum uariarum pleniores; in arculam aliorum ſcriptorum Roma proficiſcens conieceram. Earum ille aliquot non ſine uoluptate, ut uidebatur, perlectis: illius enim temporis libenter reminiſcebatur; quo & ipſe Leoni Decimo perfamiliaris fuit: reliquarum autẽ congerie inſpecta; Quid tu, inquit, Bembe has lucubrationes tuas prodire in manus hominum non ſinis? Debueras profecto. Nam & eius muneris; quo apud Pontificem illum maxi-

mum fungebare; erunt illæ quidem ſemper teſtes: & rerum ab illo geſtarum memoriam continebunt: ut eius ipſius regni tanquàm hiſtoriam uideri poßis, ſi eas edideris, confeciſſe. Te *autem unum maxime omnium conuenit; qui res* Venetas *poſteris tradendi laborem ſuſcepiſti; tui etiam* Pontificis *partem illã uitæ in illuſtri orbis terrarum theatro poſitam, curſumq́; muneris omnium maximi cognoſcendum his tuis litteris poſteritati mandauiſſe.* Equidem *fateor, is amici hominis et prudentis uiri ſermo me magnopere commouit.* Cumq́; *multa ea de re inter nos eſſent dicta: addidiſſetq́; ille, exiſtimare ſeſe tibi eam ſcribendi rationem ualde placitum & probatum iri; pollicitus ei ſum, me, quod ſuadebat atque hortabatur, breui facturum: quod quidem nunc facio.* Eas *autem ad te* Paule *potißimum litteras mitto: qui et* Pontifex Maximus *es, ut* Leo Decimus *fuit; & in optimarum artium diſciplinis multo, quàm ille, habitus doctio.* Vera *enim fateri omnes non ſolum honeſte poſſumus; ſed etiam debemus.* Præter *hæc ut meæ perueteris in te obſeruantiæ, pietatis, cultus, hos ſexdecim epiſtolarum libros: tot enim ſunt: tanquàm indices & quaſi prædes tu a me primum, deinde cæteri abs te habeãt; ualde cupio: eaq́; me cogitatio uehementer delectat.* Qui *etiam eo iuſtius ad te libri ueniunt omnibus politioribus litteris & doctrinis perornatum: quo magis ipſi ea latine loquũtur: quæ adhuc quidem ſatis uel inepte, uel etiam perperam, nulla quidem certe cum dignitate, more*

exemploq́;

exẽploq; urbanæ forenſis diſciplinæ ſolita ſunt ſcribi ab epiſtolarum Pontificalium *magiſtris : qui triginta eſſe conſueuerunt .* H*æ quoniam epiſtolæ multas ad exteras perſæpe nationes perferuntur : eſſe uſui noſtra hæc diligentia poterit nõ hominibus ſolum noſtris ; ſed illis etiam ; ad quos ea non* Romane *ſcribendi conſuetudo , quod a* Roman*is* Pontifici*bus proficiſcitur , contagionem quandam affert tradentium maieſtate fultam & comprobatam : ut errare ſe ſic ſcribentes non exiſtiment .* In *eo ſiquid ipſi profuerimus : tibi id uni maxime acceptum referri oportebit : cuius auctoritate moti hos & digeßimus libros & edidimus .* Vale. Idibus Ianuarij . M D X X X V. Patauio .

PETRI BEMBI

EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER PRIMVS.

Leonardo Lauredano reip. Venetorum Principi. 1

ET SI NON DVBITO, *quin ab legato tuo homine et prudente & diligente ea libenter intellexeris, quæ hic proxime acciderunt: tamen illa ipſa ſi meis etiam litteris ad te perferrentur; multo tibi iucundiora putaui fore.* Nam cum Iulius *ſecundus* Romanus *Põtifex; quem quidem iã ad ſe reuocare* DEVS Opt.Max.*conſtituerat; rebus omnibus, quæ ad breui morituros pertinent, ſanctè compoſitis, ad extremum unctus* Nono Cal. Martias *de uita placide conſtanterq; deceßiſſet: atq; ego, qui tum* Cardinalem *gerebam, cæteriq; ex eodem collegio principes eius funeri celebrando præſtitutum lege tempus dediſſemus; diuinæ mentis auram ſuppliciter precati, quæ incepta noſtra cogitationesq; proueheret, unum in locum in* Vaticano *conuenimus; ut nouum* Pontificem *more maiorum legeremus.* Itaq; *quemadmodum ei placuit; qui* Petrum *legit, ut ſuum uicarium in terris gereret, cuius deinceps munus reliqui ſummi*

Pontifices gereremus; omnium Cardinalium ſuffragia me in demortui locum ad diē quintum Idus Mar*tias legerunt, & ſummum* Pontificem *creauerunt. Quæ cum ita ſe habeant; hæc ad te ſcripſi, non ſolum ut ſcires me; qui profecto quandiu inter* Cardi*nales fui, te, remq́; iſtam pub. magno amore ſum complexus, a paterni animi beneuolentia atque officio poſthac non diſceſſurum: ſed etiam ut te certiorem facerem; magnam me iam ſpem recte atque cum dignitate rem* Romanam *adminiſtrandi in Senatus tui, qui grauiſſimus ſemper eſt habitus, ſapientia, conſilijs, æquitate, quodq́; omnium eſt maximum, erga nos perueteri conſtantiq́; amore poſuiſſe.* Datis Prid. Id. Martias. MDXIII. Ante coronationem. Roma.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 2

IVLIO *ſecundo* Pontifice Max. *ex hominibus compoſite ſancteq́; abeunte, cœleſtemq́; in patriam a ſummo reuocato ac reſtituto* DEO; *quod quidem* Nono Cal. Martias *ante lucem fuit; ego & reliqui fratres mei* Eccleſiæ Romanæ Cardinales, *cum ei funus concelebrauiſſemus, in conclaue una omnes ſeceſſimus: ubi ſacris factis adhibitisq́; precibus more inſtitutoq́; maiorum, omnibus ad unum ſuffragijs ad diem quintum* Idus Martias *me in eius locum ſublegerunt;* Pontificemq́; Max. *declarauerunt: Cuius te rei certiorem facere uolui; ut quoniam quo tempo-*

re in

re in Cardinaliũ ordine uerſatus ſum, te amaui ſemper equidem plurimum; plane ſcires atque confideres, me in poſterum etiam omnibus in rebus, quæ ad tuam dignitatem pertinebunt, propenſum animum & paternam uoluntatem allaturum. Datis Idib. Martijs. M D X I I I. Ante coronationem. Romæ.

Petro Bibienæ. 3

C V M *ingenium, probitatem, moresq́; optimos; tum fidem & obſeruantiam erga me tuam et iam inde a te ſub maiorum meorum clientela ſuſceptam, & poſt magna cum tua laude multis in rebus declaratam atq; adhibitam qui ignoret, nosq́; cognouerit; eſſe neminem exiſtimo:* Sed *quoniam inter reliqua tua in me* Cardinalem *periocunda perq́; grata officia ea mihi optatiſſima fuerunt; quæ apud* Venetos, *quorum præclara urbs multos iam annos, te continuit, plurima & maxima mihi atq; meis præſtitiſti: nunc quidem, cum ſummi* D E I *largitate ac munere ad* Petri *nauis gubernacula regenda euocatus atq; conſtitutus ſum; uirtutem & fidem eandem tuam; quas plurimi ſemper feceram, honeſtãdas mihi eſſe atque ornandas putaui.* Itaq; *internuncium te meum atq; interpretem apud* Leonardum Lauredanum Venetorum Principem *remq́; iſtam publicam atq; ſenatũ facio: cui te muneri diligẽter adminiſtrãdo, idoneum propter tuam prudentiam; propter uero conſuetudinem*

ro conſuetudinem multorum annorum, quam habes cum iſta ciuitate, illi etiam reipublicæ gratum & optatum magnopere confido fore. Datis. XVI. Cal. April. MDXIII. Ante coronationẽ. Romæ.

Leonardo Lauredano Venetorum Principi. 4

IVSSIMVS interpretem apud te remq; pub. tuam eſſe noſtrum Petrum Bibienam cum prudẽtia et rerum gerendarum uſu præditum hominem, tum in primis nobis & probatum & gratum: ſcripſimusq; ad illum ea de re. Quamobrem abs te petimus; ut omnibus in rebus, quas is noſtro nomine ad te perferet, eandem illi fidem habeas; quam haberes nobiſipſis, ſi te coram alloqueremur. Datis. XVI Cal. April. MDXIII. Ante coronationem. Romæ.

Sigiſmundo Poloniæ Regi. 5

INTELLEXI magna quidem cum moleſtia inter te atq; Albertum Marchionem, ut appellant, Brãdeburgenſem ſocietatis Marianorum Theutonicorum in Pruſia magiſtrum, plurimas atq; maximas iam inde a ueſtris maioribus ortas atq; traditas diſſenſiones extitiſſe: eamq; ob rem omnes homines, quibus ueſtræ utriuſq; rationes atque cauſæ cognitæ eſſent, magnopere uereri; ne poſt eum diẽ, qui dies erit pridie Id. Martias, magnum atq; apertum

tum

tum bellum inter uos commoueatur; maximiſq; cũ gentium & populorum, qui ueſtro in imperio ſunt, detrimentis atq; cladibus exerceatur: qui dies præſtitutus a uobis fuit; quo die ille ſtatueret utrum a te imperata faceret, an ſe in libertatem uendicaret. Itaq; uel pro mea in omnem CHRISTI populum cura & ſtudio, uel maxime pro ea uoluntate, quam quidem erga te beneuolam & propenſam in primis habeo, grauiter tuli hoc ingreſſu atq; initio mei Pontificatus certiorem me fieri, noua iam iamq; a uobis bella imminere, nouos armorum motus, noua incendia excitari: cum illud in primis cupiam; eiq; rei omnem meam curam & cogitationem adhibendam ſtatuerim; ut ea, quæ dudum ſuccenſa ardere adhuc flagrareq; uidentur, bella inimicitiæq; magnorum principum, modis omnibus reſtinguantur. Quod quidem DEI Opt. Max. auxilio; qui ad ſe tendentes, ſeq; unum reſpicientes conatus hominum conſiliaq; nõ deſerit; breui fore confidebam. Quamobrem paterno te & amore & ſtudio eſſe hortandum putaui; ut curſum atq; impetum irarum tuarũ tantiſper ſuſtineres, dum a me legatus ampliſsima cum poteſtate iſtuc uenit: qui ueſtris cauſis & controuerſiis cognitis, quæ æqua ſint, amice ſtatuat; concordeſq; uos, ſi fieri poteſt, & pacatos reddat. Decreui enim meos legatos magnos uiros ad plurimas quàm primum nationes mittere. Vel tu, ſi id tibi erit antiquius, rem totam integraſq; parteis tuas Lateranenſi concilio iam incepto agi remittas atq;

reijcias: a quo porro maxime conuenit Regum *&* Ducum *& magnorum principum contentiones controuerſiasq; terminari. Quod & nobis erit gratius; ut cauſa ipſa, cuius nonnullas ſæpius partes aliquot ante me* Romani Pontifices *recte utriq; ueſtrum cõſulentes attigerunt,* Romæ *per concilium tranſigatur: et tibi certe cum ad rerum tuarum ſtatum ſecuritatemq; conducibilius, tum ad animi tui quietem & tranquillitatem longe aptius; nõ unum modo* Ro. Pontificem*, ſed unà cum ipſo etiam reliquos omnes uniuerſamq; remp. ueſtrarum litium, expoſtulationum, diſcordiarum diſceptatricẽ extitiſſe: cum exiſtimandum ſit, quæ totius reip. oculis perſpecta decernuntur, ea & rectiſsime confici, & firma atque ſolida plane fore. Iniquum eſt etiã et profecto miſerũ, optimas populoſiſsimasq; nationes, quæ ad Chriſtianæ ditionis atque gloriæ terminos propagandos uel propter fortitudinem animorumq; robur omniũ aptiſsimæ, uel propter locorũ naturã opportuniſsimæ uideantur eſſe: ſuis inter ſe odijs conteri, ſuis ipſarum ſimultatibus infringi & debilitari.* Tum *illud uehemẽter timeo, ne ſi uos magnos principes hoſtes perpetui noſtri* Turcæ*, quos habetis finitimos, conuerſis contra uos armis concurrere male animatos ſenſerint; magna ipſi ex ea re lætitia uoluptatéque percepta opperientes dum ueſtris cladibus uires opesq; ueſtræ fractæ ac debilitatæ ſint, unanimes atq; integri uos adoriantur; & magno ueſtro cum malo, quod* DEVS *omem obruat, Chriſtiano nomini*

notam aliquam inſignem atq; perpetuam inurant. Hoc cauere ipſe; cui quidem uniuerſi gregis mandata cura atq; ſanatio eſt; maxime omnium debeo: & profecto cauebo; ſi te de me, deq; re Chriſtiana publica bene merendi ſtudium cogitatioq; excitabit: qua nulla eſſe regibus magis propria, nulla honeſtior ac plane laudabilior poteſt. Quod quidem te facturum tua uirtute atq; prudentia fretus ſane confido: Atq; id quo lubentius facias; ſcire te uolo eadem me de re ad Albertum litteras daturum; ab eoq; poſtulaturum, ut ſe contineat. Verum quo tu propter Regiam dignitatem atq; amplitudinem apud omnes homines maior excelſiorq; es; eo te cupimus priorem faciliorem q; meis hortatibus præſto eſſe. Quãto enim te ipſe leniorem & placabiliorem mihi & reip. præſtiteris; tanto ſe DEVS *omnibus tuis aggrediendis tractandiſq; rebus magis beneuolum atq; propitium adiunget.* Datis XV Cal. April. MDXIII. *Ante coronationem.* Romæ.

Epiſcopo *Eſcrmiæ deſignato,* Iulij Pont. Max. *apud Venetos internuncio.* 6

NE *ad te de eo, quod* Pontifex *Maximus factus ſum, more maiorum ſcriberem; nuncij, qui de tua morte ad me allati ſunt, ſane fecerunt: quos fuiſſe falſos, lætor; deq; incolumitate tua uoluptatem magnam capio. Quæ ſcribis de tui gaudij magnitudine, deq; iſtius urbis lætitia ex ſummo pontificatu*

meo

meo percepta; ea nobis gratiſsima fuerũt: itaq; fore pro tua in nos obſeruãtia, proq; eo amore & charitate, quibus ſemper erga illam remp. fuimus, certum exploratumq; habebamus. Reliquas, *de quibus ſcribis, res in tuum aduentum reijcimus.* Poteris *autem; quoniam audita morte tua* Petrum Bibienam *ueterem clientem & familiarem meum apud iſtam remp. meum internuncium eſſe uolui; ad urbem atq; ad me duce iſto &* Senatu *ſalutato redire.* Data xv *Cal.April.* MDXIII. *Ante coronationem.* Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi, *reliquiſq; magiſtratibus regni* Neapolitani. 7

CERTIORES *facti ſumus Selinum* Maumethẽ Turcarum *regem claſſem ualidam & terreſtres copias permagnas, quibus tranſmiſsis* Rhodum *inſulam inuadat, ſumma diligentia comparare: præmiſiſſe etiam iam nunc naues longas, quas habebat paratas, ad tentandos eius inſulæ aditus, portuſq; idoneos capiendos: ut bellum ex ſententia conficere facilius atq; celerius poßit.* Quibus *rebus cum in tempore occurrere, & ſocietatis* Hieroſolimitanæ *de re* Romana *deq;* Chriſtiana *uniuerſa optime meritæ cõſulere incolumitati magnopere ſtatuerim, te magiſtratuſq; iſtius regni omnes diligentiſsime hortor; ut* Guidonis *eius ſocietatis magiſtri, &* Ludouici Galliæ Ciſalpinæ Prioris *eiuſdem ſocietatis promagiſtri,*

giſtri, & Fabritij Legati procuratoribus commeatum omnis generis, armamenta, reliquasq; res ad munitionem & tutelam eius inſulæ oportunas atque idoneas ueſtris ex locis exportare libere permittatis: auxilio etiam, ſi opus erit, ueſtro ac diligentia ipſos ad ea quæ uolēt tranſportanda iuuetis: ut citius comparare ſe ad propulſandum bellum poßint. Datis. XI Cal. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Duci & Decurionibus Genuæ. 8

MAGNOPERE uos hortor: ut Hieroſolimitanis militibus, qui duas naues ad bellum idoneas comparandi cauſa iſtuc ueniunt, omnem ueſtrā operam, curam, ſtudiū, auxilium præbeatis; ut celeriter eas naues coëmere, atq; omnibus & ad nauigandum & ad bellum gerēdum oportunis rebus ornare atq; inſtruere poßint; ſeq; ijs inſulamq; Rhodum tueri: quam ad opprimendam Turcarum Rex ingentem claſſem atq; exercitum comparat. Quod quidem eo etiam diligentius facio, ut uos commoneam; quod cognoui fœdere uos atque ſanctionibus inter illam ſocietatem ciuitatemq; ueſtram interpoſitis ad id teneri. Quanquàm quidem; quæ rei magnitudo atq; periculū eſt, ac certe ueſtra in me obſeruantia; plane confido etiam ſine ullis fœderibus ſpōte uos ac libere nobis id petentibus tributuros. Dat. XI Cal. Aprilis. MDXIII. Anno primo. Roma.

Proſpero

Proſpero Columnæ. 9

QVOD antea tuo nomine fecerat Fabritius Columna frater tuus, ut mihi, quod Pontifex Max. declaratus eſſem, gratularetur; te etiam per litteras feciſſe, animiq; tui lætitiam oſtendere cumulate uoluiſſe, mihi certe gratißimum fuit: qui & te amaui; & uirtutem tuam feci ſemper plurimi: quæ quidem te in primis uirtus clarum apud omnes homines facit. Itaq; iſtam tuæ in me obſeruantiæ repetitam teſtificationem læto animo accipio. Quod autem ſcribis te nobis præſto ſemper futurum, offersq́; mihi te amantißimis uerbis; uelim ſic exiſtimes; mihi te & fuiſſe antea omni tempore carißimum, & nunc iſta tua in nos uoluntate cognita eſſe etiam cariorem. Potes igitur, uel debes potius confidere; quæ ad tuã dignitatem conſeruandam augendamq́; pertinebunt, ea tibi a me pro mea in te uoluntate, proq́; mei muneris ratione ſemper fore paratißima. Dat. VIII. Cal. April. MDXIII Anno primo. Romæ.

Prolegato Piceni. 10

RENVNCIATVM mihi eſt, Eſinos his proxime præteritis interregni diebus cõtra bonos mores, contraq́; iudicia a fratribus meis Bernardino ſanctæ Crucis & Antonio ſancti Vitalis Cardinalibus facta atq; a Romano Pontifice comprobata, armatos

in agrum

in agrum Anconitanũ hoſtiliter irruiſſe; craſſatosq́; quandiu libuit domum reuertiſſe: Anconitanos autem & ipſos arma ſumpſiſſe; ſeq́; ulciſci, controuerſiasq́; cum Eſinis ſuas ferro decernere tentauiſſe. Quarum rerum indignitatem pro huius imperij maieſtate grauiter, ut debui, tuli. Mando igitur tibi, ut magiſtratui & x ciuibus Eſinæ urbis abs te appellandis denunties, ad nos ſe ut conferant: Anconiæ item ſex, quos uoles, ciuibus imperes ut idem faciant, die utriſq́; præſtituta ad nos ueniendi, ac pœna, quanta tibi uidebitur, committenda, ſi non uenerint. Dat. VIII. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Paulo Capello Veneto. 11

ET ſi etiam ſine tuis litteris me ad ſummum põtificatũ DEI Opt. Max. aura prouectum eſſe te magnopere lætari, pro tua in me uetere beneuolẽtia facile exiſtimare potuiſſem: tua tamen per litteras ea de re uoluptatis abs te perceptæ tam illuſtris ſignificatio mihi gratiſſima iocundiſſimaq́; ſane fuit. Et amaui enim te omni tempore, dum Cardinalem geſſi; & abs te amari uolui: tuq́; omnibus in me ſtudijs atque officijs functus es & optimi amiciſſimiq́; hominis, & grati uiri. Illud etiam pergratum nobis accidit; quod ſcribis ciuitatem iſtam ueſtram & Senatũ eum nuncium hilari animo priuatim publiceq́; accepiſſe. In quo cum ipſi illud egeritis, ut noſtro erga

uos beniuolo atq; propenſo animo pares officij ac pietatis partes attuliſſe uideamini; nos id curabimus, quoad Romanæ rei dignitas rationesq; patiẽtur; ut nec fruſtra nec immerito uos ad noſtri põtificatus nũcium gauiſos fuiſſe perpetuo cognoſcatis. Dat. VII. Cal. April. Anno primo. Roma.

Guidoni magno Magiſtro & cõuentui Rhodio. 12

Ad diem nonum Cal. Martij Iulio ſecundo Põtifice Max. cœleſtibus reſtituto; quam quidem ille migrationem omnibus ſanċte obeũdi muneribus perfunċtus placide atq; conſtanter pertulit; fratres mei Eccleſiæ Romanæ Cardinales, quorum ipſe in collegio tunc eum magiſtratum exercebam, cunċtis ſuffragijs demortui mihi locum atq; munus detulerunt; Pontificemq; maximum fecerunt. Qua de re dãdas ad uos eſſe litteras duxi, nõ ſolũ ut de mea declaratione certiores ipſe uos facerẽ; ſed etiã uel maxime ut illud ſciretis, me pro antiquo perpetuoq; ueſtro in re Chriſtiana conſeruanda ſtudio diligentia laboribus atq; in Romanos pontifices pietate & fide uobis ordiniq; ueſtro nulla in re, quæ ad ueſtram incolumitatem dignitatemq; pertineat, defuturum. Cæterũ ex ijs litteris; quas Iulio Pont. Max. IIII. Non. Feb. dediſtis; ea, quæ Selinus Turcarum Rex contra uos inſulamq; ueſtram cogitet, facile cognoui; quantumq; iam longarum nauium, quantum militum habeat in uicinis uobis portubus & locis. Quã quidem

quidem ut debui rem grauiter moleſteq́; tuli. Itaq; cum ueſtra poſtulata mihi maxime probarentur; omnibus ueſtræ ſocietatis militibus, qui Rhodi non eſſent, imperaui, ut ante Cal. Maias, uel ſummum ante Id. Maias ſe ad uos conferant: Omnes etiam Chriſtianos homines aliquid hoc in bello muneris uobis defendendis hoſtibusq́; ueſtris propulſandis obeuntes omni animorum contracta labe purgauimus; litterasq́; ea de re dedimus cõceptis uerbis: quos quidem fore permultos, expectationemq́; hominum longe ſuperaturos puto. Legatum præterea ueſtrum cum duabus nauibus magnis commeatu, armamentis, rebus bellicis omnibus, & bono in primis milite optime inſtructis ad uos propediem tranſmittam. Hortor autem uos; ut forti atq; inuicto animo huius belli rationem adminiſtretis; memineritisq́; quantã quàmq́; ueram gloriã maiores ueſtri Rhodo inſula ab exercitibus claßibusq́; Sultani huius Selini aui defenſa ſint conſequuti. Quo in bello quoniam pietatem, quoniã CHRISTI rem, quoniã DEI Opt. Max. cauſam defenditis; ſperandum certe eſt, omnia uobis proſpere atq; feliciter euentura. De me uero ita uobis ipſi pollicemini, uel potius plane recipite; pro iſtius inſulæ ueſtræq́; ſocietatis defenſione me omnes meas uires, opes, omnium ſtudia prompturum; in unumq́; collaturum. Extremum illud eſt; ut me de rebus ſingulis, quæ iſtic agantur, certiorem quã creberrime quãq; diligentißime faciatis. Datis VII. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Thomæ Campegio, Epiſcopo Feltrinorum deſignato, internuncio apud Ducem Mediolanenſium. 13

Et magna nobis beneuolentia Cardinalem gerentibus cum Palauicinorum familia interceßit: & nũc DEI benignitate ac munere ampliori loco poſiti eius ipſius gentis erga nos Romanosq; pontifices egregia promerita memoria repetentes, illud in primis magnopere confidimus, ad noſtrorum oppidorũ Parmæ Placentiæq; conſeruationem & incolumitatem eam familiam magno eſſe uſui ſemper poſſe, magnoq; ea de cauſa eius familiæ fidem & diligentiam nobis adiumento futuras. Itaq; Galeatium Palauicinum in noſtris nobis militibus placet eſſe; & cataphractis equitibus cẽtum præeſſe: eiq; ea ſtipendia dari uolumus; quibus eum militum numerum alat; quæ dari noſtris totidem equitum præfectis conſueuerunt. Quos quidem centum equites celeriter ab illo confici magnopere cupio: ut minus moræ ſit, dũ ſe utiliter gerere, nobisq; præſto eſſe poßit. Hanc tu illi rem ſignificabis meis uerbis: quemadmodum etiã Iulius Medices Archiepiſcopus Florentinorum deſignatus & Bernardus Bibiena Quæſtor noſter his de rebus diligentius ad te perſcribent. Dat. quarto Cal. April. MDXIII Anno primo. Romæ.

Marco Antonio Columnæ. 24

ET animi tui præſtantiam & fidem erga me
Romanosq; Pontifices tuam omnibus in rebus faci-
le cognoui. Itaq; te de altera facio equidē pluri-
uirtusq; tua nobis antea probata & cognita
& optatior eſt & iocundior; quo ad
illam meam, quam tibi dudum perſpectam
dubito, amplificandi dignitatem
Opt. Max. etiam facultatem
nihil miror; qui antehac & huius
ſtatem omni ſemper ſtudio
quutus, & nos amaueris;
uel etiam propenſiorem in
& tui amantes nos
ad hominis tibi amiciſſimi
uideas perueniſſe. Cæterum
iſta urbe nobis cariſſima
bus, quæ ſcribis; ea
Iis de rebus quoniam
noniæ magiſtratum
ex quibus ea, quæ
uolumus, perſpicies.
Anno primo. Romæ

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 15

INTELLEXIMVS *oppidum noſtrum* Regium *Lepidi de re* Romana *optime meritum propter plurimas grauiſſimasq́; ea in urbe atq; agro multorum exercituum moras, quas aliquot annos pertulit, ita feſſum laboribus, ita iam exhauſtum impẽſis ac prope conſumptum eſſe; tuos ut milites, quos* Regij *& in* Regienſi *habes, alere ulterius nõ queat. Quamobrem ego; qui eam ciuitatem ualde diligo, incolumemq́; eſſe, quanquàm hoc quidem fieri iam uix poteſt, maxime cupio; te etiam atq; etiam hortor; ut ad tua erga nos nondum hoc loci poſitos plurima illuſtriaq́; promerita hoc etiam adiungas; quod quidem nobis erit maximum atq; luculentiſſimum; ut ex eo oppido, atq; agro tuos milites deducas: ne* Regienſes *pro ſuo erga nos ſtudio ultima ſe damna pati ſentiãt; difficillimoq́; tempore ſuis precibus apud me nullum eſſe locum conquerantur.* Id *tu ſi feceris; tam nobis erit gratum, quàm ſi tantũdem atq; etiam eo amplius oneris* Romæ *ipſi detraxiſſes.* Dat. *tertio* Cal. April. MDXIII Anno primo. Romæ.

Magiſtratibus Regij Lepidi. 16

ET *fides erga* Romanos Pontifices, *& pietas erga nos ueſtra; quas quidem multis in rebus perſpeximus; nobis gratiſſimæ iocundiſſimæq́; ceciderunt.*

runt. Itaq; ſcire uos uolumus, iſtam nobis ciuitatem uosq; ſingulos plane cariſſimos eſſe: incolumitatemq; ueſtrã & fortunas omneis eo à me ſtudio defenſum iri; ut uos ueſtri officij nunquàm pœniteat. Quod cum faciam; ad eam procurationem; quam preſtare omnibus ijs, qui ad huius reip. fidem ſe cõtulerunt, eiusq; ſub tutela ſunt, pro cura magiſtratus mei magnopere debeo; propriam etiam uoluntatem erga uos amoremq; præcipuum & germanum adiũgam. Quod attinet ad Neapolis Proregis milites a ueſtra urbe ueſtroq; agro deducendos; ſcripſimus ad illum hac de re diligenter: confidoq; uos ea, quæ uultis, conſequuturos. Prid. Cal. April. Anno primo. Romæ.

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ. 17

PROCVRATORES Regienſium; quorum ciuitatem optime de rep. eſſe promeritam omnes homines intelligunt; apud me conqueſti ſunt; propterea quod annos aliquot plurimorum exercituum & impreſſiones exceperunt & moras pertulerunt, ita ſe nunc attritos, ita plane confectos eſſe; ut Proregis Neapolitani milites ferre alereque nullo modo poſſint. Itaq; a me precibus omnibus orantes obſecranteſq; contenderunt; ne pro ſuis erga nos fidei obſeruantiæ ſtudiorum laborum meritis damna ultima perpeterentur; darem operam, eam urbem atq; agrum uti Prorex ſuis militibus ſubleuaret. Id ille

ni faceret; quo pacto quaq; uia tantum ipſi oneris ſuſtinere, tantum perferre calamitatis poſſent, plane affirmarunt ſe neſcire. Eas *ego preces, ut debebam, pro cura pontificatus mei, proq; mea in illos charitate neq; inanes eſſe neq; irritas cum magnopere cuperē; æquiſsima enim poſtulabant; litteras ad* Pro- *regem dedi ea de re quàm potui ſtudioſiores & diligentiores.* Q*uem quidem tameſi confido; quemadmodum ſæpe mihi alias, dum* Cardinalem *gererem, plurimis maximisq; in rebus ſatisfecit; ita nunc etiā pro ſua in me obſeruātia facile, quæ uolo, eſſe facturum: cupio tamen, magnopereq; abs te peto; ut rē apud illum iuues: tuaq; illa mirifica prudentia incredibiliq; lenitate, quibus quidem uirtutibus magopere abūdas, hac in re ſic utare; ut quæ ipſum per ſe facturum puto, te hortatore libentius atque celerius faciat: prædemq; te illi des; id ab eo ſi conſequemur, permagni nos eam rem beneficij loco eſſe habituros.* T*ibi quidem certe tantum debebo; ut ad meum priſtinum erga te amorē neceſsitudinemq; noſtrā magnus cumulus ſit acceſſurus.* Dat. Prid. Cal. April. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Iuliano Medici *fratri.* Florentiam. 18

E x *tuis litteris intellexi, te a legato iſtius reip. atq; tuo, qui apud* Ludouicum Regem Gallorum *eſt, certiorem eſſe factum, de ſummi pontificis munere mihi credito* Regem *illum magnam lætitiamcepiſſe: deq;*

deq́; me multa grauiſsimis amãtiſsimisq́; uerbis fuiſſe loquutum. Quæq́; idem Rex de te cum illo egerit ſumma cum tua dignitate & illuſtri teſtificatione amoris erga te ſui, quantumq́; tibi tribuerit, libentiſsime cognoui. Iocunda etiam mihi fuit uoluntas; quam præ te fers, gratum te ei atq; memorem illius in te beneuolentiæ oſtendendi: rationesq́; tuæ; quibus me de tractãda pace uti cogitem hortaris; multæ illæ quidem prudenterq́; collectæ, mihi magnopere probantur. Quibus de rebus omnibus hoc te primum ſcire uolo; nullã me ad rem tam pronum tãq; propenſum eſſe; quã ad omnium Chriſtianorũ Principum animos ſanctiſsimis concordiæ uinculis colligandos inter ſeq́; conglutinandos; nihil plane tam cupere, quàm pacem. Quam quidem ſi pacem omni tempore humilioriq́; in fortuna ſummopere concupiui; cuius tu meæ uoluntatis optimus atq; locupletiſsimus eſſe teſtis potes; certe nũc Pontifex Maximus, cum CHRISTI uicarium gero, qui pacis fons atq; auctor pacem hominibus diligentiſsime cõmendauit; multo magis eam uelle, multo curare impenſius debeo. Neq; mea è memoria excidit, quantum Rex te amauerit, cum in Galliam turbulentis illis noſtris temporibus te cõtuliſſes; quóue loco apud ſe habuerit: quãta ſemper etiam in Gallorum reges cum patriæ, tum familiæ in primis noſtræ obſeruantia extiterit: in qua manere te, modo cum dignitate fiat, non ſolum uolumus, ſed etiam optamus. Eorundem Regum quanta fuerint in rem Romanam merita, quanta

ta, quanta huius ipſius; non ſum oblitus. Ipſe quo-que; ſi per illum non ſteterit; omnia ei paterna of-ficia ita ſum præſtaturus; ut quæ tu, quæ familia noſtra reliqua illi debet, etiam perſoluere uideamur uoluiſſe. Quod ſi, ut ſcribis, eius animus ea quæ re-cta ſunt cogitat; facile et ipſi inter nos cõueniemus; & tu, quæ uis hac in re quæq; optas, aſſequere: tuamq́; apud me auctoritatem, tuas cohortationes plurimum ualuiſſe cognoſces. Vnum illud cogitare te eſt æquiſsimum: ut quoniam rex te internuncio uti apud nos uoluit; non tu illum minus ad bene de nobis merendum tuis litteris excites, quàm me ad illum amantiſsime complectendum es cohortatus. Extremum eſt; de quo te regem certiorẽ facere pla-ne uolo; ut intelligas me daturum operam, ut illum de pontificatu meo gauiſum fuiſſe, nunquàm pœni-teat: præſertim ſi æquas atq; boneſtas, hoc eſt cũ huius reip. maieſtate cõiunctas pacis cõditiones pro-ponet. Dat. Prid. Cal. April. MDXIII. Anno primo, Romæ.

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ. 19

TVI *præſentis ijs tractandis rebus, quæ ad te magna ex parte pertinent, ualde egeo. Itaq; te hor-tor, quod bona cum uenia* Proregis Neapolitani *fie-ri poſsit, ad nos uenias.* Dat. Cal. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Raimundo

Raimundo Cardonæ pro rege Neapolis. 20

QVONIAM *cum* Antonio Marchione; *ſic enim appellãt;* Padulæ *quædam nobis tractãda ſunt rationem ſtipendiorum et cõditiones ab eo cum* Florentinis *ineundas firmandasq́; ſpectantia, te hortamur; quatenus ſine tuo incommodo fiat; ei permittas, ut ad nos ſe conferat.* Dat. Cal. Apr. MDXIII. *Anno primo.* Romæ.

Vladiſlao Pannoniæ Boëmiæq́; Regi. 21

NVNCIATVM *nobis eſt, certos* Boëmorũ *militum duces magnis pollicitationibus per fautores ſchiſmatis excitatos bellũ cogitare: quo bello ſchiſmaticis auxilio ſint; cumq́; ijs coniuncti populos recte ſentientes, quiq́; nobis parent, aggrediantur, remq́;* Chriſtianam *exagitent atq; perturbent.* Id *ipſe ægre moleſteq́; ferens; qui quidem a* DEO *uocatus, ut* CHRISTI *uicarium geram, Chriſtiani gregis incolumitati ſalutiq́; conſulere in primis debeo; magnopere te hortor, abs teq́; amanter ac uere patrio animo peto; ut eos* Boëmorum *motus cõprimas; ardoremq́; animorum malis artibus ſollicitatum reſtinguas; ducesq́; illos in officio contineas.* Nam *ſi ſe ſchiſmaticis adiunxerint; præter quã quod pœnam a* Iulio *ſecũdo* Pont. Max. *ſchiſmaticis conſtitutam ipſi committent; ego etiam pro mei officij*

ratione,

meo percepta; ea nobis gratiſsima fuerũt: itaq; fore pro tua in nos obſeruãtia, proq; eo amore & charitate, quibus ſemper erga illam remp. fuimus, certum exploratumq; habebamus. Reliquas, *de quibus ſcribis, res in tuum aduentum reijcimus.* Poteris *autem; quoniam audita morte tua* Petrum Bibienam *ueterem clientem & familiarem meum apud iſtam remp. meum internuncium eſſe uolui; ad urbem atq; ad me duce iſto & Senatu ſalutato redire.* Data xv Cal. April. MDXIII. Ante coronationem. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi, *reliquiſq; magiſtratibus regni* Neapolitani. 7

CERTIORES *facti ſumus* Selinum Maumethẽ *Turcarum regem claſſem ualidam & terreſtres copias permagnas, quibus tranſmiſsis* Rhodum *inſulam inuadat, ſumma diligentia comparare: præmiſiſſe etiam iam nunc naues longas, quas habebat paratas, ad tentandos eius inſulæ aditus, portuſq; idõneos capiendos: ut bellum ex ſententia conficere facilius atq; celerius poſsit. Quibus rebus cum in tempore occurrere, & ſocietatis* Hieroſolimitanæ *de re* Romana *deq;* Chriſtiana *uniuerſa optime meritæ cõſulere incolumitati magnopere ſtatuerim, te magiſtratuſq; iſtius regni omnes diligentiſsime hortor; ut* Guidonis *eius ſocietatis magiſtri, &* Ludouici Galliæ Ciſalpinæ Prioris *eiuſdem ſocietatis promagiſtri,*

giſtri, & Fabritij Legati procuratoribus commeatum omnis generis, armamenta, reliquaſq; res ad munitionem & tutelam eius inſulæ oportunas atque idoneas ueſtris ex locis exportare libere permittatis: auxilio etiam, ſi opus erit, ueſtro ac diligentia ipſos ad ea quæ uolẽt tranſportanda iuuetis: ut citius comparare ſe ad propulſandum bellum poßint. Datis. XI Cal. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Duci & Decurionibus Genuæ. 8

MAGNOPERE *uos hortor: ut* Hieroſo*limitanis militibus, qui duas naues ad bellum idoneas comparandi cauſa iſtuc ueniunt, omnem ueſtrã operam, curam, ſtudiũ, auxilium præbeatis; ut celeriter eas naues coëmere, atq; omnibus & ad nauigandum & ad bellum gerẽdum oportunis rebus ornare atq; inſtruere poßint; ſeq; ijs inſulamq;* Rho*dum tueri: quam ad opprimendam Turcarum* Rex *ingentem claſſem atq; exercitum comparat. Quod quidem eo etiam diligentius facio, ut uos commoneam; quod cognoui fœdere uos atque ſanctionibus inter illam ſocietatem ciuitatemq; ueſtram interpoſitis ad id teneri. Quanquàm quidem; quæ rei magnitudo atq; periculũ eſt, ac certe ueſtra in me obſeruantia; plane confido etiam ſine ullis fœderibus ſpõte uos ac libere nobis id petentibus tributuros.* Dat. XI Cal. Aprilis. MDXIII. Anno primo. Roma.

Proſpero

Proſpero Columnæ. 9

QVOD antea tuo nomine fecerat Fabritius Columna frater tuus, ut mihi, quod Pontifex Max. declaratus eſſem, gratularetur; te etiam per litteras feciſſe, animiq; tui lætitiam oſtendere cumulate uoluiſſe, mihi certe gratißimum fuit: qui & te amaui; & uirtutem tuam feci ſemper plurimi: quæ quidem te in primis uirtus clarum apud omnes homines facit. Itaq; iſtam tuæ in me obſeruantiæ repetitam teſtificationem læto animo accipio. Quod autem ſcribis te nobis præſto ſemper futurum, offersq; mihi te amantißimis uerbis; uelim ſic exiſtimes; mihi te & fuiſſe antea omni tempore carißimum, & nunc iſta tua in nos uoluntate cognita eſſe etiam cariorem. Potes igitur, uel debes potius confidere; quæ ad tuã dignitatem conſeruandam augendamq; pertinebunt, ea tibi a me pro mea in te uoluntate, proq; mei muneris ratione ſemper fore paratißima. Dat. VIII. Cal. April. MDXIII Anno primo. Romæ.

Pro legato Piceni. 10

RENVNCIATVM mihi eſt, Eſinos his proxime præteritis interregni diebus cõtra bonos mores, contraq; iudicia a fratribus meis Bernardino ſanctæ Crucis & Antonio ſancti Vitalis Cardinalibus facta atq; a Romano Pontifice comprobata, armatos in agrum

in agrum Anconitanũ hoſtiliter irruiſſe; craſſatosq́; quandiu libuit domum reuertiſſe: Anconitanos autem & ipſos arma ſumpſiſſe; ſeq́; ulciſci, controuerſiasq́; cum Eſinis ſuas ferro decernere tentauiſſe. Quarum rerum indignitatem pro huius imperij maieſtate grauiter, ut debui, tuli. Mando igitur tibi, ut magiſtratui & x ciuibus Eſinæ urbis abs te appellandis denunties, ad nos ſe ut conferant: Anconiæ item ſex, quos uoles, ciuibus imperes ut idem faciant; die utrisq́; præſtituta ad nos ueniendi, ac pœna, quanta tibi uidebitur, committenda, ſi non uenerint. Dat. VIII. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Paulo Capello Veneto. 11

ET ſi etiam ſine tuis litteris me ad ſummum põtificatũ DEI Opt. Max. aura prouectum eſſe te magnopere lætari, pro tua in me uetere beneuolẽtia facile exiſtimare potuiſſem: tua tamen per litteras ea de re uoluptatis abs te perceptæ tam illuſtris ſignificatio mihi gratiſſima iocundiſſimaq́; ſane fuit. Et amaui enim te omni tempore, dum Cardinalem geſſi; & abs te amari uolui: tuq́; omnibus in me ſtudijs atque officijs functus es & optimi amiciſſimiq́; hominis, & grati uiri. Illud etiam pergratum nobis accidit; quod ſcribis ciuitatem iſtam ueſtram & Senatũ eum nuncium hilari animo priuatim publiceq́; accepiſſe. In quo cum ipſi illud egeritis, ut noſtro erga

uos beniuolo atq; propenſo animo pares officij ac pietatis partes attuliſſe uideamini; nos id curabimus, quoad Romanæ *rei dignitas rationesq́; patiētur; ut nec fruſtra nec immerito uos ad noſtri pōtificatus nūcium gauiſos fuiſſe perpetuo cognoſcatis.* Dat. VII. *Cal.* April. *Anno primo*. Romæ.

Guidoni magno Magiſtro *& cōuentui* Rhodio. 12

AD *diem nonum Cal*. Martij Iulio *ſecundo* Pō*tifice* Max. *cœleſtibus reſtituto; quam quidem ille migrationem omnibus ſancte obeūdi muneribus perfunctus placide atq; conſtanter pertulit; fratres mei* Eccleſiæ Romanæ *Cardinales, quorum ipſe in collegio tunc eum magiſtratum exercebam, cunctis ſuffragijs demortui mihi locum atq; munus detulerunt;* Pontificem*q́; maximum fecerunt*. Qua *de re dādas ad uos eſſe litteras duxi, nō ſolū ut de mea declaratione certiores ipſe uos facerē; ſed etiā uel maxime ut illud ſciretis, me pro antiquo perpetuoq́; ueſtro in re* Chriſtiana *conſeruanda ſtudio diligentia laboribus atq; in* Romanos *pontifices pietate & fide uobis ordiniq́; ueſtro nulla in re, quæ ad ueſtram incolumitatem dignitatemq́; pertineat, defuturum.* Cæterū *ex ijs litteris; quas* Iulio Pont. Max. IIII. Non. *Feb. dediſtis; ea, quæ Selinus* Turcarum Rex *contra uos inſulamq́; ueſtram cogitet, facile cognoui; quantumq́; iam longarum nauium, quantum militum habeat in uicinis uobis portubus & locis.* Quā

quidem

quidem ut debui rem grauiter moleſteq́; tuli. Itaq; cum ueſtra poſtulata mihi maxime probarentur; omnibus ueſtræ ſocietatis militibus, qui Rhodi *non eſſent, imperaui, ut ante* Cal. Maias, *uel ſummum ante* Id. Maias *ſe ad uos conferant:* Omnes *etiam Chriſtianos homines aliquid hoc in bello muneris uobis defendendis hoſtibusq́; ueſtris propulſandis obeuntes omni animorum contracta labe purgauimus; litterasq́; ea de re dedimus cõceptis uerbis: quos quidem fore permultos, expectationemq́; hominum longe ſuperaturos puto.* Legatum *præterea ueſtrum cum duabus nauibus magnis commeatu, armamentis, rebus bellicis omnibus, & bono in primis milite optime inſtructis ad uos propediem tranſmittam.* Hortor *autem uos; ut forti atq; inuicto animo huius belli rationem adminiſtretis; memineritisq́; quantã quàmq́; ueram gloriã maiores ueſtri* Rhodo *inſula ab exercitibus claßibusq́; Sultani huius Selini aui defenſa ſint conſequuti.* Quo *in bello quoniam pietatem, quoniã* CHRISTI *rem, quoniã* DEI Opt. Max. *cauſam defenditis; ſperandum certe eſt, omnia uobis proſpere atq; feliciter euentura.* De *me uero ita uobis ipſi pollicemini, uel potius plane recipite; pro iſtius inſulæ ueſtræq́; ſocietatis defenſione me omnes meas uires, opes, omnium ſtudia prompturum; in unumq́; collaturum.* Extremum *illud eſt; ut me de rebus ſingulis, quæ iſtic agantur, certiorem quã creberrime quãq́; diligentißime faciatis.* Datis VII. Cal. April. MDXIII *Anno primo.* Roma.

Thomæ Campegio, Epiſcopo Feltrinorum deſignato, internuncio apud Ducem Mediolanenſium. 13

E T *magna nobis beneuolentia* Cardinalem *gerentibus cum* Palauicinorum *familia interceßit: & nũc* DEI *benignitate ac munere ampliori loco poſiti eius ipſius gentis erga nos* Romanosq́; *pontifices egregia promerita memoria repetentes, illud in primis magnopere confidimus, ad noſtrorum oppidorũ* Parmæ Placentiæq́; *conſeruationem & incolumitatem eam familiam magno eſſe uſui ſemper poſſe, magnoq́; ea de cauſa eius familiæ fidem & diligentiam nobis adiumento futuras.* Itaq; Galeatium Palauicinum *in noſtris nobis militibus placet eſſe; & cataphractis equitibus cẽtum præeſſe: eiq́; ea ſtipendia dari uolumus; quibus eum militum numerum alat; quæ dari noſtris totidem equitum præfectis conſueuerunt.* Quos *quidem centum equites celeriter ab illo confici magnopere cupio: ut minus moræ ſit, dũ ſe utiliter gerere, nobisq́; præſto eſſe poßit.* Hanc *tu illi rem ſignificabis meis uerbis: quemadmodum etiã* Iulius Medices Archiepiſcopus Florentinorum *deſignatus &* Bernardus Bibiena Quæſtor *noſter his de rebus diligentius ad te perſcribent.* Dat. *quarto* Cal. April. MDXIII Anno *primo.* Roma.

Marco

Marco Antonio Columnæ. 14

ET animi tui præſtantiam & fidem erga me Romanosq; Pontifices tuam omnibus in rebus facile cognoui. Itaq; te de altera facio equidē plurimi; uirtusq; tua nobis antea probata & cognita eo nūc & optatior eſt & iocundior; quo ad uoluntatem illam meam, quam tibi dudum perſpectam eſſe non dubito, amplificandi dignitatem tuam, DEVS Opt. Max. etiam facultatem adiunxit. De altera nihil miror; qui antehac & huius reipublicæ maieſtatem omni ſemper ſtudio ac pietate fueris proſequutus, & nos amaueris; eandem te habere nunc, uel etiam propenſiorem in utrosq; uolūtatem; cum & tui amantes nos ampliori loco poſitos, & illam ad hominis tibi amiciſsimi curam, & procurationem uideas perueniſſe. Cæterum de militum numero in iſta urbe nobis cariſsima retinendo, reliquisq; de rebus, quæ ſcribis; ea nobis omnia ualde probantur. Iis de rebus quoniam litteras ad Epiſcopū Polæ Bononiæ magiſtratum dedi; eas ad litteras te remitto: ex quibus ea, quæ per uos curari atq; adminiſtrari uolumus, perſpicies. Datis v. Cal. Apr. MDXIII Anno primo. Romæ.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 15

INTELLEXIMVS oppidum noſtrum Regium Lepidi de re Romana optime meritum propter plurimas grauiſſimasq; ea in urbe atq; agro multorum exercituum moras, quas aliquot annos pertulit, ita feſſum laboribus, ita iam exhauſtum impĕſis ac prope conſumptum eſſe; tuos ut milites, quos Regij & in Regienſi habes, alere ulterius nō queat. Quamobrem ego; qui eam ciuitatem ualde diligo, incolumemq; eſſe, quanquàm hoc quidem fieri iam uix poteſt, maxime cupio; te etiam atq; etiam hortor; ut ad tua erga nos nondum hoc loci poſitos plurima illuſtriaq; promerita hoc etiam adiungas; quod quidem nobis erit maximum atq; luculentiſſimum; ut ex eo oppido, atq; agro tuos milites deducas: ne Regienſes pro ſuo erga nos ſtudio ultima ſe damna pati ſentiāt; difficillimoq; tempore ſuis precibus apud me nullum eſſe locum conquerantur. Id tu ſi feceris; tam nobis erit gratum, quàm ſi tantūdem atq; etiam eo amplius oneris Romæ ipſi detraxiſſes. Dat. tertio Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Magiſtratibus Regij Lepidi. 16

ET fides erga Romanos Pontifices, & pietas erga nos ueſtra; quas quidem multis in rebus perſpeximus; nobis gratiſſimæ iocundiſſimæq; ceciderunt.

runt. Itaq; ſcire uos uolumus, iſtam nobis ciuitatem uosq; ſingulos plane cariſsimos eſſe: incolumitatemq; ueſtrã & fortunas omneis eo à me ſtudio defenſum iri; ut uos ueſtri officij nunquàm pœniteat. Quod cum faciam; ad eam procurationem; quam præſtare omnibus ijs, qui ad huius reip. fidem ſe cõtulerunt, eiusq; ſub tutela ſunt, pro cura magiſtratus mei magnopere debeo; propriam etiam uoluntatem erga uos amoremq; præcipuum & germanum adiũgam. Quod attinet ad Neapolis Proregis milites a ueſtra urbe ueſtroq; agro deducendos; ſcripſimus ad illum hac de re diligenter: confidoq; uos ea, quæ uultis, conſequuturos. Prid. Cal. April. Anno primo. Romæ.

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ. 17

PROCVRATORES Regienſium; quorum ciuitatem optime de rep. eſſe promeritam omnes homines intelligunt; apud me conqueſti ſunt; propterea quod annos aliquot plurimorum exercituum & impreſsiones exceperunt & moras pertulerunt, ita ſe nunc attritos, ita plane confectos eſſe; ut Proregis Neapolitani milites ferre alereque nullo modo poſsint. Itaq; a me precibus omnibus orantes obſecranteſq; contenderunt; ne pro ſuis erga nos fidei obſeruantiæ ſtudiorum laborum meritis damna ultima perpeterentur; darem operam, eam urbem atq; agrum uti Prorex ſuis militibus ſubleuaret. Id ille

ni faceret; quo pacto quaq; uia tantum ipſi oneris ſuſtinere, tantum perferre calamitatis poſſent, plane affirmarunt ſe neſcire. Eas *ego preces, ut debebam, pro cura pontificatus mei, proq; mea in illos charitate neq; inanes eſſe neq; irritas cum magnopere cuperẽ; æquiſsima enim poſtulabant; litteras ad* Pro*regem dedi ea de re quàm potui ſtudioſiores & diligentiores.* Q*uem quidem tameſi confido; quemadmodum ſæpe mihi alias, dum* Cardinalem *gererem, plurimis maximisq; in rebus ſatisfecit; ita nunc etiã pro ſua in me obſeruãtia facile, quæ uolo, eſſe facturum: cupio tamen, magnopereq; abs te peto; ut rẽ apud illum iuues: tuaq; illa mirifica prudentia incredibiliq; lenitate, quibus quidem uirtutibus magopere abũdas, hac in re ſic utare; ut quæ ipſum per ſe facturum puto, te hortatore libentius atque celerius faciat: prædemq; te illi des; id ab eo ſi conſequemur, permagni nos eam rem beneficij loco eſſe habituros.* Tibi *quidem certe tantum debebo; ut ad meum priſtinum erga te amorẽ neceſsitudinemq; noſtrã magnus cumulus ſit acceſſurus.* Dat. Prid. Cal. *April.* MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Iuliano Medici *fratri.* Florentiam. 18

Ex *tuis litteris intellexi, te a legato iſtius reip. atq; tuo, qui apud* Ludouicum Regem Gallorum *eſt, certiorem eſſe factum, de ſummi pontificis munere mihi credito* Regem *illum magnam lætitiam cepiſſe: deq;*

deq̃; me multa grauiſsimis amãtiſsimisq́; uerbis fuiſſe loquutum. Quæq́; idem Rex de te cum illo egerit ſumma cum tua dignitate & illuſtri teſtificatione amoris erga te ſui, quantumq́; tibi tribuerit, libentiſsime cognoui. Iocunda etiam mihi fuit uoluntas; quam præ te fers, gratum te ei atq; memorem illius in te beneuolentiæ oſtendendi: rationesq́; tuæ; quibus me de tractãda pace uti cogitem hortaris; multæ illæ quidem prudenterq́; collectæ, mihi magnopere probantur. Quibus de rebus omnibus hoc te primum ſcire uolo; nullã me ad rem tam pronum tãq; propenſum eſſe; quã ad omnium Chriſtianorũ Principum animos ſanctiſsimis concordiæ uinculis colligandos inter ſeq́; conglutinandos; nihil plane tam cupere, quàm pacem. Quam quidem ſi pacem omni tempore humilioriq́; in fortuna ſummopere concupiui; cuius tu meæ uoluntatis optimus atq; locupletiſsimus eſſe teſtis potes; certe nũc Pontifex Maximus, cum CHRISTI uicarium gero, qui pacis fons atq; auctor pacem hominibus diligentiſsime cõmendauit; multo magis eam uelle, multo curare impenſius debeo. Neq; mea è memoria excidit, quantum Rex te amauerit, cum in Galliam turbulentis illis noſtris temporibus te cõtuliſſes; quóue loco apud ſe habuerit: quãta ſemper etiam in Gallorum reges cum patriæ, tum familiæ in primis noſtræ obſeruantia extiterit: in qua manere te, modo cum dignitate fiat, non ſolum uolumus, ſed etiam optamus. Eorundem Regum quanta fuerint in rem Romanam merita, quanta

ta, quanta huius ipſius; non ſum oblitus. Ipſe quoque; ſi per illum non ſteterit; omnia ei paterna officia ita ſum præſtaturus; ut quæ tu, quæ familia noſtra reliqua illi debet, etiam perſoluere uideamur uoluiſſe. Quod ſi, ut ſcribis, eius animus ea quæ recta ſunt cogitat; facile et ipſi inter nos cõueniemus; & tu, quæ uis hac in re quæq; optas, aſſequere: tuamq; apud me auctoritatem, tuas cohortationes plurimum ualuiſſe cognoſces. Vnum illud cogitare te eſt æquiſsimum: ut quoniam rex te internuncio uti apud nos uoluit; non tu illum minus ad bene de nobis merendum tuis litteris excites, quàm me ad illum amantiſsime complectendum es cohortatus. Extremum eſt; de quo te regem certiorẽ facere plane uolo; ut intelligas me daturum operam, ut illum de pontificatu meo gauiſum fuiſſe, nunquàm pœniteat: præſertim ſi æquas atq; honeſtas, hoc eſt cũ huius reip. maieſtate cõiunctas pacis cõditiones proponet. Dat. Prid. Cal. April. MDXIII. Anno *primo,* Roma.

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ. 19

TVI *præſentis ijs tractandis rebus, quæ ad te magna ex parte pertinent, ualde egeo. Itaq; te hortor, quod bona cum uenia* Proregis Neapolitani *fieri poſsit, ad nos uenias.* Dat. Cal. April. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Raimundo

Raimundo Cardonæ pro rege Neapolis. 20

QVONIAM *cum* Antonio Marchione; *ſic enim appellāt; Padulæ quædam nobis tractāda ſunt rationem ſtipendiorum et cōditiones ab eo cum Florentinis ineundas firmandasq; ſpectantia, te hortamur; quatenus ſine tuo incommodo fiat; ei permittas, ut ad nos ſe conferat.* Dat. Cal. Apr. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Vladislao Pannoniæ Boëmiæq; Regi. 21

NVNCIATVM *nobis eſt, certos* Boëmorū *militum duces magnis pollicitationibus per fautores ſchiſmatis excitatos bellū cogitare: quo bello ſchiſmaticis auxilio ſint; cumq; ijs coniuncti populos recte ſentientes, quiq; nobis parent, aggrediantur, remq; Chriſtianam exagitent atq; perturbent. Id ipſe ægre moleſteq; ferens; qui quidem a* DEO *uocatus, ut* CHRISTI *uicarium geram, Chriſtiani gregis incolumitati ſalutiq; conſulere in primis debeo; magnopere te hortor, abs teq; amanter ac uere patrio animo peto; ut eos* Boëmorum *motus cōprimas; ardoremq; animorum malis artibus ſollicitatum reſtinguas; ducesq; illos in officio contineas.* Nam *ſi ſe ſchiſmaticis adiunxerint; præter quā quod pœnam a* Iulio *ſecūdo* Pont. Max. *ſchiſmaticis conſtitutam ipſi committent; ego etiam pro mei officij*

ratione,

ratione,quin eos ſacris interdicam,pœniſq; grauiſſimis dedam, facere non potero. Erit itaq; optimum, ac propter tuam & eximiam in rebus omnibus prudentiam & perpetuam in Romanos Pont. pietatem expectatum abs te, uel plane etiam poſtulatum; & tum illis ſalutare, tum tibi ad laudem & gloriam ampliſſimum; des operam, ut Boëmis meliora cogitantibus facilius cōtra hoſtes Chriſtiani nominis noſtra arma conuerti poſſint. Id ſi feceris; cum nobis, qui propēſo animo erga te atq; beneuolo ſumus,rem gratiſſimam facies; omniaq; ad tuam dignitatem atque amplitudinem ornandam noſtra ſtudia cōfirmabis: tum de hac rep. cuius nomen Regibus præcipue ſanctiſſimum debet eſſe, longeq; commendatiſſimum; bene ampliterq; promerebere. Dat.Cal.April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Sigiſmundo Poloniæ Regi. 22

POST eas litteras, quas proxime ad te dedi, Maximilianus deſignatus Romanorū imperator mihi per litteras et per legatum ſuū ſignificauit,Regni ſui ac totius Germaniæ permagni intereſſe, ne Marianorum Theutonicorum ſocietas ulla in re uel armis uel etiam concordiæ nomine abs te lædatur. Itaq; a nobis petijt, quorum auctoritatem apud omnes nationes maximi fore non dubitabat; curaremus eam rem; utq; eæ controuerſiæ, quæ inter uos ſunt, aut iudicarentur, aut certe ſuſtinerentur, efficeremus.

Quamobrem

Quamobrem ego; qui antea illis tãtummodò de cauſis, quas ad te perſcripſi, uehementer optabam, ut uel meo Legato, *quem iſtuc mittere decreui, uel ſacro* Lateranenſi *concilio, quod mihi magis probabatur, cauſam totam cognoſcendam terminandamq́; remitteres: nunc quidem, cum a* Maximiliano *certiores facti ſumus ad ſe ſuumq́; imperium atq; ad omnes* Germanos *eas controuerſias pertinere; petatq́; a nobis ut pro noſtri officij cura demus operam, ne quid ex ijs controuerſiis detrimenti* Chriſtiana *reſp. capiat; te magis magiſq́; hortari & monere uolui, abs teq́; pro meo in te amore, proq́; tua in eum quem gero* CHRISTI *uicarium obſeruantia iam et petere & liberius contendere; uelis tuam cauſam, ut maiori cum dignitate tranſigatur, a* Lateranenſi *concilio cognoſci & terminari.* Primum enim *tua, deinde* Imperatoris *totiusq́;* Germaniæ, *demum etiam noſtra maxime intereſt, quibus quidem ea ſocietas præcipue ſubeſt, ei ſocietati præiudicium non inferri ullo modo.* Cogitare *etiam illud debes, firmã quidem inter uos concordiæ rationem poſſe nullam inueniri; nullam eſſe pacem, nulla fœdera diutius permanſura; quæ non eorum omnium, quorum intereſt, conſenſu uoluntateq́; ſanciantur.* Id *autem, niſi* Romæ *conficitur, quo pacto fieri apte poßit, plane nõ uideo.* Quamobrem *ſi in eam cogitationem diligentius incubueris, ut des operam, ne fruſtra ſcripſiſſe, ac temere in noſtris hortationibus ſpem hæc ut uolumus tranſigẽdi poſuiſſe uideamur; de ipſa certe rep.*

deq́;

deq; nobis bene te eſſe meritum, & ipſe profitebor, & tu ſenties. Dat. Cal. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Henrico Regi Britanniæ. 23

ET ſi ea; quæ de tua religione atq; in hãc remp. noſq; ipſos propenſa præſtantiq; uoluntate, deq; tuis plurimis egregijsq; uirtutibus Epiſcopus Vnigornieñſis Legatus tuus quotidie commemorat; mihi per ſe gratiſſima iocundiſſimaq; ſunt: tamen illa ipſa gratiora etiam & iocundiora efficit eiuſdem oratoris probitas, prudentia, uirtus, atq; is, quo illum amplexus magnopere ſum, amor charitasq; mea prope ſingularis. Itaq; cum de te ea, quæ uolo, quæq; de Rege præſtantiſſimo magnæq; ſpei adoleſcente poſſunt dici, libenter exaudio: tum propterea, quod ab homine nobis amiciſſimo & uirtute prædito tuæ uirtutes prædicantur; uberiorem ea res noſtram eã uoluptatem facit. Spem enim capio fore; ut; quoniam animi tui magnitudinem atq; præſtantiam cum egregia in DEVM Opt. Max. pietate, in Romanos Pontifices obſeruantia maxime coniunctam & conſociatã eſſe intelligo; & tu de tuis uirtutibus uberrimos iocundiſſimosq; fructus, & Chriſtiana reſp. de te magnos prouentus, egregia incrementa, illuſtres utilitates ſit perceptura. Quam te in cogitationem incumbere noctes atq; dies decet; ut in iſta adoleſcentia florentiq; tua ætate ea fundamenta iacias

cias

cias uirtutis & probitatis tuæ; quibus reliqua ætas omnis egregie præclareq; nitatur. Quod erit; ſi in huius Pontificatus obſeruantia non modo permanebis; ſed etiam in dies ſingulos magis magisq; te accendes ad eius dignitatem maieſtatem gloriã & tuẽdam & augendam. Id cum, ut ſpero, ipſe feceris: curabo profecto ego enitarq; ; ut ea tibi a me ornamenta proficiſcantur; quibus lætari facile poßis te eiuſmodi cogitationes ſuſcepiſſe. Hæc autem, atque his longe plura; deq; mea non ſolum ſpe, ſed etiam erga te mente, quanquam multa cum oratore tuo egerim; in meas tamen etiam ad te litteras partem eorum aliquam facile conieci; ut tibi ipſe omnia de me paterna officia polliceri uberius & cumulatius poſſes. Reliquum eſt, ut intelligas, eundem ipſum oratorem tuum; quem tum etiam, cum fortuna leuiore nitebamur, unice ſemper diliximus; nunc, quia is egregiam tibi ſingularemq; operam præſtat, a nobis etiam impenſius amari. Eius enim & prudẽtiam atque agendis rebus probitatem cognitam perſpectamq; habuimus iam inde ab illis temporibus; cum is uiri clarißimi patris tui iſtiusq; regni res negotiaq; procurabat ſumma atq; mirifica diligentia: & poſtea ex aduerſis eius turbulentisq; rebus, quæ ſunt illa tempora conſequutæ, magnam moleſtiam cepimus: utq; hominis plane probi & nobis amicißimi ægre moleſteq; tulimus illam calamitatem. Quas ob res atq; cauſas omneis cum eum tibi eſſe carißimum exiſtimem; illud magnopere cupio, ut mea commẽ-

datione tibi ſit etiam carior; omnibusq́; in rebus, quæ ad eius dignitatem pertinebunt; quibus in rebus ei aſpirare proueherec̨; illum poßit aura ſtudij & fauoris tui; quæ quidem res erunt ſemper plurimæ atq; maximæ; & fidem illius erga te, & meam in illum beneuolentiam charitatemq́; recordere. Dat.tertio Non.April. MDXIII. Roma.

Sacris Virginibus muratarum Florentiæ. 24

NVMOS *aureos ducentos procuratori ueſtro curari iußi, munus quidem pro mea in uos uoluntate ſane puſillum: ſed hoc leuius initium meam erga uos liberalitatem promendi uberiores in dies largitiones conſequentur. Vos tantum & hortor ſingulas, & amanter ac paterne rogo;* DEO Opt.Max. *beatißimæq́; matri ſemper uirgini, quibus quidem ueſtras preces eſſe gratas & probatas puto, eo nomine gratias agatis; quod me nihil omnino de ſeſe meritum ſui uicarium filij gerere in terris uoluerũt; atq; in huius Pontificatus tã illuſtri faſtigio collocauerunt. Qua quidem in ſtatione atque munere me ut excitent ad ea & cogitanda & procuranda, quæ ſuæ maxime uoluntati conſentanea ſciunt eſſe, ut ab ijs ſuppliciter petatis; ego a uobis diligenter peto & poſtulo.* Dat.tertio Non.April. MDXIII. Anno primo. Roma.

Raimundo

Raimundo Cardonæ pro rege Neapolis. 25

GALEATIVM, Antonium Mariam, Octauianum, & Chriſtophorum fratres Marchiones Palauicinos; quorum egregiam erga Romanos Pontifices fidem et obſeruantiam plurimis in rebus perſpexi; tibi magnopere commendo: hortorq́; te; ut omnibus in rebus, quæ quidem ad dignitatem eorum commodaq́; pertineãt, eos eorumq́; neceſſarios tueare: cogitesq́; ſi uniuerſam illam familiam cariſſimam habueris, teq́; illi cõmodum beneuolumq́; præbueris; te mihi rem gratiſſimam eſſe facturum. Dat. tertio Non. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 26

ET antehac Galeatij, Antonij Mariæ, Octauiani fratrum Marchionum Palauicinorum, uniuerſæq́; eorum familiæ in hanc remp. pietas perſpecta & cognita nobis fuerat, cum in Cardinalium collegio uerſaremur: & nunc plane illam illuſtriorẽ fecit Chriſtophorus eorum frater: qui accepto de Pontificatu noſtro nuncio ad nos ſe contulit: oſtenditq́; quanti nos faceret multis amantiſſimisq́; uerbis. Itaq; eos ipſos, neceſſariosq́; eorum omnes ſummopere diligimus; chariſſimosq́; habemus, & certe ſumus habituri. Hæc ideo ſcire te uolui; ut tametſi conſiderem

uel propter familiæ ſplendorem, uel per ſeſe charos tibi eos fratres eſſe; haberes tamen ipſos multo etiã meo nomine chariores; omnibúsque eorum in rebus amori erga illos meo tantum tribueres; quantum pro ea, qua te amplector, charitate ij, qui mihi ſunt chariſsimi, expectare a te non temere poſſunt. Itaq; eos tibi omnes commendo maiorem in modum: utq; ipſos mea cauſa perhumaniter amplectare, plane abs te peto. Erit id mihi ſane gratiſsimum. Dat. *tertio* Non. *April.* MDXIII. *Anno primo. Roma.*

Ferdinando *Hiſpaniæ* Regi. 27

PRAETER *eam; quam tu quidem omni tempore* Romanæ *reip. fidem pietatemq; præſtitiſti; pro cuius auctoritate maieſtateq; defendenda plurimas grauiſsimasq; cõtentiones nõ es ueritus ſubire atq; ſuſcipere: præterq; illã ſingularẽ beneuolẽtiam; qua nos a mea, familiam uero noſtram ab ineunte tua ætate es proſequutus: ea etiam res nos delectat; quod qui me leuioribus in fortunis degentem ſemper iuuiſti, maioremq; eſſe uoluiſti; eundem te nunc, cum quidem hoc in ſtatu & dignitate ſummi* Pontificatus DEI Opt. Max. *clementia nos collocarit, libentiori animo confidimus omnia curaturum, quæ ad noſtram cum huius imperij maieſtate cõſociatam dignitatem tuendam amplificandamq; pertinebunt.* Itaq; *inter alia; quæ mihi quidẽ pro mea pietate uoluptati atque*

que lætitiæ ſunt; tuum & in Romanos Pontifices animum,& in me amorē in primis pono. Sed & hæc, & alia plura cum Hieronymo Vicco Legato tuo homine ſingulari prudentia prædito nobiſq; gratiſſimo communicauimus: qui ad te omnia diligēter perſcribet. Ea tu intelliges: dabiſq; operam; ut, quæ ad Petri nauis trãquillum proſperumq; curſum pertinent, ita cogites; ut tuam ueterem in CHRISTI uicarios pietatem nobis in puppi ſedentibus etiã auxiſſe uideare. Ego certe nulla in re dignitati,amplitudini,gloriæq; tuæ deero. Dat. Prid. Non. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Bernardino Seuerinati Biſinianorum Principi. 28

QVAM mihi tuo nomine reddidit Mannæ pixidem miles Hieroſolimitanus Vincentius; ea ſane munus quidem & per ſe elegans, & mihi gratum fuit. Vincētium etiam; ut ueterem familiarem meũ, quemq; in primis diligo; & uidi ipſum libenter; & quæ abs te attulit cognoui diligenter. Quibus in rebus ab eo meum conſilium intelliges. Dat. VIII Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Ioanni Boiardo Regienſi. 29

EA; quæ tu his diebus proximis & amanter, & forti magnoq; animo egiſti iſta in ciuitate mihi cariſſima,deq; me optime merita in officio retinen-

da; mihi ſane gratiſſima ceciderunt. Itaq; te de hac tua tam præſtanti uoluntate uehementer laudo; fidemq́; & probitatem tuam facio plurimi: ſcireq́; te uolo; tuam mihi rem, dignitatem, familiam, tuos omneis magnæ curæ & eſſe nunc, & ſemper fore. Modo tu, quod reliquum eſt, eundem te in poſterum, qui quidem adhuc fuiſti, tuiq; ſimilem & germanum præſta. Porro officium optime te poſuiſſe cognoſces. Dat. VII Id. April. Anno primo. Roma.

Laurentio Campegio, Feltrinorũ Epiſcopo, & Cornelio Galanti, meis apud Ducem Mediolanenſium internuncijs. 30

MANDAVI Bernardo Bibienæ Queſtori meo, ſcriberet ad uos ea, quæ ſcribenda erant hoc tempore: & erant illa quidem non minimi põderis. Quamobrem eius litteris fidem omnem habebitis: quæq; uolo per uos fieri, ſic ea conficietis; ut de ueſtra diligentia & ſtudio uos & laudandos & ornãdos putem. Dat. VI Id. April. MDXIII. Anno primo. Roma.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX.
Nomine ſcriptarum,

LIBER SECVNDVS.

Petro Bibienæ noſtro apud Venetos internuncio. 1

ALLATVM *ad nos eſt, Senatũ iſtum Venetum remq; pub. cum Ludouico Gallorum Rege fœdus percuſsiſſe, pactionesq; inter ſe atq; illũ firmauiſſe. Ea de re quoniam neq; ab Legato Veneto, neq; abs te uerbum ullum: eſſe autem ita de iſta rep. meriti uidebamur, ut celari ab illa tantis de rebus non debuiſſemus: uera eſſe quæ feruntur non exiſtimo. Quia uero a multis magnis illis quidem & probandis auctoribus nunciantur; nullam illis fidem habere plane non queo. Itaq;, quoniam res eſt eiuſmodi, ut maxima momenta uideatur habitura, maximasq; & periculoſiſsimas rerum conuerſiones allatura; has ad te litteras per meum tabellarium magnis itineribus perferri uolui: tibiq; mando; ut ab iſto Senatu; cuius quidem & erga Romanam Remp. illuſtri obſeruantia, & erga me ſpectato perueteriq; amore multum confido; cures ea te de re fieri quàm diligentiſsime certiorem: ip-*

ſumq́; horteris ad omnes ſuas cogitationes nobiſcum communicandas. Eſſe enim illi exploratißimum debet, ſuam ſibi incolumitatem, dignitatem prope non maiori curæ eſſe; quàm ſint mihi. Quibus de rebus omnibus per eundem tabellarium ad me reſcribes, quæ cognoueris: dabisq́; operam, ut is ad nos quàm ocißime reuertatur. Dat. v Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Guidoni magno Magiſtro & conuentui Rhodio. 2

VINCENTIVM *equitem* Hieroſolimita*num ueterem familiarem meum unice diligo: eius etiam & opera & fide & utor multis in rebus hoc tempore, & uti in poſterum cogito.* Itaq́; *eſſe illum iußi apud me. Qua de re certiores uos fieri uolui; ut, ſi is cum reliquis ueſtræ ſocietatis militibus, qui quidem ad defendendam* Rhodum *præſto uobis eſſe compelluntur, non erit; culpam in ipſum ne uertatis; néue pœnis in illos a uobis conſtitutis, qui edictis ueſtris non paruerint, eum mulctandum ſtatuatis: ſed potius uti mea cauſa manere hic iuſſo æquos uos illi atq; beneuolos præbeatis.* Erit *id nobis gratũ.* Dat. *quarto* Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Raphaello Beſalù *& ſocijs apud* Venetos *mercatoribus.* 3

MANDO *uobis; ut omnem pecuniæ ſummam,*

quam

quam habetis ex rationibus Michaëlis epiſcopi Monopolitani, eam Petro Bibienæ internuncio meo quã primum curetis. Dat. tertio Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Antonio Mariæ Marchioni Palauicino. 4

TVAM quidem & fratrum tuorum atq; uniuerſæ prope familiæ gentiſq; ueſtræ in ſummos Põt. fidem & pietatem multis illam quidem in rebus mihi antea plane cognitam, nuper ex oratione Chriſtophori fratris tui etiam libẽter agnoui. Amorem autem & beneuolentiam officiaq; ueſtra; quæ quidem in me nondum Pontificem Max. multa & præclara contuliſtis; non tam ex ipſius uerbis, parce enim & pudenter eam rem attigit, quam meo more illum intuens ſum recordatus. Itaq; uos omnes, teq; in primis cum propter meas rationes, tum ueſtra ipſorum cauſa ualde amo; habeoq; chariſſimos. Tuam uero præcipue uirtutem etiam ornare magnopere cupio. Itaq; cum primum ſe occaſio dederit, ut militum res Romana indigeat; te uocabo, & in noſtris exercitibus loco egregio habere, tuamq; dignitatem amplificare in primis curabo. Quanquàm etiam fratres tuos eo tempore inornatos non relinquam. Hanc meam uoluntatem latere te nolui; ut ſcires non ſolum amari te a me; ſed etiã tuos omneis, teq; in primis magnæ mihi curæ eſſe. Dat. tertio Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Ioanni Paulo Balioni. 5

Mittimus Peruſiam Matthæũ familiarem noſtrum ad perquirendum Nicolaum Foroliuienſem; quem iſtic latere certiores facti ſumus; curãdumq́; ut is in cuſtodia quàm primum fieri poteſt, habeatur. Quamobrem magnopere te hortor, proq́; noſtra dignitate etiam atque etiam moneo; ut Matthæum cura, ſtudio, fauore tuo iuues; omnibusq́; in rebus illi præſto ſis; ut facilius atq; celerius ea, quæ uolumus, curare atq; conficere poſſit. Dat. Prid. Id. April. Anno primo. Roma.

Franciſco Pulicæ. 6

Et diligentia tua in noſtris mandatis peragendis, & Bretinori Decurionum alacritas & fides in illis accipiendis, mihi probatur. Quamobrem ad eas, quas ad me dediſti litteras ita tibi reſpondeo; ut ſi tibi a Bretinorianis ſatisfactum abũde eſt; culpamq́; ab ijs ex eo tempore, quo te Bretinorum miſimus, abeſſe cognoſces; Præfecto noſtrorum militum, ipſisq́; militibus mandes ut ad Bretinorum ne accedant, neue in agrum Bretinorianum impetum faciant: ſiqui in eo nunc ſunt, uti inde quàm primum decedant; eorumq́; res intactas poſthac, atq; ipſos incolumes ſinãt eſſe. Id ni fecerint; mulctam, quam uoles, eis ſtatuendi tibi ius facultasq́; eſto. Quod uero attinet

ro attinet ad priorem eorum in nos mandataq; noſtra temeritatem & arrogantiam; ea de re uolumus, ut Epiſcopus Polæ Bononiæ magiſtratus iudicet; condemnetq; illos, uti ſibi æquum & iuſtum uidebitur. Alexandrum autem, quem iſtic in cuſtodia ſcribis eſſe; eidem magiſtratui mittes; ut is de eo modis omnibus quærere poßit, quæ ſunt quærenda; & ſtatuere, quæ ſtatuenda ſunt. Quibus tu confectis rebus, & recte ut uolumus cõſtitutis, ad nos te referes. Dat. Id. April. M D XIII. Anno primo. Romæ.

Altobello Epiſcopo Polæ, Bononiæ Magiſtratui. 7

DE Alexandro Nauio; quem ad te in cuſtodia mitti iußi; diligenter abs te quæſtionem haberi uolo ad ueritatem admißi facinoris inueſtigandam: quo rectius quæ æqua ſunt, decernere atq; ſtatuere poßis. Eius poteſtas tibi fiet a Franciſco Pulica internuncio apud Bretinorianos meo: ad quem litteras dedi ea de re. Id tu pro tua diligentia curabis: meq; facies de eo, quod egeris, certiorem. Præterea quoniam Nicolaum Foroliuienſem eſſe Peruſiæ intellexi; isq; ſe unà cum Ioanne Paulo Balione, qui eſt propediem ad Venetorum caſtra profecturus, fortaſſe in uiam dabit, ut ſe in tutum recipiat; iterq; iſtac faciet: mando tibi; ut diligenter illum inueſtigari ac perquiri cures. Qui ſi in illius comitatu erit; des operã, ut uel a Balione ipſo tibi dedatur; uel a te intercipiatur: omnibusq; modis caueas, ne elabi ſubterfugereq;

gereq́; te poſsit. Cæterum tuæ prudentiæ permitto; ut prioris Bretinorianorum in nos audaciæ & ſceleris de ipſis ſumere pœnas poſsis. Aequum eſt autem, illud te prius diligenter inſpicere; metúne illi noſtrorum militum tuos admittere ad ſeſe homines, tua facere mandata recuſarint. Id ſi ita eſt; ignoſcere te eis nolo, nec ſeuerius quicquàm in eos decernere. Sin aliter ſe res habet; ex noſtra dignitate negotiũ adminiſtrabis, quemadmodum tibi æquum & iuſtum eſſe uidebitur. Dat. Id. April. MDXIII. Anno primo. Romæ.

1513 Franciſco Mariæ, Vrbinatium Duci, Vrbis & reip. militum præfecto. S

ET uirtus & diligentia in regendis exercitibus tua egregiaq́; in nos obſeruantia; amor etiam erga familiam noſtram tuus; qui profecto, dum nos ipſi in collegio Cardinalium uerſaremur, omnibus in rebus ſemper enituit; nunc quidem, cum DEI Opt. Max. benignitate ſummus nobis Pontificatus creditus delatusq́; eſt; nos admonent, ut te ijs ornamẽtis afficiamus; quibus a nobis non præteritus hoc ingreſſu noſtri muneris uideri poſsis. Itaq; nobiſmet ipſi pollicentes, eundem tuum animum, eandem nobis fidem poſthac nõ ſolum præſtitum abs te, ſed auctum etiam & cumulatum iri; neq; modo adoleſcẽtiam, ſed uirtutes etiam tuas ſuum certe robur incrementumq́; capturas; quo eras loco & ſtatu apud

Iulium

Iulium patruum tuum, qui Pontifex Max. ante nos fuit; in eodem etiam apud nos eſſe te uolumus: tibiq; imperium noſtrorum exercituum, quò cum imperio nunc es, in annum quidem proximum certe, in alterum autem, quoad nobis libebit, extendimus & prorogamus; cum eadem, quam habes, turma ducentorum equitum cataphractorum, & leuis armaturæ equitum centum; eodemq; ad eos alẽdos ſtipendio tibi ſolito dari numum aureorum tricies mille; ad te uero ipſum decies & termille atq; octingẽtorum quadraginta quatuor. Quod quidẽ certe munus meæ in te beneuolentiæ ſi ut libenti animo tibi a me defertur, ita tu eo munere nauiter atq; ſtrenue fueris uſus; quemadmodum plane confidimus te facturum; non uereor, ne ad ueterem meum uere paternum in te amorem adiunctis in dies ſingulos recentibus tuis in remp. meritis a nobis omnia ſis impetraturus; quæ ad tua commoda, dignitatem, amplitudinem ab huius Pontificatus maieſtate non abhorrentia pertinebunt. Dat. XVI Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Petro Bibienæ internuncio. 9

SCRIPSIMVS de menſe Martij Leonardo Lauredano Venetiarum Principi; mandaret ut fructus eccleſiæ Adrianæ, qui per ipſius miniſtros cõtra fas impediri dicebantur, Beltrandi Epiſcopi Adriæ procuratoribus reſtituerentur. Id quoniam factum

ctum adhuc non eſt: cauſam autem eius rei dicunt eſſe; quod quibuſdam ſacris uirginibus Venetis in Ferrarienſi agro ſui item fructus iniuſte detinentur: mando tibi, ut eundem Leonardum horteris; quæ Epiſcopo Adriano contra ius detenta ſunt; quoniam is nihil habet cum illis uirginibus commune; ea reddi aliquando tãdem eius procuratoribus imperet. Qui uero illarum uirginũ fructus a Ferrarienſibus intercepti dicuntur eſſe; de ijs me confidat eſſe ius petentibus adminiſtraturum. Dat. XII Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Octauiano Epiſcopo Laudis Pompeiæ deſignato. 10

CVM pluribus te de cauſis alloqui magnopere cupiã; ualde te hortor; ut ad urbẽ uenias: ut poßim coram tecum agere, quæ uolo. Erit id mihi uehementer gratum. Dat. IX Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 11

QVONIAM Octauianum Epiſcopum Laudis Pompeiæ deſignatum pluribus de cauſis eſſe hic magnopere cupio; peto abs te, ut illi ad nos ut ueniat, non permittas ſolum; ſed etiam ſuadeas: quem quidem ſum; ſi uenerit, amanter paterneq; ſuſcepturus. Dat. IX Cal. Maias. NDXIII. Anno primo. Romæ.

Magiſtratibus

Magiſtratibus Ariminenſium. 12

Mando uobis; ut Achillem Taurellium cum ſuis equitibus omnibus ueſtrum in agrum recipiatis; & quæ dari noſtris militibus ſolita ſunt, ei militibusq; eius dari iubeatis: neq; difficiles uos præbeatis ea in re; quemadmodum quidem mihi demõſtratum eſt ſolere uos perſæpe facere. Id autem eo uobis erit leuius; quo iſti ipſi paucos apud uos dies ſunt milites commoraturi. Dat. IX Cal. Maias. Anno primo. Roma.

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum internuncio. 13

EXEMPLVM litterarum, quas ad Maximilianum Mariam, Ducem Mediolanenſium dedi de reſtituenda Marco Cardinali Senogallienſi oppidi Cugnoli poſſeßione, habebis cum his litteris. Tibi uero mando; ut cum ipſo Duce agas curesq; diligenter eam rem; quã tu ijs ex litteris uelle me magnopere cognoſces: ut Cardinalis ius ſuum obtineat: ne iam mihi ſæpius eadem de re ſit ſcribendum. Dat. ſexto Cal. Maias. Anno primo. Roma.

Alphonſo Ateſtino Ferrarienſium Duci. 14

FRANCISCVM & Paſotum Fantutios ciues Bononiẽſes bene de nobis meritos captos a tuis

miniſtris complures iam menſes in cuſtodia magi-ſtratus tui habent. Eos *quoniam & amo ipſos; & mihi admodum indecorum eſt meos homines hone-ſtos uiros ſic affectos & captos abs te detineri: con-ſtitutum mihi erat, cum hic eſſes; te præſentem al-loqui ac plane abs te petere, ut eos permitteres do-mum redire.* Verũtamen *id facere ante quàm ea, quã habes mecum, magni ponderis cauſa componeretur, haberetq; finem ſuum; ſane nolebam: ne quæ leuio-ra eſſent, grauioribus anteferrentur. Itaque tu quia confecta nondum re* Roma *diſcedere uoluiſti;* Fan-*tutiorum liberationem etiam differre aliud in tem-pus ſtatueram: & profecto diſtuliſſem; niſi, ut po-ſtea intellexi, tantula illis mora, quorum mihi ſa-lus chariſsima debet eſſe, magnum eſſet detrimentũ, magnam calamitatem allatura.* Nam *præter quàm quod in cuſtodia eſſe atq; in carcere per ſe miſerum calamitoſumq; eſt: permagni eorum intereſt ipſos hoc tempore cum domi eſſe poſſe, tum uel maxime ad nos accedere ſuarum fortunarum prope omnium conſtituendarum cauſa.* Quamobrem *ne rei eiuſmo-di tam per ſe piæ, tam mihi debitæ, tam illis ſalu-taris confectio diutius proferatur; te iam nunc etiã atq; etiam hortor, ut eos miſſos facias; ut redire in patriam, atque ad me uenire poßint.* In *eo tametſi boni principis munere eris ipſe functus; quod per te facere ſemper debes; tuum tamen tum facilem & liberalem, tum uero propenſum ad bene de me me-rendum animum etiam libenter agnoſcam.* Dat.

quinto

quinto Cal. Maias. Anno primo. Romæ.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 15

INTELLEXIMVS *de Alexandro Gabloneta procuratore tuo certiorem te eſſe factum, quoſdam principes in Italia uiros contra te cogitare; armaq́; ab ijs comparari, quibus te ditionémque tuam aggrediantur. Itaq; te precibus omnibus petere, ne tuos populos tuasq́; fortunas ullorum hominum cupiditate atq; libidine turbari diuexariq́; pateremur. Quas ad res ita illi reſpõdimus; exiſtimare nos neminem quidem in noſtri Signiferi ditionẽ armis inuaſurum; præſertim nobis chariſsimi, atq; in noſtræ beneuolẽtiæ tutelam & curam amantiſsime recepti. Veruntamen ſiquis erit tam a nobis alienus, in te ut ſit atque in tuos eiuſmodi quidpiam moliturus; polliciti illi ſumus, nos tibi præſto futuros, eiq́; interminaturos, ut ſe contineat. Quod ſi ij noſtri monitus atque minæ nihil proderunt: exercitus ipſos noſtros Franciſcumq́; Mariam Vrbinatium Ducem generum tuum cum imperio ad te defendendum, hoſtesq́; tuos, quos eſſe noſtros exiſtimabimus, propulſandos & profligandos mittemus. Itaq; te uolumus bono animo eſſe, atque exiſtimare urbem iſtam nobis tuam tuosq́; populos non minori curæ eſſe; quàm quæ urbes quiq́; populi ſub noſtra ipſorum ditione ſunt: eãdem utroſq; fortunam, idem periculum ſubituros. Quæ quidem omnia tametſi Alexandrum ipſum ad*

te ſcripſiſſe

te ſcripſiſſe diligenter exiſtimo: uolui tamen noſtris etiam litteris ad te perferri: ut per me quoque de meo in te animo ac uoluntate fieres certior. Dat. tertio Cal. Maias. Anno primo. Romæ.

S. Daciæ Regi. 16

PERLATVM eſt ad me, quod quidem mihi ioeundiſſimum fuit, magno te iſtarum nationum fauore incredibiliq; uoluntate Regem Daciæ ſalutatum illuſtris uiri patris tui loco bene & cum laude regnare; adoleſcentiæq; tuæ annos egregia ſpe tuorum de te populorum firmare: itaq; eiuſdem patris tui deſiderium præſenti tua præſtãtiq; uirtute facile leniri. Quam nos rem, euentumq; tum fortunæ tum prudentiæ in primis tuæ animi erga te noſtri propenſione ſociantes, te paterna noſtra charitate ac pietate amantiſſime complectimur: omniaq; tibi, quæ quidem ad Regium honorem dignitatemq; tuã confirmandam augendamq; pertinebunt, quoad noſtræ rationes patientur, libentiſſime polliceor. Quoniam autem ea noſtra mens eſt, is animus; ut Chriſtiani Reges atq; Principes, qui diſſentiunt inter ſe, concilientur; ut ad Chriſtiani hoſtes nominis repellendos, ſuſcipiendumq; contra Turcas bellum conuertere cogitationes noſtras poſſimus: te hortor; ut hanc noſtram uoluntatem iuues. Id optime fiet; ſi in Reges Chriſtianos, quiqui ſunt, tua arma non mouebis; tuasq; uires non exercebis. Quorum quidem

quod unus in primis Henricus Britanniæ Rex multis de cauſis mihi eſſe chariſſimus debet: illud abs te impenſius peto & postulo; ne eum Regem eiusq; populos aut laceſſas & perturbes ipſe, aut id fieri permittas a tuis. Hoc nobis gratius facere nihil potes. Dat. tertio Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Hippolyto Cardinali Ateſtino 17

Ex tuis litteris intellexi id, quod etiam ſine ijs exploratum mihi erat; Pontificatus mei nuncio audito te magnam lætitiam cepiſſe. Itaq; mihi ea de re officioſiſſime amantiſſimisq; uerbis gratularis. Aegre fers etiam ſuffragiorum ferendorum tempore te nō affuiſſe. Quæ quidem mihi omnia optatiſſima legēti iocundiſſimaq; fuerunt: ex animo enim beneuolentiſſimo mihi dudum perſpecto & cognito ſane proueniunt. Magnopere autem uellem eo te tēpore Romæ fuiſſe: rem enim noſtram, qui tuus eſt in me amor, profecto in primis iuuiſſes. De meo uero in te animo ita te uolo exiſtimare: amorem meum; qui quidem antea erga te atq; Alphonſum Ducē Ferrarienſium fratrem tuum eximius ſemper fuit; hac in me DEI Opt. Max. benignitate ac munere etiam auctū multiplicatumq; eſſe: ut quo maior ipſe ſum, eo uterq; ueſtrum & coniunctior mihi ſit, & certe carior. Quod autem mihi eundem fratrem tuum cōmendas: uoluit is iuſtis quidem de cauſis, quas ab ip-

ſo intelliges, infectis rebus ſuis Roma proficiſci. Spero tamen, quoniam eius rei fundamenta iecimus; quod ſupereſt, me daturum operam; ut intelligatis uos mihi ambos incolumitatemq; ueſtrã magnæ curæ eſſe. Dat. tertio Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Paulo Germano Migdelburgenſi Foroſempronienſium Epiſcopo. 18

Egregiam in omni prope diſciplina doctrinam tuam, plurimarumq; optimarum artium ſcientiam maximi ſemper feci. Quamobrẽ excellens tuũ ingenium ſtudio ac fauore meo commendare aliqua nunc iam in re atq; proſequi cupiens, libros de Paſcæ obſeruatione ac mortis Dominicæ die; quos nouiſsime confeciſti, uolo, atq; igni & aqua interdico & mando, nequis imprimere poſsit, imprimiue facere, aut impreſſos uenundare, quoad uixeris; præter te: ut uſum aliquem ex tuis laboribus hac etiam ex parte percipias: ipſiq; tui libri diligentius impreſsi in lucem prodeant. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Sigiſmundo Regi Poloniæ. 19

Proximis diebus te hortari unis atq; alteris litteris non deſtitimus; controuerſiam, quam cũ Alberto Pruſiæ Magiſtro aliquot iã annos habes, habuiſtiq;

habuiſtiq́; cum corũ nonnullis, qui ante illum Magi*ſtri fuerunt; ut aliquando tandem terminari ſine armis poſſet; uelles eam ſacro* Lateranenſi Concilio re*mittere; à quo quidem maxime conuenit* Regũ *cauſas diſceptationesq́; iudicari.* Qua *in re ſi meis hortationibus animum adhibuiſti; quæq́; te facere ipſe æquum & iuſtum putabam, ea concordi inter te atq; illum uoluntate es iam ita complexus, ut ei* Concilio *uterq; ueſtrum ſuam cauſam remittendam ſtatuerit; eiuſmodi nuncium læto animo accipiam: teq́; de tua iſta lenitate atq; in remp. obſeruantia magnopere commendabo. Sin autem; quemadmodum & a* Thoma *ſancti* Martini *& ab* A. *ſancti* Sixti *Cardinalibus; qui te ſummopere diligunt, & quibus incolumitas tua, dignitas, amplitudo magnæ curæ eſt, nup intellexi, lubens ipſe paratusq́; es ad ea pacta fœderaq́; ſeruanda, quæ quidem ſolemniter inter uos nouiſsime ſtatuta ſanctaq́; ſunt, quæq́; propediem ſunt ſanciēda; tua iſta uoluntas etiam atq; ad pacem propenſus animus mihi plane uehemēter probatur.* Teq́; *magnopere hortor, ab illis ipſis, quas commemoraui, tum factis tum ijs quæ fiunt pactionibus ne recedas: modo eiuſmodi ſint; quibus arma & diſcordiæ auferantur, pax atq; tranquillitas exoriatur. Si enim is exitus iſtic aut partus iam eſt, aut comparari, modo uelitis, poteſt; quid attinet noua iudicia quærere: quæ quidem ut ſuum ad finem perduci poßint; neq; breuis temporis, neq; parui ſumptus propter locorum longinquitatem indigeant neceſſe eſt?* Quamob-

rem abs te nunc quidem uehementer quæſo & opto; primum ut in eadem ſententia te te cõfirmes ac plane perſtes: deinde ut nullam prorſus anſam Pruſiæ Magiſtro des a pacto inter uos fœdere deſciſcendi: uel potius ut omnia cogites, omnia præmunias, omnia moliare; quibus ille nihil queri de te, nihil inuenire cauſæ poßit ad pacem concordiamq; reijciendã. Hoc nos hortari monereq; te non magis noſtrum eſt; quanquàm id quidem noſtrum maxime: pacem enim a Domino relictam nobis atque traditam cum alijs uelle communicare magnopere omnes debemus: quã tuum etiam modis omnibus præſtare atq; efficere, ne te fruſtra monuiſſe uideamur. Qua in re præter quã quod tuæ tuorumq; populorum quieti optime abs te conſuletur; nobis etiam rem gratißimam facies: De re autem p. cuius te obſeruantißimum ſemper fuiſſe omnes prædicant, etiam bene merebere. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Roma.

Alberto ſocietatis Marianorum Theutonicorum magno Magiſtro. 20

SVPERIORI epiſtola te etiam atq; etiam monui, uelles eam controuerſiam, quam cum Sigiſmundo Rege Poloniæ multos iam annos habes; ut aliquando res ipſa atq; cauſa confici ſine armis poſſet; uel tantiſper ſuſtinere, dum noſter Legatus ad iſtas regiones mitteretur; qui quæ æqua eſſent, inter uos ſtatueret: uel ſacro Lateranenſi Concilio remittere: a quo

a quo maxime conuenit magnorum Principum cauſas diſceptationesq́; iudicari. Nunc autem quoniam ijs de rebus diligētius perquirētes intelleximus proxime inter uos pactum ſanctumq́; eſſe quid uterq́; ueſtrū facere, quibus ſtare conditionibus debeat: quo ex fœdere erat ſtatutum, ut quæ ſupereſſent controuerſiæ inter uos, pactis eæ atq; fœderibus ad octauū Idus Maias terminarentur: quanto maiore poſſum ſtudio ac diligentia te plane hortor; quæ ſolemniter celebrata inter te & Regem Poloniæ pacta conuentionesq́; ſunt, eas ne reijcias; celebresq́; quæ ſunt celebranda, ſic plane, ſi erunt eiuſmodi; ut bella contētionesq́; deponantur; ſecuritas atq; ocium ſubſequatur. Nam ſi is iſtic finis uel paratus iam eſt, uel parari uobis uolentibus poteſt: quid opus eſt nouorum iudiciorum: ad quæ quidem terminanda neq; breuiſſimi temporis, neq; minimæ impenſæ propter regionum longinquitatem uterq́; ueſtrū indigebit? Quanquàm, ut uerum fatear, pupugit me rumor quidam tibi plane non honorificus, mihi etiam permoleſtus; qui multorum iam uocibus & ſermone percrebuit; iactantium, per te fieri, abs teq́; impediri, ne res ad exitum perducatur. Quare his quidem litteris impenſius etiam abs te poſtulo & peto; ut quibus pactionibus pollicitus es te ſtaturum; ijs ne te laxes; fidemq́; tuam præſtes; omniaq́; agas, coneris, efficias deniq;, ut pax inter uos conficiatur, neq; Rex Poloniæ conqueri de te apud nos ullo modo poßit. Quā plane te ad rem uel hortari uel monere, non magis

mei muneris eſt; quod tamen eſt in primis meum; quàm tui etiam efficere; ne fruſtra operam poſuiſſe nos appareat. Ita enim & tuæ tuorumq; quieti magnopere conſules; & tua in nos præclare officia cõſtabunt. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXII I. Anno primo. Roma.

Cõuentui et ſocietati Marianorũ Theutonicorũ. 21

SCRIBIMVS Alberto Marchioni Brandeburgenſi ſocietatis ueſtræ Magiſtro; eumq; etiam atq; etiam hortamur, ut ei controuerſiæ, quam cum Sigiſmundo Rege Poloniæ habet, finem atq; modum adhibeat; quantumq; in ſe eſt, efficiat, ut ad pacis tandem ſtudium res conſenſumq; perducatur. Tum illud addimus; ut quoniam nobis renunciatum eſt per illum ſtare, quominus cauſa eum quem commemorauimus exitum habeat; det operam nequis ipſum nolle pacẽ atq; concordiã apud nos queri iure poßit. Quæ quidem omnia uobis etiam perſcribere uolui cum quia exploratum habeo conuentum iſtum ueſtrum magnæ apud illum auctoritatis eſſe; eaq; fere cogitare ipſum atq; agere, quæ uobis unis probantur: tum quod intelligo huius ipſius culpam rei, quod adhuc confecta non ſit, in uos reijci. Itaq; uos uniuerſos & hortor & more patrio moneo non id ſolum; ut Magiſtrum ueſtrum ad pacem atq; concordiam cum Rege Poloniæ ineundam ne impediatis: ſed ut omni etiam ueſtra diligentia & auctoritate compellatis, ad ea

pacta

pacta fœderaq́;, quæ confecta proxime inter illos ſunt, amplectenda atq; ſeruanda: quæ uero conficiēda ſunt, ea ut conficiat: ut diſcordia omnis atq; diſſenſio tam utriq; eorum detrimentoſa, tam indigna Chriſtianis Principibus, tam nobis moleſta, aliquē aliquando tandem exitum nanciſcatur: ne diſſentiētibus ſtudijs nationes iſtæ, quæ ad Chriſtianam gloriam augendam atque propagandam ſunt aptiſsimæ, ſimultates inter ſe atq; odia ſemper exerceant, ſuis ſemper uiribus conterantur. Id ſi uos in animum induxeritis, communiq́; conſilio effeceritis; egregie de me atque ampliter uos eſſe meritos profitebor: rem uero atq; operam ipſis uobis magnopere debitam, & uirtute dignam ueſtra bonitateq́; nauabitis. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 22

DEMONSTRATVM mihi eſt noſtra intereſſe, ut Regij Lepidi forum aliquot peditū tutela muniatur. Quamobrem mando tibi, ut ex ijs militibus, qui apud te ſunt, uigintiquinque pedites, qui præfectum ſuum habeant ſtrenuum aliquem ac idoneum uirum, illò mittas. Ante tamen quàm id facias, noſtrum hoc conſilium cum Rūfino Regienſium Magiſtratu communicabis. Qui ſi etiā equitatu peditatúque opus eſſe duxerit ad reliquum oppidum, eiusq́; agrum muniēdum; XXV equites leuis arma-

gereq́; te poßit. Cæterum tuæ prudentiæ permitto; ut prioris Bretinorianorum in nos audaciæ & ſceleris de ipſis ſumere pœnas poßis. Aequum eſt autem, illud te prius diligenter inſpicere; metúne illi noſtrorum militum tuos admittere ad ſeſe homines, tua facere mandata recuſarint. Id ſi ita eſt; ignoſcere te eis nolo, nec ſeuerius quicquàm in eos decernere. Sin aliter ſe res habet; ex noſtra dignitate negotiũ adminiſtrabis, quemadmodum tibi æquum & iuſtum eſſe uidebitur. Dat. Id. April. M D X I I I. Anno primo. Roma.

1513 Franciſco Mariæ, Vrbinatium Duci, Vrbis & reip. militum præfecto. S

ET uirtus & diligentia in regendis exercitibus tua egregiaq́; in nos obſeruantia; amor etiam erga familiam noſtram tuus; qui profecto, dum nos ipſi in collegio Cardinalium uerſaremur, omnibus in rebus ſemper enituit; nunc quidem, cum D E I Opt. Max. benignitate ſummus nobis Pontificatus creditus delatusq́; eſt; nos admonent, ut te iјs ornamentis afficiamus; quibus a nobis non præteritus hoc ingreſſu noſtri muneris uideri poßis. Itaq; nobiſmet ipſi pollicentes, eundem tuum animum, eandem nobis fidem poſthac nõ ſolum præſtitum abs te, ſed auctum etiam & cumulatum iri; neq; modo adoleſcẽtiam; ſed uirtutes etiam tuas ſuum certe robur incrementumq́; capturas; quo eras loco & ſtatu apud

Iulium patruum tuum, qui Pontifex Max. ante nos fuit; in eodem etiam apud nos eſſe te uolumus: tibiq; imperium noſtrorum exercituum, quò cum imperio nunc es, in annum quidem proximum certe, in alterum autem, quoad nobis libebit, extendimus & prorogamus; cum eadem, quam habes, turma ducentorum equitum cataphractorum, & leuis armaturæ equitum centum; eodemq; ad eos alẽdos ſtipendio tibi ſolito dari numum aureorum tricies mille; ad te uero ipſum decies & termille atq; octingẽtorum quadraginta quatuor. Quod quidẽ certe munus meæ in te beneuolentiæ ſi ut libenti animo tibi a me defertur, ita tu eo munere nauiter atq; ſtrenue fueris uſus; quemadmodum plane confidimus te facturum; non uereor, ne ad ueterem meum uere paternum in te amorem adiunctis in dies ſingulos recentibus tuis in remp. meritis a nobis omnia ſis impetraturus; quæ ad tua commoda, dignitatem, amplitudinem ab huius Pontificatus maieſtate non abhorrentia pertinebunt. Dat. XVI *Cal.Maias.* MDXIII. *Anno primo. Romæ.*

Petro Bibienæ internuncio. 9

SCRIPSIMVS *de menſe Martij Leonardo Lauredano Venetiarum Principi; mandaret ut fructus eccleſiæ Adrianæ, qui per ipſius miniſtros cõtra fas impediri dicebantur, Beltrandi Epiſcopi Adriæ procuratoribus reſtituerentur. Id quoniam factum*

ctum adhuc non eſt: cauſam autem eius rei dicunt eſſe; quod quibuſdam ſacris uirginibus Venetis *in* Ferrarienſi *agro ſui item fructus iniuſte detinentur: mando tibi, ut eundem* Leonardum *horteris; quæ* Epiſcopo Adriano *contra ius detenta ſunt; quoniam is nihil habet cum illis uirginibus commune; ea reddi aliquando tãdem eius procuratoribus imperet. Qui uero illarum uirginũ fructus a* Ferrarienſibus *intercepti dicuntur eſſe; de ijs me confidat eſſe ius petentibus adminiſtraturum.* Dat. XII Cal.Maias. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Octauiano Epiſcopo Laudis Pompeiæ deſignato. 10

CVM *pluribus te de cauſis alloqui magnopere cupiã; ualde te hortor; ut ad urbẽ uenias:ut poßim coram tecum agere, quæ uolo.* Erit *id mihi uehementer gratum.* Dat. IX Cal.Maias. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 11

QVONIAM Octauianum Epiſcopum Laudis Pompeiæ *deſignatum pluribus de cauſis eſſe hic magnopere cupio; peto abs te, ut illi ad nos ut ueniat, non permittas ſolum; ſed etiam ſuadeas: quem quidem ſum; ſi uenerit, amanter paterneq; ſuſcepturus.* Dat. IX Cal. Maias. NDXIII. *Anno primo.* Roma.

Magiſtratibus

Magiſtratibus Ariminenſium. 12

Mando uobis; ut Achillem Taurellium cum ſuis equitibus omnibus ueſtrum in agrum recipiatis; & quæ dari noſtris militibus ſolita ſunt, ei militibusq́; eius dari iubeatis: neq; difficiles uos præbeatis ea in re; quemadmodum quidem mihi demõſtratum eſt ſolere uos perſæpe facere. Id autem eo uobis erit leuius; quo iſti ipſi paucos apud uos dies ſunt milites commoraturi. Dat. IX Cal.Maias. Anno primo. Roma.

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum internuncio. 13

EXEMPLVM *litterarum, quas ad Maximilianum Mariam Ducem Mediolanenſium dedi de reſtituenda Marco Cardinali Senogallienſi oppidi Cugnoli poſſeßione, habebis cum his litteris. Tibi uero mando; ut cum ipſo Duce agas cureśq; diligenter eam rem; quã tu ijs ex litteris uelle me magnopere cognoſces: ut Cardinalis ius ſuum obtineat: ne iam mihi ſæpius eadem de re ſit ſcribendum. Dat. ſexto Cal.Maias. Anno primo. Roma.*

Alphonſo Ateſtino Ferrarienſium Duci. 14

FRANCISCVM *& Paſotum Fantutios ciues Bononiẽſes bene de nobis meritos captos a tuis*

miniſtris

miniſtris complures iam menſes in cuſtodia magiſtratus tui habent. Eos *quoniam & amo ipſos ; & mihi admodum indecorum eſt meos homines honeſtos uiros ſic affectos & captos abs te detineri: conſtitutum mihi erat, cum hic eſſes, te præſentem alloqui ac plane abs te petere, ut eos permitteres domum redire*. V*erũtamen id facere ante quàm ea,quã habes mecum, magni ponderis cauſa componeretur; haberetq; finem ſuum; ſane nolebam: ne quæ leuiora eſſent, grauioribus anteferrentur*. I*taque tu quia confecta nondum re* Roma *diſcedere uoluiſti*; Fan*tutiorum liberationem etiam differre aliud in tempus ſtatueram : & profecto diſtuliſſem ; niſi,ut poſtea intellexi, tantula illis mora, quorum mihi ſalus chariſſima debet eſſe, magnum eſſet detrimentũ, magnam calamitatem allatura*. Nam *præter quàm quod in cuſtodia eſſe atq; in carcere per ſe miſerum calamitoſumq; eſt : permagni eorum intereſt ipſos hoc tempore cum domi eſſe poſſe, tum uel maxime ad nos accedere ſuarum fortunarum prope omnium conſtituendarum cauſa*. Q*uamobrem ne rei eiuſmodi tam per ſe piæ, tam mihi debitæ, tam illis ſalutaris confectio diutius proferatur; te iam nunc etiã atq; etiam hortor, ut eos miſſos facias; ut redire in patriam, atque ad me uenire poßint*. In *eo tametſi boni principis munere eris ipſe functus; quod per te facere ſemper debes; tuum tamen tum facilem & liberalem, tum uero propenſum ad bene de me merendum animum etiam libenter agnoſcam*. Dat.

quinto

quinto Cal. Maias. Anno primo. Romæ.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 15

INTELLEXIMVS de Alexandro Gabloneta procuratore tuo certiorem te eſſe factum, quoſdam principes in Italia uiros contra te cogitare; armáq; ab ijs comparari, quibus te ditionémque tuam aggrediantur. Itaq; te precibus omnibus petere, ne tuos populos tuasq; fortunas ullorum hominum cupiditate atq; libidine turbari diuexariq; pateremur. Quas ad res ita illi reſpõdimus; exiſtimare nos neminem quidem in noſtri Signiferi ditionẽ armis inuaſurum; præſertim nobis chariſsimi, atq; in noſtræ beneuolẽtiæ tutelam & curam amantiſsime recepti. Veruntamen ſiquis erit tam a nobis alienus, in te ut ſit atque in tuos eiuſmodi quidpiam moliturus; polliciti illi ſumus, nos tibi præſto futuros, eiq; interminaturos, ut ſe contineat. Quod ſi ij noſtri monitus atque minæ nihil proderunt: exercitus ipſos noſtros Franciſcumq; Mariam Vrbinatium Ducem generum tuum cum imperio ad te defendendum, hoſtesq; tuos, quos eſſe noſtros exiſtimabimus, propulſandos & profligandos mittemus. Itaq; te uolumus bono animo eſſe, atque exiſtimare urbem iſtam nobis tuam tuosq; populos non minori curæ eſſe; quàm quæ urbes quiq; populi ſub noſtra ipſorum ditione ſunt: eãdem utroſq; fortunam, idem periculum ſubituros. Quæ quidem omnia tametſi Alexandrum ipſum ad

te ſcripſiſſe diligenter exiſtimo : uolui tamen noſtris etiam litteris ad te perferri : ut per me quoque de meo in te animo ac uoluntate fieres certior. Dat. tertio Cal.Maias. Anno primo. Roma.

S. Daciæ Regi. 16

PERLATVM *eſt ad me, quod quidem mihi iocundiſsimum fuit, magno te iſtarum nationum fauore incredibiliq; uoluntate* Regem Daciæ *ſalutatum illuſtris uiri patris tui loco benè & cum laude regnare; adoleſcentiæq; tuæ annos egregia ſpe tuorum de te populorum firmare: itaq; eiuſdem patris tui deſiderium præſenti tua præſtātiq; uirtute facile leniri. Quam nos rem, euentumq; tum fortunæ tum prudentiæ in primis tuæ animi erga te noſtri propenſione ſociantes, te paterna noſtra charitate ac pietate amantiſsime complectimur: omniaq; tibi, quæ quidem ad* Regium *honorem dignitatemq; tuā confirmandam augendamq; pertinebunt, quoad noſtræ rationes patientur, libentiſsime polliceor. Quoniam autem ea noſtra mens eſt, is animus; ut Chriſtiani* Reges *atq;* Principes, *qui diſſentiunt inter ſe, concilientur; ut ad Chriſtiani hoſtes nominis repellendos, ſuſcipiendumq; contra Turcas bellum conuertere cogitationes noſtras poſsimus: te hortor; ut hanc noſtram uoluntatem iuues. Id optime fiet; ſi in* Reges Chriſtianos, *quiqui ſunt, tua arma non mouebis; tuasq; uires non exercebis. Quorum quidem*

quod

quod unus in primis Henricus Britanniæ Rex multis de cauſis mihi eſſe chariſsimus debet: illud abs te impenſius peto & poſtulo; ne eum Regem eiusq; populos aut laceſſas & perturbes ipſe, aut id fieri permittas a tuis. Hoc nobis gratius facere nihil potes. Dat. tertio Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Roma.

Hippolyto Cardinali Ateſtino 17

Ex tuis litteris intellexi id, quod etiam ſine ijs exploratum mihi erat; Pontificatus mei nuncio audito te magnam lætitiam cepiſſe. Itaq; mihi ea de re officioſiſsime amantiſsimisq; uerbis gratularis. Aegre fers etiam ſuffragiorum ferendorum tempore te nō affuiſſe. Quæ quidem mihi omnia optatiſsima legēti iocundiſsimaq; fuerunt: ex animo enim beneuolentiſsimo mihi dudum perſpecto & cognito ſane proueniunt. Magnopere autem uellem eo te tēpore Romæ fuiſſe: rem enim noſtram, qui tuus eſt in me amor, profecto in primis iuuiſſes. De meo uero in te animo ita te uolo exiſtimare: amorem meum; qui quidem antea erga te atq; Alphonſum Ducē Ferrarienſium fratrem tuum eximius ſemper fuit; hac in me DEI Opt. Max. benignitate ac munere etiam auctū multiplicatumq; eſſe: ut quo maior ipſe ſum, eo uterq; ueſtrum & coniunctior mihi ſit, & certe carior. Quod autem mihi eundem fratrem tuum cōmendas: uoluit is iuſtis quidem de cauſis, quas ab ipſo intelliges,

ſo intelliges, infectis rebus ſuis Roma proficiſci. Spero tamen, quoniam eius rei fundamenta iecimus; quod ſupereſt, me daturum operam; ut intelligatis uos mihi ambos incolumitatemq́; ueſtrã magnæ curæ eſſe. Dat. tertio Cal. Maias. M D X I I I. Anno primo. Roma.

Paulo Germano Migdelburgenſi Foroſempronienſium Epiſcopo. 18

EGREGIAM in omni prope diſciplina doctrinam tuam, plurimarumq́; optimarum artium ſcientiam maximi ſemper feci. Quamobrẽ excellens tuũ ingenium ſtudio ac fauore meo commendare aliqua nunc iam in re atq; proſequi cupiens, libros de Paſcæ obſeruatione ac mortis Dominicæ die; quos nouiſsime confeciſti, uolo, atq; igni & aqua interdico & mando, nequis imprimere poſsit, imprimiue facere, aut impreſſos uenundare, quoad uixeris; præter te: ut uſum aliquem ex tuis laboribus hac etiam ex parte percipias: ipſiq; tui libri diligentius impreſsi in lucem prodeant. Dat. Prid. Cal. Maias. M D X I I I. Anno primo. Roma.

Sigiſmundo Regi Poloniæ. 19

PROXIMIS diebus te hortari unis atq; alteris litteris non deſtitimus; controuerſiam, quam cũ Alberto Pruſiæ Magiſtro aliquot iã annos habes, habuiſtiq;

habuiſtiq; cum eorũ nonnullis, qui ante illum Magiſtri fuerunt; ut aliquando tandem terminari ſine armis poſſet; uelles eam ſacro Lateranenſi Concilio remittere; à quo quidem maxime conuenit Regũ cauſas diſceptationesq; iudicari. Qua in re ſi meis hortationibus animum adhibuiſti; quæq; te facere ipſe æquum & iuſtum putabam, ea concordi inter te atq; illum uoluntate es iam ita complexus, ut ei Concilio uterq; ueſtrum ſuam cauſam remittendam ſtatuerit; eiuſmodi nuncium læto animo accipiam: teq; de tua iſta lenitate atq; in remp. obſeruantia magnopere commendabo. Sin autem; quemadmodum & a Thoma ſancti Martini & ab A. ſancti Sixti Cardinalibus; qui te ſummopere diligunt, & quibus incolumitas tua, dignitas, amplitudo magnæ curæ eſt, nup intellexi, lubens ipſe paratusq; es ad ea pacta fœderaq; ſeruanda, quæ quidem ſolemniter inter uos nouiſsime ſtatuta ſanctaq; ſunt, quæq; propediem ſunt ſanciẽda; tua iſta uoluntas etiam atq; ad pacem propenſus animus mihi plane uehemẽter probatur. Teq; magnopere hortor, ab illis ipſis, quas commemoraui, tum factis tum ijs quæ fiunt pactionibus ne recedas: modo eiuſmodi ſint; quibus arma & diſcordiæ auferantur, pax atq; tranquillitas exoriatur. Si enim is exitus iſtic aut partus iam eſt, aut comparari, modo uelitis, poteſt; quid attinet noua iudicia quærere: quæ quidem ut ſuum ad finem perduci poſsint; neq; breuis temporis, neq; parui ſumptus propter locorum longinquitatem indigeant neceſſe eſt? Quamob-

rem abs te nunc quidem uehementer quæſo & opto; primum ut in eadem ſententia te te cõfirmes ac plane perſtes: deinde ut nullam prorſus anſam Pruſſiæ Magiſtro des a pacto inter uos fœdere deſciſcendi: uel potius ut omnia cogites, omnia præmunias, omnia moliare; quibus ille nihil queri de te, nihil inuenire cauſæ poſſit ad pacem concordiamq; reijciendã. Hoc nos hortari monereq; te non magis noſtrum eſt; quanquàm id quidem noſtrum maxime: pacem enim a Domino relictam nobis atque traditam cum alijs uelle communicare magnopere omnes debemus: quã tuum etiam modis omnibus præſtare atq; efficere, ne te fruſtra monuiſſe uideamur. Qua in re præter quã quod tuæ tuorumq; populorum quieti optime abs te conſuletur; nobis etiam rem gratiſſimam facies: De re autem p. cuius te obſeruantiſſimum ſemper fuiſſe omnes prædicant, etiam bene merebere. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Alberto ſocietatis Marianorum Theutonicorum magno Magiſtro. 20

SVPERIORI epiſtola te etiam atq; etiam monui, uelles eam controuerſiam, quam cum Sigiſmundo Rege Poloniæ multos iam annos habes; ut aliquando res ipſa atq; cauſa confici ſine armis poſſet; uel tantiſper ſuſtinere, dum noſter Legatus ad iſtas regiones mitteretur; qui quæ æqua eſſent, inter uos ſtatueret: uel ſacro Lateranenſi Concilio remittere:

a quo maxime conuenit magnorum Principum *cauſas diſceptationesq́; iudicari.* Nunc *autem quoniam ijs de rebus diligẽtius perquirẽtes intelleximus proxime inter uos pactum ſanctumq́; eſſe quid uterq́; ueſtrũ facere, quibus ſtare conditionibus debeat: quo ex fœdere erat ſtatutum, ut quæ ſupereſſent controuerſiæ inter uos, pactis eæ atq; fœderibus ad octauũ* Idus Maias *terminarentur: quanto maiore poſſum ſtudio ac diligentia te plane hortor; quæ ſolemniter celebrata inter te & Regem* Poloniæ *pacta conuentionesq́; ſunt, eas ne reijcias; celebresq́; quæ ſunt celebranda, ſic plane, ſi erunt eiuſmodi; ut bella contẽtionesq́; deponantur; ſecuritas atq; ocium ſubſequatur.* Nam *ſi is iſtic finis uel paratus iam eſt, uel parari uobis uolentibus poteſt: quid opus eſt nouorum iudiciorum: ad quæ quidem terminanda neq; breuiſſimi temporis, neq; minimæ impenſæ propter regionum longinquitatem uterq́; ueſtrũ indigebit?* Quanquàm, *ut uerum fatear, pupugit me rumor quidam tibi plane non honorificus, mihi etiam permoleſtus; qui multorum iam uocibus & ſermone percrebuit; iactantium, per te fieri, abs teq́; impediri, ne res ad exitum perducatur.* Quare *his quidem litteris impenſius etiam abs te poſtulo & peto; ut quibus pactionibus pollicitus es te ſtaturum; ijs ne te laxes; fidemq́; tuam præſtes; omniaq́; agas, coneris, efficias deniq́;, ut pax inter uos conficiatur, neq;* Rex Poloniæ *conqueri de te apud nos ullo modo poßit.* Quã *plane te ad rem uel hortari uel monere, non magis*

mei muneris eſt; quod tamen eſt in primis meum; quàm tui etiam efficere, ne fruſtra operam poſuiſſe nos appareat. Ita enim & tuæ tuorumq; quieti magnopere conſules; & tua in nos præclare officia cōſtabunt. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Roma.

Cōuentui et ſocietati Marianorū Theutonicorū. 21

SCRIBIMVS Alberto Marchioni Brandeburgenſi ſocietatis ueſtræ Magiſtro; eumq; etiam atq; etiam hortamur, ut ei controuerſiæ; quam cum Sigiſmundo Rege Poloniæ habet, finem atq; modum adhibeat; quantumq; in ſe eſt, efficiat, ut ad pacis tandem ſtudium res conſenſumq; perducatur. Tum illud addimus; ut quoniam nobis renunciatum eſt per illum ſtare, quominus cauſa eum quem commemorauimus exitum habeat; det operam nequis ipſum nolle pacē atq; concordiā apud nos queri iure poſſit. Quæ quidem omnia uobis etiam perſcribere uolui cum quia exploratum habeo conuentum iſtum ueſtrum magnæ apud illum auctoritatis eſſe; eaq; fere cogitare ipſum atq; agere, quæ uobis unis probantur: tum quod intelligo huius ipſius culpam rei, quod adhuc confecta non ſit, in uos reijci. Itaq; uos uniuerſos & hortor & more patrio moneo non id ſolum; ut Magiſtrum ueſtrum ad pacem atq; concordiam cum Rege Poloniæ ineundam ne impediatis: ſed ut omni etiam ueſtra diligentia & auctoritate compellatis, ad ea

pacta fœderaq́; , quæ confecta proxime inter illos ſunt, amplectenda atq; ſeruanda : quæ uero conficiẽda ſunt, ea ut conficiat : ut diſcordia omnis atq; diſſenſio tam utriq; eorum detrimentoſa, tam indigna Chriſtianis Principibus, tam nobis moleſta, aliquẽ aliquando tandem exitum nanciſcatur : ne diſſentiẽtibus ſtudijs nationes iſtæ, quæ ad Chriſtianam gloriam augendam atque propagandam ſunt aptiſsimæ, ſimultates inter ſe atq; odia ſemper exerceant, ſuis ſemper uiribus conterantur. Id ſi uos in animum induxeritis, communiq́; conſilio effeceritis; egregie de me atque ampliter uos eſſe meritos profitebor: rem uero atq; operam ipſis uobis magnopere debitam, & uirtute dignam ueſtra bonitateq́; nauabitis. Dat. Prid. Cal. Maias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 22

DEMONSTRATVM mihi eſt noſtra intereſſe, ut Regij Lepidi forum aliquot peditũ tutela muniatur. Quamobrem mando tibi, ut ex ijs militibus, qui apud te ſunt, uigintiquinque pedites, qui præfectum ſuum habeant ſtrenuum aliquem ac idoneum uirum, illò mittas. Ante tamen quàm id facias, noſtrum hoc conſilium cum Rufino Regienſium Magiſtratu communicabis. Qui ſi etiã equitatu peditatúque opus eſſe duxerit ad reliquum oppidum, eiusq; agrum muniẽdum; XXV equites leuis arma-

turæ cum peditibus alteris totidem eorumq́; præfectis ad eum mittes. Dat. Cal. Maij. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Rufino Regij Lepidi Magiſtratui. 23

INTELLEXI *operæpretium eſſe, iſtius oppidi forum aliquo militum numero præmuniri. Quamobrē mandaui* Bononiæ Magiſtratui, *ut* XXV *pedites ad te mitteret cum eorum præfecto. Quibus tu ſtipendium dari ſolitum ex iſtius ærarij prouentibus conficies. Cæterum ſi ad reliquum oppidū eiusq́; agrū tuendum uel peditatus alicuius uel equitatus indigebis; eos a* Bononiæ Magiſtratu, *cum erit opus, petes.* Dat. Cal. Maij. *Anno primo.* Roma.

Marco Martello, Regij Lepidi Quæſtori. 24

MANDO *tibi, ut quæ* Iulij *ſecundi* Pont. Max. *tempore ex ſalis aliarumq́; rerum uectigalibus ærario iſti noſtro publicanorum reliqua debebantur; ea omnia cures atque exigas. Quam quidem tu ad rem iſtius* Magiſtratus *opis atq; auxilij ſi indigebis; uolo, hisq́; ipſis litteris ei mando, ut te omnibus in rebus ita iuuet; ut negotium recte atq; celeriter conficiatur.* Dat. Cal. Maij. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Ciuibus

Ciuibus & mercatoribus Lucenſibus tribus. 25

FIDE atq; integritate ueſtra optimorum hominum ac præſtantium uirorum teſtimonio præclare cognita, unicuique ueſtrum largior; ut & merces ueſtras omnis generis in Galliam tranſalpinam mittere; & in Gallia quicquid libuerit merciũ emere, & emptum in Italiam trãſportare; ſummatimq; mercaturam exercere, omniaq; agere, ut ſoliti eſtis, & uobis uſui uenerit, libere atq; ſecure liceat duobus anni temporibus & mercatibus, qui Lugduni fiunt ad Auguſti atque Nouembris Calendas. Dat. XII Cal. Iun. Anno primo. Romæ.

Euangeliſtæ Taraſconio, & Iacobo Gambaro, meis apud Placentinos internuncijs. 26

MANDO uobis, ut ſi Raimundus Cardona noſter fœderatorumq; noſtrorum Imperator exercitum ſibi a Ferdinando Hiſpaniarum Rege creditũ educere e Gallia citeriore uoluerit; ipſum exercitumq; eius noſtro nomine recipiatis; atq; a Placentia quo ei libuerit uerſus per loca prouinciasq; noſtras comitemini: curamq; & diligentiam adhibeatis; ut quæ ſolita ſunt per noſtros homines amiciſſimis exercitibus parari; ea ipſi militibusq; eius per uos parentur: quos quidem meos internuncios procuratoresq; hac in re atque illo traducendo exercitu

uolo eſſe. Dat. x Cal. Iunias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Monachis Neapolitanis. 127

INTELLEXI uelle uos Gaſparis Hiſpani præfecti militum cadauer ab illo, quo illatum conſentientibus uobis fuerat loco, in alium minus idoneum locum transferre. Quam rem quoniam eos, quorum intereſt, ægre moleſteq; ferre audio: uos hortor; ne eorum animos ea de cauſa mœrore afficiatis; cadauerq; ne amoueatis. A quo ſi religione impedimini, uel aliqua alia mutandi loci ſatis iuſta cauſa uos mouet; id omne ad nos defertote: qui, quod erit æquum atq; iuſtum, ſtatuemus. Dat. VII Cal. Iunias. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Hannibali, Antonio Galeatio, Alexandro, Hermeti Bentiuolis germanis fratribus. 128

OBSEQUIUM humilitasq; ueſtra; quam ad me partim ipſi accedentes pedibusq; meis aduoluti, partim per internuncios idem agentes modis omnibus ſupplices præſtitiſtis; precesq; interpoſitæ ueſtræ atq; effuſæ lachrymæ largiter; quibus quidem ſubiectiſsime petijſtis, ut ueſtras, qualeſcunque eſſent, in Romanos Pontifices culpas errataq; ne plecterem; ignoſceremq; uobis neceſsitate potius & ui, quàm uel ſponte uel ullo certo conſilio compulſis ea facere,

facere, quæ feciſtis; me in eam cogitationem addu-xerunt, ut uos non indignos uenia ducerem. Quare ſic exiſtimans, uobis mala multa aliquot perpeſſis annos nihil eſſe antiquius, quàm ſub hoc imperio poſſe honeſte pacateq; uiuere; ueſtrum iſtum bonũ, ut uidetur, perhumilemq; animum fauore uel amore potius amplectens meo, nec tam pœna, quàm pœnitentia ueſtra contentus, primum quidem uobis cũ ueſtra in eos, qui ante me fuerunt, Romanos Pont. omnis generis delicta; tum pœnas ob id lege Iulia cõſtitutas remitto atq; aboleo ita quidem, ſi mihi prædes dederitis ſeſtertium duum milium, uos a meo & eorum, qui mihi ſucceſſuri ſunt, Pontificum Maximorum imperio mandatisq; non diſceſſuros; neque quicquàm unquàm contra me atq; illos tentaturos. Domos deinde, uillas, fundos, bonaq; omnia ſacera dotijs exceptis; quæ quidem bona ante diem Calendarum Nouembris M. D. X I Ioannes Bentiuolus & Geneuera parentes ueſtri ueſtrumq; ſinguli quocunq; nomine habebatis, poßidebatis; ea uobis uniuerſa, etiam ſi in alios translata ſint, condono ea lege; dũ quæ a uobis rerum & pecuniarum ſummæ debentur, quibus de ſummis liquet; earum creditoribus antea ſatisfactum ſit: quibus uero de ſummis nondum liquet; de ijs uos omnibus, cum liquebit, ſatisfacturos: deq; iuri ſtando prædes a uobis cautionesq; ſint datæ: quos prædes quasq; cautiones eſſe idoneas magiſtratibus ſit probatum. Denique uniuerſam ueſtrã familiam atque eos omnes; qui aut uobiſcum exilio

mulctati

multacti ſunt, aut quoniam ueſtrarum partium ſunt habiti, poſtea in exilium ſunt miſſi; quiq; uos ſequuti ſunt; eundem ad ſtatum conditionemq; repono atque reſtituo: & præter hæc ad patriam etiam reditum illis omnibus tutum atq; liberum mando eſſe ijs exceptis, qui hominem occiderint: quos quidem uolo in eo, quo nunc ſunt, exilio priuatione interdictis manere; utpote malæ fidei homines, atque immeritos, quibus quicquàm tale res hæc publica largiatur. Volo item, ut illi, quorum nomina in noſtris ad Epiſcopum Polæ Bononiæ Magiſtratum dandis propediem litteris ex eo numero excipiemus; ad patriam ne redeant; néue recuperationem bonorum ſuorum adipiſcantur, quoad aliter iuſſero. Quoniam autem perdifficile admodum uobis futurum intelligo, duum milium ſeſtertium prædes ærario dãdos noſtro reperire, qui perpetui maneãt: ſatis habebimus eos a uobis per triennium duraturos & ualituros dari: quo in tẽpore aut rẽ totã terminabo aut alteros a uobis prædes datum iri, quoad opus erit, iubebo. Quæ quidẽ omnia de plena CHRISTI *gratia munificoq; ſinu deprõpta collataq; in uos ſi ad bonã mentem reuerſos perinde accepiſſe uos intellexero, ut propenſa perpetuaq; ueſtra in nos obſeruantia cultu ſtudijs officijs diligentia huius uos noſtri muneris in poſterum eſſe meriti atq; grati uideamini; uoluntas erga uos mea pronúſque ad incolumitatem ueſtram animus etiam augebitur: deq; ueſtro ipſorum ad patriam atque lares ueſtros reditu, quem adhuc*

uobis

uobis liberiſq; ueſtris præcludimus; ea, quæ a nobis precibus omnibus petijſtis, quæq; uultis, aliquando ſtatuemus. Dat. VII Cal. Iun. Anno primo. Romæ.

Bononiæ Magiſtratui. 29

MAXIMILIANVM Romanorum Imperatorem *deſignatum ſummopere amo: eiusq; maieſtas amplitudo dignitas resq; omnes mihi magnæ curæ ſunt.* Itaque *cum intelligam in illius oppido Mutinæ periculum eſſe, ne per ſeditioſos homines tumultus aliquis excitetur; qui in eius fraudem uergat, inclinationemq; afferat eius rebus; quibus de omnibus ualde quidem ſollicitus ſum: mando tibi; ut ſi* Vitus Fruſto, *qui eius nomine ei oppido præeſt, ſeditionum & nouarum rerum cauſa, quas is commoueri uideat, abs te auxilium petierit; omnem eam armatorum hominum & militum noſtrorum manum illi mittas ad urbem tuendam tumultusq; compeſcendos; quam is uolet: curesq; omni ſtudio, ut Imperatoris res tam ſint tutæ; quàm huius reip. atque noſtræ.* Dat. Prid. Cal. Iun. Anno primo. Romæ.

Heluetiorum pagis duodecim. 30

LECTIS *ueſtris litteris, quibus a me petitis, ut declarationem ueſtram de* Epiſcopo Gebennenſi *factam uelim ratam probatamq; eſſe:* Equidem li-

benter

benter hac in re ueſtris poſtulatis annuiſſem; niſi Duci Allobrogũ antea ſcripſiſſem mihi ſtatutum eſſe, cuius nomen ad Epiſcopatum illum ſim ſublecturus. Itaq; uos potius hortor, ut eum ipſum, quem nominabo, gratum optatumq; habeatis. Id ſi feceritis; & erit mihi ſane gratum; & reip. dignitatis per uos ratio habebitur. Dat. Prid. Cal. Iun. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Regij Lepidi, & M. Martello Quæſtori. 31

VOLO & uobis mando; ut omnes iſtius ærarij prouentus & uectigalia priſtinum ad ſtatum & rationem, atque eam, quam lege Iulia formam acceperãt, reuocetis: eaq; deinceps utamini. Cal. Maij. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Petro Bibienæ Internuncio. 32

EXEMPLVM litterarum, quibus litteris ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principẽ ſcribimus Franciſcum Marchionem Mantuæ in noſtram fidem eſſe receptum, ipſasq; litteras cũ his ad te litteris mitto; ut & nunc quidem eam illi rem meo nomine ſignifices, reddasq;, quas ad eum litteras dedi; et poſthac quibuſcunq; in rebus Franciſco ipſi apud iſtum ſenatum eſſe uſui poßis, eum iuues, uti & hominem de nobis optime meritũ nobisq; charißimũ,

& Signiferum

& Signiferum noſtrum, & in fidem noſtram receptum. Dat. VI Non. *Maias.* *Anno primo.* Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 33

FRANCISCVM Gonzagã Marchionem *Mantuæ urbemq́; eius et ditionem in beneuolentiæ noſtræ fidem & patrocinium recepi.* Nam *& amaui hominem, cum inter* Cardinales *eſſem, omni tempore; & amari me ab illo plane perſpexi: plurimaq́; eius in nos familiamq́; noſtram egregia officia & ſtudia extiterunt. Eam rem tibi eſſe cognitam uolui; primum ut ipſe pro eo, quo te remq́; iſtam publicam amore charitateq́; amplector, mea omnia, beneuolentiæq́; in primis rationes tibi ſenatuiq́; tuo notas atque declaratas facerem: deinde ut tu illum eiusq́; oppidum populos reliqua omnia omnibus poſthac in rebus ita tractares; ut intelligeret, cuius ipſius tuendi nos curam ſtudiumq́; ſuſceperimus, eum non ſolum propter huius imperij maieſtatem Signiferiq́; officium, quem gerit; ſed etiam quod a nobis unice diligitur, abs te tuaq́; repub. eſſe tutiſsimum.* Dat. VI Non. Maias. MDXIII. Anno primo. Roma.

Magiſtratibus

Magiſtratibus Parmæ. 34

OPTIMVM *ueſtrum in nos alacremq́; animum, quem quidem mihi* Benedictus Rubeus *ueſtro nomine detulit; libenter agnoſco.* Et *quoniam diligentiam adhibui, ut ſub reip. imperium rediretis; redeuntes nunc uos paterno amore charitateq́; amplector atq; recipio: dabiturq́; a me quidem opera, ut uos ciuitatemq́; iſtam perinde tractem; ut neq; meæ me diligentiæ in ea recuperanda, neq; uos ueſtri in rep. recolenda ſtudij obſeruantiæq́; pœniteat.* Dat. *tertio* Non. Maias. *Anno primo.* Roma.

Magiſtratibus Placentiæ. 35

ET *obſequium ueſtrum & cultus, quem mihi Lazarus* Maluicinus, & Nicolaus Scottus, Interpretes *ueſtri diligenter præſtiterunt; gratus mihi atque optatus accidit.* Itaque *de eo uos ſtudio; quod quidem maximum, ut ſub huius reip. imperium rediretis, communi omnium conſenſu adhibuiſtis; & laudo; & redeuntes in fidem meam clientelamq́; recipio: daboq́; operam, ut magis magisq́; in dies ſingulos id uoluiſſe uos atq; feciſſe lætemini.* Dat. *tertio* Non. Maias. *Anno primo.* Roma.

Thomæ

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum apud Mediolanenſes Internuncio; 36

MANDO *tibi,ut oppida Placentiam & Parmam ſub reip. imperium redeũtia noſtro nomine recipias; liberaliterq́; tractes; quemadmodum quidem eorum ciuium erga nos uoluntas, ſtudium, pietasq́; poſtulat.* Dat. III Non. Maias. *Anno* I. *Romæ.*

M. Antonio Columnæ. 37

MANDO *tibi,ut* Cotignolam *oppidum in deditionem noſtro nomine recipias; itaque tractes; ut eius municipibus atq; incolis nihil detrimenti tuis à militibus inferatur. Cæterum quod ad arrogantiam ipſorum attinet, mulctamq́; ea de cauſa* Decurionibus *ſtatuendam; quid fieri oporteat, ſcribã ad* Bononiæ *Magiſtratum propediem.* Dat. tertio Non. Maias. *Anno primo.* Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 38

MANDO *tibi ut* Achillis Taurellij, *cui nuper præfecturam militarem cõtuli, eiusq́; militibus ſtatiua des eo in loco, qui tibi eſſe opportunior uidebitur: eisq́; dari mandes tectum, lignum, ſtipulam; uti ſolitum eſt; maximéque conuenit.* Dat. *quinto* Id. *Maias.* Anno primo. Romæ.

Guido Vainæ. 39

CVM tibi certum ſtatutumq́; ſit Roma diſcedere; idq́; ut nobis uolentibus tibi facere liceat, precibus omnibus petieris: uti de Iulio Secundo, cuius ſtipendia annos aliquot multa cum laude feciſti; optime merito tibi quod petis, do atq́; tribuo. Itaque & Roma proficiſcendi, & ad quaſcunque nationes Reges populos te conferendi, atque ubi uolueris gẽtium commorandi, harum litterarum ſignificatione tibi facultas eſto: teq́; illis ipſis, ad quos acceſſeris; quemadmodum quidem de uiro egregiæ ſpectatæq́; uirtutis, deq́; homine meis omnibus ualde amico mihiq́; percharo facere me conuenit, ſtudioſe diligenterq́; commendo. Dat. tertio Id. Maias. Anno primo. Roma.

Franciſco Marchioni Mantuæ. 40

INTER Petiliani Comites; quemadmodũ appellant; & meam familiam meq́; ipſum in primis, quo tempore Cardinalem geſſi, plurima beneuolentiæ neceſſitudinisq́; officia paria et mutua extiterũt: ut nihil nolle nos eorum cauſa, nihil ipſi noſtra potuerint, quod ab amantiſſimis coniunctiſſimisq́; hominibus eſſet petendum. Ea neceſſitudo a maioribus noſtris conſtituta eo nunc quidem cum ijs, qui ſuperſtites ſunt, ſeruatur a me diligentius; quo ipſi magis de

gis de rep. benemerentur; cui præeſſe me DEI largitas atque benignitas uoluit. Quamobrem etiam atque etiam abs te peto; ut Colæ Chiappino bonorum, quæ ab egregio uiro patre ſuo amantiſsimo tui ſibi relicta in Brixiano habet, Aſulanam poſſeſsionem ne perturbes; ſed ipſum patris ſui hæreditate optime parta frui permittas, uel quia ita te uelle æquum honeſtumq; eſt; uel quod in eo mihi ipſi gratiſsimum feceris. Dat. Prid. Id. Maias. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 41

Ex tuis litteris intellexi Cotignolæ oppidum ſeſe noſtris militibus dedidiſſe. Itaque poſtulas ut tibi mentem meam in eo ſignificem. Qua in re uolo, & tibi mando, ut oppidanos ita mulctes itaque punias; ut arrogantiæ, qua in nos ſunt uſi, eos pœniteat, diſcantq; ſe gerere reuerenter; exemploq; cæteris ſint, nihil temere faciendi. Dat. Prid. Id. Maias. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Foroliuienſium. 42

Mando tibi, ut quicquid ſtipendij nomine M. Antonio & Mutio Columnæ Præfectis equitum noſtris ab iſta ciuitate dudum inſtituti atq; recepti debetur: Debetur autem, ut mihi demonſtratum eſt, Mutio quidem prope integrum ſolidum; M. Anto-

nio uerò non minima certe portio : id eis omne ſubductis rationibus curari iubeas ſine ulla mora. Dat. quarto Non. Iun. Anno primo. Romæ.

Alphonſo Ateſtino Ferrarienſium Duci. 43

SVPERIORIBVS diebus te ſum per litteras hortatus uelles Franciſcum & Paſottum Fantutios ciues Bononienſes huius reip. homines captos a tuis liberos miſſosq; facere, ſperans me id abs te pro reip. dignitate facile impetraturum. Poſtea uero, quàm ab Hadrianorum Epiſcopo legato tuo cognoui te laxiorem quidem illis commodioremq; carceris conditionem mea cauſa dediſſe : de libertate uero eis reſtituenda tempus ad deliberandum ſumpſiſſe dum Hippolytus Cardinalis frater tuus Romam accederet : iterum te atq; ſæpius & hortor & moneo, cogites, quàm ſit honeſtum noſtros municipes, honeſtiſsimos uiros abs te captos tandiu detineri. Quæ quidem res quoniam ſine noſtræ dignitatis diminutione differri diutius nō poteſt; præter quā quod illis nihil tale meritis mora omnis laborioſiſsima erūnoſiſsimaq; eſt : abs te magnopere peto, ne Fantutiorum liberationi tempus ullum ulterius des : ut gratus erga DEVM humilisq; animus, atq; officioſa in eius Vicarium mens eſſe tua facile appareat : quo nihil poteſt eſſe laudabilius. Dat. Octauo Id. Iun. Anno primo. Romæ.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 44

VENIT ad me Hercules Ateſtinus; narrauitq́; mihi ab Auguſtinis ciuibus tuis ad ſeſtertium ducenties ſibi iampridem deberi: proq́; ea ſumma adamantem eum, quem ab ipſis Iulio Secundo diuenditum nos habemus, obligatum ſibi eſſe affirmauit. itaq; petijt agerem tecum, ut Auguſtinis mandares, ſibi quod debent, perſoluerent: id ni facerent; a me, cuius in poteſtate adamas eſt, eos numos ſeſe dixit petiturum. Quamobrem quoniam Iulio nihil omnino harum rerum denunciatum fuit; isq́; gemmam eam aperte mercatus omne illis pretium perſoluit, quo de pretio atq; ſumma pacta inter ipſos ſtipulationesq́; extiterunt: ego ſane, qui nihil eius rei habeo, quod nō ſit reip. pecunia comparatum; te etiã atq; etiam hortor, cogas ipſos ciues tuos Herculi fidem ſoluere; ut & is perſpicua in re neq; ſane noua perueniat ad ſuum, & mihi moleſtia ea de cauſa non exhibeatur. Dat. octauo Id. Iun. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 45

ET ſi mihi dubium non eſt, quin omnes noſtri præfecti militum paratiſſimi ſint, quocunque oporteat, proficiſci: uolo tamen, ut ijs omnibus eorumq́; uicarijs, qui iſtic ſunt, ſignifices, ſeſe mihi rem gra-

tiſsimam eſſe facturos, ſi quā primum cum ſuis militibus Parmam Placentiamq; ſe cōferent tantiſper, dum ea municipia in ijs bellorum motibus, quos illis in locis excitari audio, ſe a me deſerta eſſe deſtitutaq; ne arbitrentur: quæ quidem certe merita de nobis ſunt, ut eorum incolumitatem ſalutem fortunas non negligamus. Id ut libentius faciant, recipere te eis uolo, quartam alteram unius anni ſtipendiorum partem, quam adhuc non merent, a Quæſtoribus repræſentatum iri. Quod ſi nihilo ſecius profectionis excuſationem aliquā quiſpiam afferet; ei te uolo dicere, abūde me ea incommoda repoſiturum: nō enim facti modo prædicationem atq; laudem, ſed etiam laborum ſuorum præmium conſequetur. Dat. quinto Id. Iun. Anno primo. Roma.

Præfectis militum, eorumq; uicarijs. 46

CVM magnopere uos cupiam, cum ea manu, quam habetis, Parmam atq; Placentiam accedere ad ea municipia nobis quidem cariſsima tuenda atque munienda; ne ſe illi a me ciues atq; municipes in his rerum motibus turbulētisq; temporibus uel obliuione præteritos, uel amore ac ſtudio deſtitutos putent: ſcripſi ea de re ad Magiſtratum Bononiæ pluribus uerbis: quas ad litteras uos reijcio. His tantum uobis litteris exploratum eſſe cupio; ſi eam profectionem alacri animo atq; ſtudio ſuſceperitis; apud me præclare poſueritis. Dat. V Id. Iun. Anno I. Roma.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER TERTIVS.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 1

ALLATVM *eſt Heluetios pro tua ditioniſq; tuæ propugnatione cum Gallis apud Nouariam conflixiſſe, eoſq; ſuperauiſſe, ac prope ad internitionem pulſos fugatoſq; redegiſſe. Ea res tametſi propter occiſorum magnum numerum, qui quidem Chriſtianæ reip. eſſe uſui aliquando potuiſſent, meum animum dolore admodum perculit; tamen pro tua in nos obſeruantia & meo in te tuoſq; omneis ueteri ſingulariq; amore magnopere gauiſus ſum; qui te de ſtatu rerum tuarum deturbare atq; expellere ſunt aggreßi, eorum conatus cogitationeſq; non ſolum irritas & inanes fuiſſe, ſed ipſis etiam inſignem cladẽ attuliſſe. Cuius quidem euenti atq; uictoriæ* DEO *Opt. Max. qui te tueri atq; defendere uoluit gratias agere, tãtorumq; beneficiorum ſummam illi acceptã referre te in primis decet: ut pius in illum eſſe, ac dignus eo munere maxime fuiſſe uideare. Quod quidem fiet; ſi duci ef-*

ferriq́; te uictoriæ dulcedine non ſines; neq; ſtatues eos omneis, qui contra te aliquid conati ſunt, uſquequaq; uelle te perdere ac perſequi. Quam in cogitationem ut incumbas, leniſſimeq́; agas, eodem illo meo in te amore beneuolentiaq́; admonitus uel potius impulſus te rogo, & quidem ualde rogo: atq; ut ſiquid a quoquam erratum peccatumq́; eſt; eſt autem fortaſſe a multis; uenia id magis, quàm uindicta dignũ exiſtimes, a te peto. Sic enim melius eorum, qui abalienati ſunt, animos tibi beneuolos reddes: neq; infirmabis ullam rerum tuarum partem. Qui enim potes in ullos animaduertere; quin ditionis tuæ homines mulctes ac punias? quod ſi ſæpe facias; tuas ipſius opes debilitaueris. Accidet enim id, quod eſſe tibi exploratiſſimum debet; ut minus multa perficias; cum timore, non beneuolentia, erunt negotia conſtituenda. Extremum illud adiungitur; quod quidem haud ſcio, an omnium primũ atq; maximũ ſit; quod ſi parces multis, ſi ueniam pluribus dabis; imitatus Dominum fueris; qui tibi uires ſubminiſtrauit ad tui nominis hoſtes fugandos atq; propulſandos. Nihil enim illo mitius, nihil iniuriarum minus retinens, nihil ad parcẽdum, ad miſerandum pronius atq; profuſius unquàm fuit. Quamobrem redeo ad illud, ut te amantiſſime horter, ut tua uictoria quàm moderatiſſimo quamq́; leuiſſimo animo utare. Quod ſi feceris, neq; aures maleuolis hominibus præbueris; id, quod ſolet eſſe difficillimũ, efficies; prudentiaq́; cum fortuna cõiunges. Dat. III Id. Iun. Anno I. Roma.

Raimundo

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 2

Helvetiorvm contra Gallos uictoria: de qua nuncij nuper ad me ſunt allati; non ſolum propter Maximiliani Inſubrum Ducis incolumitatē fortunasq́; eo prælio reſtitutas plane atq; confirmatas; ſed etiam quia tu pro illo laboraſti, mihi gratiſsima atq; iocundiſsima accidit. Quanquàm ſane tot fortes homines, tot claros uiros, tantam tamq́; bellicoſam manum; quæ quidem reip. Chriſtianæ dignitatem tueri facile propagareq́; potuiſſet, funditus perijſſe non moleſtiſsime ferre nō potui. Pacem enim maxime, non bella, hominumq́; in DEVM pietatem, non iacturam Chriſtiani ſanguinis, aut prælij dimicationem cupere ſinguli exoptareq́; debemus. Quoniam autem ad Maximilianum dedi litteras; quibus litteris hortatus eum ſum, ne omnes illos, qui aliquid in ſe conati molitiue ſunt, dignos putaret quos uſq; ad internitionem perſequeretur; peto abs te, quē quidem ſcio plurimum apud ipſum ualere; ut auctoritate tua ſtudium meum iuues; oſtendasq́; ei nihil eſſe uiro Principe dignius, nihil omnino laudabilius placabilitate, lenitate, miſericordia; nihil contra deteſtabilius inclementia, iracundia, crudelitate. Itaq; uelit iniuriarum obliuiſci, mitemq́; ſe atq; flexibilem ad humanitatem præbere: ut & dignus eo munere, & optimi tranquilliq́; animi atq; in primis DEO grati eſſe maxime uideatur; ſuorumq́; populorum

non

nõ tam fortunas, quàm etiam animos poſsidere, eiſq; amiciſsimis & beneuolentiſsimis uti poſsit. Id ſi feceris; & ipſi optime cõſulueris; et certe mihi, qui sũma illum beneuolẽtia ſum complexus, quietemq; & multorum finem laborum cum omnibus, tum illis maxime populis aliquando tandem dari cupio, feceris gratiſsimum. Dat. tertio Id. Iun. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 5

HERI pro meo ſingulari in te amore & ſtudio te ſum per litteras hortatus, uelles in iſta tua recenti contra Gallos uictoria moderatiſsimo animo uti; neq; duceres eos uniuerſos, qui quidem aliquid in te conati ſunt, eſſe uſquequaque perſequendos: rationeſq;, quæ me ad eas hortationes impellebant, illis in litteris expoſui. His autem litteris Gulielmũ Marchionem Montisferrati eadem de cauſa tibi magnopere diligenterq; commendo. Qui quoniam tenuem ditionem, neque opibus neque uiris præſtantẽ habet; non potuit ſe inimicis tuis opponere, eiſq; interdicere ne per ipſius fines cõtra te copias ſuas ducerent; aut etiam ne illis ex locis ſecum traherent, quos uellent: tibi idem permiſſurus; ſi tu in Galliã exercitum ducere uoluiſſes. Quamobrem cum mihi omnium Principum Chriſtianorum, omnium populorum ſalus incolumitaſq; curæ eſſe maxime debeat, exiſtimaui eſſe te commonefaciendum, malles in eũ;

qui præter ea nobis familiæq; noſtræ omni eſt neceſ-ſitudine coniunctiſsimus, liberalitatem & beneuolẽ-tiam, quàm uel odia uel crudelitatem exercere. Sic enim & quæ te digna ſunt, ſtatues; & ditionem tuæ ditioni proximam eo tibi officio magnopere deuin-cies; & mihi erit gratiſsimum, ſi te in illum mitiſsi-mo eſſe animo atque amiciſsimo intellexero. DEVS *etiam; qui tantum in te præſidij tantum gloriæ cõ-tulit; ea de re atque clementia magis magisq; in dies & amabit & tuebitur.* Dat. *ſecundo* Id. Iun. Anno *primo*. Roma.

Raimundo Proregi Neapolis. 4

GVLIELMVM *Marchionem Montisferrati uirum probum & ſpectata uirtute hominem, et cum mihi plane cariſsimum, tum meis prope omnibus ue-teri beneuolentia & neceſsitudine coniunctiſsimum commendo tibi ſane quàm diligenter:* Petoq; *abs te; ut* Maximiliano Inſubrum Duci *perſuadeas, ne in eũ ditionémue eius uelit quicquàm durius aut acer-bius cogitare propterea, quod is* Gallorum *rebus non aduerſiſsimus fuerit.* Is *eſt enim eius* Regni *ſta-tus atque conditio; ut inimicus eſſe* Gallis *etiam ſi uelit non poſsit. Sed quoquo modo ſe res habet; mi-bi gratiſsimum feceris, &* DEI Opt. *uolũtati ma-xime conſentaneum; qui ſuas iniurias obliuiſci, quã uindicare mauult; quemq; imitari nos oportet; ſi* Gulielmum *cura ope ſtudio auctoritate tua iuueris.*

Idq;

Idq; ut facias te plane rogo. Ipſum autem gratiſſimum & tua beneuolentia digniſſimum cognoſces. Dat. Id. Iun. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Duci Mediolanenſium. 5

PALAVICINORVM gẽtem tibi quidem magnopere deditam tuiq́; nominis obſeruantem omni tempore fuiſſe non dubito. Ego certe uniuerſam ſingulari beneuolentia ſum complexus. Itaque te plane hortor; ut in hac tua illuſtri contra Gallos uictoria Palauicinos omnes liberaliter tractes; habeasq́; meo nomine commendatiſſimos. Quorum ſiquis etiã in his rerum mutationibus animorumq́; fluctibus, quos hæc tempora tulerunt, a te alienior fuit; quãquàm id quidem credere uix poſſum; ſed tamen ſi fuit; eam tu rem ne uindices, néue propterea in illũ animaduertas, abs te peto: ſed ut leniſſimo animo ſis, atque, ut Principem uirum decet, plane mitiſſimo ac liberaliſſimo. Dat. Id. Iun. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 6

CONSTANTINVM Cominatum Achæorum Ducem Macedoniæq́; Principem & Concilij Lateranenſis cuſtodem; quem propter eius plurimas egregiasq́; uirtutes, atq; in Romanos Pont. merita perq́; ueterem obſeruantiam tuendum mihi atq; ornandum ſuſcepi;

ſuſcepi; auxilio tuo ijs in rebus, quas in Monteferratenſi habet, egere magnopere intellexi. Eum igitur tibi commendo in maiorem modum. Rem profecto mihi gratiſsimam feceris; ſi omnibus in rebus, in quibus illi eſſe uſui poterit ſtudium & liberalitas tua, Conſtantinum iuueris. In quo certe tuam in me obſeruantiam maxime agnoſcam. Id ut facias; pro meo quidem in te amore paterne, pro noſtra uero in illum beneuolentia ſtudioſe diligenterq; abs te peto. Dat. Id. Iun. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Parmenſium. 7

CONTVLIT ſe ad militam noſtram Benedictus Rubeus Parmenſis cum leuis armaturæ equitibus L. De cuius fide egregiaq; uoluntate ac uirtute locupletiſsimos teſtes habeo municipes eius prope uniuerſos. Quamobrem mando tibi, ut ei ſtatiua tribuas, quo in loco agri Parmenſis aptius atque commodius id fieri poſſe conſtitues: ſtipendiumq; des, quemadmodum ſolitum eſt dari. Et præter hæc eum ita tractes; ut mihi eſſe plane charus uideatur. Dat. XV Cal. Iulij. Anno primo. Roma.

Guidoni Magno Magiſtro & Conuentui Rhodio. 8

SCRIPSIT ad me Anconitanorum ciuitas nauem eorum permagnam Byzantium euntem, cui Vincentius Anconitanus præerat, mercibus Florentinorum

tinorum & Picentium onuſtam apud Melum inſulã a Santolino Rhodio pyrata nulla reip. Florentinæ, nulla huius imperij ratione habita captam atque abductam fuiſſe. Eam ego rem, ut debui, ægre moleſteq; tuli; a ueſtris ſcilicet ciuibus; qui quidem omni tempore Chriſtianæ reip. propugnatores acerrimi omnibus ab hominibus ſunt habiti; cum amicos & ſocios, tum etiam uectigales meos ita turpiter eſſe uiolatos. Itaq; te Conuentumq; iſtum tuum diligenter maximopereq; hortor, des quo celerius fieri poteſt operam, ut ea nauis cum mercibus omnibus, quæ quidem merces in ea erant tum cum eſt capta, earũ dominis ſine ulla impenſa reſtituatur. Aiunt enim pyratam illum ſextertia centum ſexaginta captiuis dimittendis, naui mercibusq; reddendis petijſſe. Id tu cum pro reip. dignitate efficies; ut ea, quæ omnium Chriſtianorum communis eſt mater, læſa proditaq; a tuis te, quaſi gratum filium ſui defenſorem habeat: tum certe ut iuſtitiæ ſeruias; ne cuiquàm quicquàm per tuos cõtra fas contra æquũ contraq; bonos mores auferatur. Sed omnino etiam ea te cauſa mouere debet maxime; ne iſtius ſocietatis optimum ſanctiſſimumq; adhuc nomen illuſtriſq; gloria notam hanc ignominiæ contrahat. Quibus quidem cauſis rationibusq; omnibus illud adiunges; te in eo mihi, qui te ſummopere diligo, rem gratiſſimam eſſe facturum. Dat. XVI Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui

Magiſtratui Bononienſi. 9

MANDO tibi, ut Petro Fliſco Ceſenæ Magiſtratui eum militum numerum mittas, quem is abs te petierit, ad factioſos ſceleratosq; latronum duces, quos illis in locis impune uerſari audio, compeſcendos & comprehendendos. Is enim animi noſtri ſenſus eſt; ut qui male uiuunt flagitioſiq; ſunt, ſuorũ ſcelerum pœnas luant. Dat. XII Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Guidoni magno Magiſtro & conuentui Rhodio. 10

SCRIPTIS prioribus litteris; quibus tecũ egeram de naui Anconitanorum, quam Santolinus Rhodius interceperat, reſtituenda; certior factus ſum præter eorum, quos commemoraui, Senenſium etiam ciuium ſericas laneasq; merces magni pretij ea in naui fuiſſe. Quamobrem ut idem illud conficias, eo maiori ſtudio te nũc hortor; quo nobiliſsimæ urbis & noſtri ſtudioſiſsimæ deq; nobis optime meritæ ciuium damna detrimentaq; adiuncta ſunt cum Florentinorum & Picentum iacturis. Itaque ad eas hortationes, quas illæ meæ litteræ continebant, magnum ut cumulum his additum litteris exiſtimes ad te Conuentumq; iſtum accendendum, ut eam curam procurationemq; ſuſcipiatis; magnopere a uobis peto. Erit id mihi ſupra quàm dici poſsit gratum. Dat. XIII Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Alphonſo

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 11

SI te non amarem, neq; tua mihi dignitas curæ eſſet; tamen pro reip. maieſtate te hortarer, uelles Franciſcum & Paulũ ciues Vicetinos ex nobili Portorum familia honeſtos homines quodq; maxime ad rem pertinet, ſacerdotio adlectos, quos quidem ad urbem uenientes captos in mari multos iam menſes in cuſtodia iſtic habes; aliquando tãdem miſſos facere. Aequum eſt enim, ut qui omnium Chriſtianorum omnibus in terris curam tuendorum & conſeruandorum gero; eorum, qui Romæ in Cardinalium familijs, in ore Pontificum Maximorum, in ſacerdotum collegio plures ſunt annos laudabiliter uerſati, iacturas incommodaq; non negligam. Nunc autem, cum ea beneuolentia erga te ſit noſtra, ut tuarum actionum famæ nominis rationem habeamus; te etiam atque etiam eadem de re his duxi litteris eſſe commonefaciendum. Peto igitur abs te, ne id ulterius malum ſinas progredi; quod cum tibi in primis dedecori eſt, dum quos ubiq; gentium tutos eſſe cõuenit, ij abs te uiolantur; tum reip. fraudem indignitatemq; continet: quæ probos & egregios uiros ac diu Romæ multa cum laude uerſatos ſacris præſertim addictos male abs te haberi aut negligat; aut ſi non negligit, tamen ferat. Sed ipſos quàmprimum in libertatem reſtituas. Neq; enim quæ fortaſſe ratio illos capiendi tunc fuit; quanquàm quidẽ nulla adduci

adduci ratio eius rei ſatis iuſta poteſt; ea nunc eſt etiam retinendi: cum non ſolum commercia cum noſtris hominibus & locis tua oppida tuiq; populi habeant; ſed tu ipſe quoq; fauore meo ſtudio beneuolentia tuis iam in rebus non ſemel uſus fueris. Quãobrem ne uel Pontificis Maximi ratio, uel meus in te amor parum apud te habere ponderis uideatur; erit tuæ & prudentiæ & probitatis, dare operam, ut iſ ad urbem uenire quàm primum poſſint. Dat. XII. Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 12

QVONIAM ſatis confidimus omnes noſtros militum præfectos paratiſſimos eſſe, quocunq; opus eſt, ſine ulla mora proficiſci: mando tibi, ut eos omnes eorumq; uicarios, qui iſtic ſunt adhibeas, eiſq; meis uerbis denuncies, ut ad urbem Veronam Maximiliano Imperatori contra Venetos defendendam ſe quàm primum conferant: qui quidẽ meritus de nobis eſt, ne eius ditionẽ ullis ab hominibus uexari diripiq; permittamus. Quod ut etiam facere libentius aggrediantur; recipere te eis uolo quartam alteram unius anni ſtipendiorum partem per Quæſtores eis noſtros propediem datum iri. Dat. XIIII. Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Rauennæ. 13

Adlatvm ad nos eſt Federicum Gonzagam Franciſci Marchionis Mantuæ filium; dum a me, ad quem quidem officij cauſa uenerat, in patriã rediens iter per agrum Rauennatem faceret; ab agricolarũ magna manu, qui ſe inſidijs locauerant, ita exceptũ fuiſſe, ut parum abſuerit, quin ab illis trucidaretur: ancipitiq; fuga atq; curſu extra illius agri fines ſe celeriter eripientem, equos, ueſtem ſuam atq; ſuorum ui ab armatis interceptam direptamq; amiſiſſe. Quod quoniam indigniſsimum factu eſt & a noſtra dignitate meoq; ſtudio alieniſsimum: qui non illum modo optime de me meritum; ſed omnes etiam, qui bene uiuunt, homines in huius reip. ditione tutos eſſe magnopere uolo; mãdo tibi, ut ſuper ea re quæras diligentiſsime, perſcrutereq; eius ſceleris omnes partes; atq; in reos animaduertas, quemadmodum tibi æquum & iuſtũ uidebitur: in primisq; ut ablata omnia reſtitui cures Federici procuratoribus, ſi reperiri poterunt: uel eorum pretium, ſi diſtracta fuerint. Quibus in rebus omnibus adminiſtrandis conficiendisq; ita te geres; ut egregij adoleſcentis, qui quidem a me propter ſuam iam indolem & mores regios nobilitatemq; generis paterne diligitur, detrimentis per te atq; iniuriæ recte atq; abunde cõſulatur. Dat. VIII. Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Maximiliano

Maximiliano Mariæ, Duci Mediolanenſium. 14

CERTIOR factus ſum Scipionem Fliſcum & Hieronymum Adornium ad te atq; ad Heluetios fœderatos meos ex agro Genuēſi magnis itineribus cōtendiſſe; ut te atq; illos ad Octauiani Fregoſii Genuenſium Ducis nuper lecti res cogitationesq; perturbandas excitarent. Quamobrem ſtatui has ad te litteras quàm primum dare; ut intelligeres eum me uirum propter eius plurimas excellentesq; uirtutes magni ſemper feciſſe; atq; uniuerſa noſtra cum gēte atq; familia omni officio neceßitudinis cōiunctiſſimum habuiſſe. Quas ad res acceßit cum ipſius Octauiani, tum etiam Federici Archiepiſcopi Salernitanorum eius fratris uiri omnium uirtutum genere perornati, quem etiam inter ſacrorum noſtrorū miniſtros domeſticos aſciuimus, in Romanos quidem Pōtifices perpetuus cultus; in me uero egregia præter id ſingularisq; obſeruantia & ſtudium: ut nihil ab illis unquam prætermiſſum ſit; quod ab optimis ſpectatißimisq; hominibus & Pontificum Maximorū ſtudioſißimis optari expectariq; potuiſſet. Itaq; illos in fidem cliētelamq; meam libentißime ſuſcepi; animoq; meo gratißimos ſane atq; charißimos habeo. Quapropter non ſolum te hortor, ſed etiam magnopere abs te peto; ut cū his de cauſis omnibus, quas commemoraui, tum uel maxime, ne ulterius ea ciuitas tam egregia tamq; illuſtris nouis rebus exci-

tandis perturbetur; Scipionem & Hieronymũ contra Octauianum aliquid abs te poſtulãtes ne audias; neue eos, quantum in te erit, impetrare ab Heluetijs quicquam ſinas hac in re: ſed perſuadeas quieſcere, tranquillitatemq́; ſuæ potius amare patriæ, quod bonos uiros facere egregiosq́; ciues decet; quàm ſua ipſorum deſideria & cupiditates ſequi. Quod ſi feceris; tuæ in me obſeruantiæ conſuetudine atq; officio maxime uſus fueris; remq́; feceris tum & rectã per ſeſe & honeſtam, tum mihi in primis & gratam & iocundam & optatam: quemadmodum etiam tecum aget Fabritius familiaris meus: quem ad te hac de cauſa his cum litteris miſi. Dat. VIII. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 15

MAGNOPERE *te hortor; ut ſi Raimundus Neapolis Pro rex, qui exercitum fœderatorum cum imperio habet, tormẽta ulla bellica, quæq́; ad ea exercenda uſui ſunt, abs te petierit; eum tua ope iuues, commodesq́; ei quibuſcunq; in rebus poteris. Quod eo facere libentius debebis; quod is tormentis illis ad defendendum Maximiliani Imperatoris oppidũ Veronam uti uult. Id ſi feceris quemadmodum te facturum confido; cum Ferdinando Hiſpaniæ Regi, tũ erit mihi plane gratiſsimum. De Maximiliano uero ipſo optime præclareq́; merebere.* Dat. VIII. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Eidem.

Eidem. 16

RES rationesq; omnes Archiepiſcopi Rauennæ commendo tibi ſane perdiligenter, eaq́; præſertim, quæ ad immunitates eius pertinent. Is quoniam in primis cupit poſſeßiones emphyteoticas, quæ quidem ad Eccleſiam ſuam reciderunt propterea, quod qui eas habebant, penſionem, quam tenebantur, non perſoluerant, neq; pactionibus ſteterant, recuperandi ſibi ius & poteſtatem dari; te hortor, ut ei te tam facilē hac in re tamq́; beneuolum præbeas; ut quæ a religioſo Principe impetrari fas eſt, ea is abs te cōmēdatione mea impetret. Dat. VII. Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

della Rovere.

Franciſco Mariæ, Vrbinatium Duci. 17

SCRIPSIMVS ad eam noſtram militum equitumq́; manum, quæ Bononiæ atq; illis in locis hyemauit; ut quàm primum Veronam ſe conferrēt, eamq́; urbem, quam uelle aggredi Venetos intelligo, tueantur & muniant. Quoniam autem puto fore, ut te quoque cum tua manu illuc accedere oporteat; uolo ut te tuosq́; omneis uiæ atq; itineri compares: nequid more per te ſit, quin ei profectioni, cum adnuero, præſto eſſe poßis. Dat. quinto Cale. Iul. Anno primo. Romæ.

Heluetijs. 18

SCRIPSI nudius tertius ad uos; quantoq; amore Octauianum Genuenſium Ducem complecterer, ſane oſtendi. Quem quoniam cum ipſum maxime, tum etiam Federicum Archiepiſcopum Salernitanorum eius fratrem familiarem meum mihiq; in ſacrificijs aßidentem in meam fidem tutelamq; receperam; hortatus ſum uos, ne ullos homines contra eos quippiã apud uos moliẽtes audiretis; neue permitteretis eam urbem tam egregiam tamq; illuſtrem bellis ciuilibus diu uexatam, quæ ſibi finem bellorum & laborum omnium in illo Duce creando magnopere ſperauit fore, poſthac ulterius nouis rebus excitandis conflictari: eaq; de cauſa Fabritium familiarem meum ad uos cum mandatis miſi: qui uobis mẽtem ſuper ea re meam, quam ipſi aperueram, latius atq; commodius explicaret. Nunc autem tametſi pro mea in uos ſingulari beneuolentia, proq; ueſtro in Romanos Pontifices cultu exiſtimẽ plane uos quæ uolo eſſe facturos: tamen quia certior factus ſum, eoſdem illos, de quibus ad uos ſcripſi, a ſuis apud uos poſtulatis non recedere; ſed omni conatu contendere, ut Fregoſios fratres & a reip. adminiſtratione prohibeatis, & domo expellatis: iterum uos hortandos monẽdosq; eſſe magnopere exiſtimaui, néquid omnino contra illos ſuſciperetis. Ego enim, qui quidem mores eorum & uirtutes optime cognitas &

tas & perſpectas habeo; uobis polliceor & ſpōdeo, ſi id, quod peto feceritis, uos apud ipſos præclariſsime poſituros; ſuamq; illos beneuolentiam, ſuum uobis ſtudium cumulatiſsime præſtaturos: eiusq; rei uadem me pro illis apud uos conſtituo; nequid amplius dubitare poſsitis; quin ſi a uobis contra illos quis impetrare quippiam uolet, cauſam reijciatis. Nemo enim uobis illis fratribus amicior, nemo fide præſtantior, nemo certe in officio conſtantior atq; perſeuerantior eſt futurus. Quare totam hanc rem atq; cauſam ita uobis commendo; ut maiore ſtudio & diligentia commendare nihil poſsim. Magni enim & noſtra, & ueſtra, atque in primis Maximiliani Mariæ Inſubrum Ducis intereſt, eos fratres, de quorum fide probitate conſtantia magnopere confido, ei urbi præeſſe: quæ magni ſane momenti ad res Italiæ uel turbandas, uel confirmandas ſemper fuit. Dat. quarto Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ, Inſubrum Duci. 19

ET ſi exiſtimem ijs te litteris lectis, quas Fabritio familiari meo ad te dedi, ipſoq; audito in cauſa Fregoſiorum ea quæ uolo eſſe facturum: tamen quoniam poſtea intellexi te arcem Genuæ ab Octauiano petere, eamq; uelle tuis militibus communire; ut ſecurus eſſe poſsis eum tecum in officio futurum: has alteras etiam dandas ad te litteras duxi; quibus te commonefacerem, ne quid omnino contra Octa-

uianum ſtatueres propter eam cauſam. Ego *enim, cui tota eius uiri uita, natura, mores omnes perſpectiſsimi ſunt; quiq́; tum ipſum, tum* Federicũ Ar*chiepiſcopum Salernitanorum eius fratrem mea fide & clientela ſum complexus; ſpondeo tibi, in meq́; recipio, fore utrunq; tui ſtudioſiſsimum: néquid tibi poſthac dubitãdum ſit, quin omnes contra illos quippiam abs te poſtulantes reijcias.* Nemo *enim illis tibi uel in beneuolentia officioſior, uel in fide atq; perſeuerantia conſtantior, uel in reddenda gratia diligentior, uel in uicinitate utilior & fructuoſior eſt futurus.* Itaq; *non iam noſtra modo & reip.dignitatis maieſtatisq́; intereſt* Octauiano & Federico *nihil abs te laboris nihil moleſtiæ adhiberi: ſed maxime etiam tua: qui ab optimis illis fratribus & magni erectiq́; animi uiris & ſumma prudẽtia ſummaq́; integritate præditis hominibus, quoad illi ciuitati præerunt, ſperare debes plurimas te utilitates adiumentaq́; eſſe maxima atq; firmiſsima percepturum.* Quas *ob res omneis ſi non ſolum mihi rem gratiſsimam, ſed tibi quoq; maxime commodam maximeq́; ſalutarem facere uis; eos fratres ad illius reip.adminiſtrationem a ſuis ciuibus uocatos non modo nõ uexabis ipſe: ſed ſi qui erunt, qui id facere quoquo modo animati ſint, etiam defendes.* Dat. *quarto* Cal. Iul. *Anno primo.* Roma.

Franciſco

Franciſco Mariæ, Metaurēſium Duci. 20

DE cura ſtudio diligentiaq; tua in Fani municipum ſedādis factionibus adhibita, de qua certior factus ſum multorum ſermonibus et litteris epiſtolaq; tua grauiter & prudenter ſcripta: ſcire te uolo, mihi in eo rem gratiſsimam te feciſſe. Nihil enim æque cupio, quàm ut populi, quibus præſum, nulla inter ſe odia nullas ſimultates exerceant: ſed matuis animorum ſtudijs & beneuolentia coniungantur. Verum quia non ſolum bonarum rerum fundamenta iacere, ſed eas etiam altius conſtruere ac plane perficere oportet; etiam atq; etiam te hortor, ut adhibitis, ſi tibi uidebitur, ad conſiliorum tuorum adminiſtrationem teq; leuandum laboribus Epiſcopo Polycaſtrēſi & Bernardo Cardulo familiari meo, opus iam abs te præclare inceptum erigas, producasq; ad ſummum: desq; operam, ut illius oppidi ciuiū omni ex parte odia ſimultatesq; ſedentur ipſos quibuſcunq; uoles luendis pœnis dandisq; cautionibus obſtringēdo. Volo enim tibi liceat omnia facere atq; cōſtituere ſuper ea re, perinde atq; mihi ſi adeſſem liceret: non ſolum ratum ſed plane etiam gratum habiturus, quicquid ſtatueris, egeris, iuſſeris: dum id unum abs te contendatur; ut earum inimicitiarum & factionum, quas extingui & aboleri cupio, nulla porro ſemina, nullæ renaſcendi facultates relinquantur. Quod ſi quemadmodum de tua uirtute confido,

ita

ita rem confeceris: præter quàm quod erit id mihi ſupra quàm dici poßit gratum; reſp. tibi etiã multum debebit. Quarto Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Romanorũ Imperatori deſignato. 21

HERI *quemadmodum* DEO Opt. Max. *placuit, qui delinquentium interitum nõ uult, ſed ut eos pœniteat & uiuant;* Bernardinus Carauaialis Epiſcopus & Federicus Seuerinas Diaconus Cardinales; *quos antea propterea quod in* DEI Eccleſia *ſacroſancta atram pernicioſamq́; ſchiſmatis nebulam excitauiſſent,* Piſanũq; Concilium *conflauiſſent,* Iulius Secundus Pontifex Max. Cardinalatus *amplitudine ac munere ſacerdotijsq́; omnibus mulctauerat, priuatosq́; reddiderat; aura* Zephiri *cœleſtis afflati ad ueram pœnitentiam reuertentes frequenti fratrum meorum* Cardinalium Conuentu *populari in ueſte ad pedes ſe noſtros demißi ſupplicesq́; proiecerũt; ueniamq́; ſuorum erratorum et delictorum precibus omnibus petiuerunt; paratosq́; ſe dixerunt eſſe, quam ipſis cunq; pœnam ſtatuiſſemus, eam luere & perpeti animis libentißimis: pollicitiq́; ſunt ſe poſthac ſacro* Lateranenſi Concilio *ſemper adhæſuros, ſemper meæ fratrumq́; meorum uolũtati mandatisq́; obtemperaturos.* Quod *ipſum tametſi antea per eam ſchedam manu ſua ſcriptam fecerant, quæ in poſtremo eiuſdem* Concilij *die perlecta pœnitentiam eorũ humilitatemq́;*

humilitatemq́; declarauit: idem tamen multo quidẽ clarius atque apertius præſentes egerunt: Piſanoq́; Cõcilio repudiato altera a ſe perlecta ſcheda plenio re ſcilicet expreßiorisq́; ſentẽtiæ planeq́; ſubmißioris, quæcunq; in eo acta eſſent, damnauerunt, magnopereq́; improbauerunt. Quamobrem nos, quos quidem ea lege uniuerſæ Chriſtianæ reip. DEVS *præpoſuit, ut nemini uere pœnitenti pietatis ſuæ, cuius nos miniſtros eſſe uoluit, fores occluderemus; humilitatem eorum, confeßionem, pœnitentiã gratißimum* DEO *ſacrificium ſperantes futuras, eos ambos paterne quidem antea reprehenſos atq; caſtigatos eorundem Cardinalium cõſenſu ad Cardinalatus officium dignitatem ſeßionemq́;, qua prius utebantur, reſtituimus. Quod eo libentius feci; quod pernicioſum illud ſchiſmatis uulnus, quo tunc eccleſia* DEI *ſciſſa diſiectaq́; ab illis non ſolis fuit, eorum duorum ad ueram pœnitentiã reditu coire plane iam ſanariq́; uidebatur. Ad cuius quidem ſchiſmatis nomẽ extinguendum atq; delendum ipſe certe negligentior ac diſſolutior ſi fuiſſem; tuæ tamen prudentes hortationes me in primis excitare potuiſſent, ut nihil prætermitterem; quod ad negotium conficiendum ad exitumq́; perducendum poſſe aliquid afferre opis & facultatis uideretur. Itaq; cum per me ipſe nihil æque unquàm optauiſſem, quàm in* DEI *ſponſæ uultu eam notã cicatricemq́; aboleri; te hortatore libentius atq; procliuius in eam cogitationem incubui; ut eos uiros, quos commemoraui, abalienatos*

natos dudum a rep. deſciſcēteſq; ad ueritatis fontem recta redeuntes uia amice paterneq; exciperem. Qua *omnino de re non ſolum nos, ſed uniuerſa urbs uiſa eſt magnam uoluptatem cepiſſe; ſeq; admodū audito eiuſcemodi humilitatis pœnitētiæ reſtitutioniſq; nūcio exbilarauiſſe. Ipſe autem maximas* DEO *gratias cum egiſſem; qui ſuos de alienis facit, quiq; nobis dedit tanti ſceleris comprimendi facultatem; hæc tibi omnia in primis duxi eſſe ſignificanda: quē quidem pro tua in remp. conſeruandam atq; amplificandam cura ſtudio diligentia labore plane ſcio libenti animo has litteras perlecturum: in quibus erit utrarunq;, de quibus mentionem feci, ſchedarum & cum ijs abolitionis noſtræ eorum peccati, reſtitutioniſq; ad priorem ſtatum exemplum: quo cognoſcere ſingula melius atq; facilius poßis. Te uero: tametſi minus id quidem neceſſe eſt facere me; ſed pro meo in te ſtudio mihi tamen faciendum puto: amantißime ſane hortor; ut, quod adhuc quidem ſemper feciſti, poſthac etiā facias; piamq; matrem omniū* DEVM *amantium eccleſiam; cuius protegendæ cauſa poſt* CHRISTI *uicarios maximum ipſe in terris magiſtratum geris; ab omnibus eius pacem atque concordiam perturbantibus uindices atque defendas.* Dat. quarto Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Petro

Petro Bibienæ apud Venetos Internuncio. 22

INTELLEXI Pontechianos; qui uicus in Rodigienſi eſt Hadrianæ dioceſeos; nolle Aloiſii Durantis ipſorum phano præfecti procuratoribus eos fructus decimasq́; perſoluere; qui fructus quæq́; decimæ ad eum iure ſpectant: idq́; pernegare ſe facturos. Quod quoniam & periniquum quidem eſt, & a noſtra dignitate ualde alienum; mãdo tibi, ut Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem meis uerbis moneas, ne permittat ad templi ſui fructus percipiendos ullis ab hominibus Durãti moram fieri: mandetq́; magiſtratibus, dẽt operã, ut nihil poſthac moleſtiæ Pontechiani eius procuratoribus exhibeant. Ea in re tota omne tuum ſtudium ſic adhibebis, ut non uidear fruſtra ſcripſiſſe. Erit hoc & honeſtum ipſum per ſe; et mihi in primis gratum: illi autem etiam neceſſarium; qui ex iis prouentibus ſe ſuſtentat. Dat. prid. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ, Mediolanenſium Duci. 23

ALLATVM ad nos eſt, Sebaſtianum Bonum, Vincentium Venerium, & Bernardinũ Taiapetram ciues Venetos; cũ captiui apud Gallos quatuor ipſos annos fuiſſent; miſſos tandem factos, eq́; Gallia in patriam redeuntes in tuo regno iterum captos

ptos fuiſſe; eſſeq́; nunc apud Iacobum Galeranum Mediolanenſem ciuem in cuſtodia. Quod quoniam per ſe quidem illiberale admodum eſt, a tui uero nominis gloria etiam abhorrens; eos; qui nullam partem militiæ attigerunt, quiq́; per tua loca, quo magis tuti eſſent, iter faciebant, pacis & quietis homines a tuis male haberi: etiam atque etiam te hortor, uelis eos ſine ulla mercede quàm primum miſſos facere. Quæ res eo etiam erit iuſtior; quod Mediolanẽſes ciues tui apud Venetos tam ſecure tamq́; libere degunt; quàm Mediolani: neq́; illos quiſquàm captiuos ullis in eorum locis facit. Vterer pluribus uerbis; niſi res ſatis per ſe ipſa loqueretur. Vnũ addam; quod quanti tibi faciendum ſit, ſtatues ipſe: ſi Venetos liberaueris; occaſionem eorum reip. eripies male in tuos cogitandi. Dat. quinto Non. Iul. Anno primo. Roma.

Ioacchino Marchioni Brandeburgenſi. 24

LITTERAE *tuæ, quibus mihi de Pontificatu Maximo gratularis, pergratæ mihi perq́; iocũdæ fuerunt. Nam & tuum in remp. obſequium atq́; cultum, & in me ipſum ueterem obſeruantiam & ſtudium præ ſe tulerunt. Itaq́; ſiquid erit, in quo amplificare tua commoda tuamq́; dignitatem poßim; meam tibi operam in eo libentißime polliceor. Quod autem mihi Ioannem Plãchefelem iuriſperitum procuratorem tuum doctum ſane hominem, & pruden-*

tem

tem uirum, & agendis rebus in primis idoneum diligenter commendas; facis & ex more boni Principis, & ex ipſius, ut mihi uidetur, meritis. Quamobrem & complector iam illum libenter per me ipſe; & poſthac tua cõmendatione mihi erit etiã charior. Dat. *quinto* Non. Iul. Anno *primo* Roma.

Maximiliano Mariæ, *Inſubrum* Duci. 25

IOANNIS Galeatij Corrigij *ius; quod ſuper oppido* Caſtellatio*, cuius eſt ipſe dominus, uel, ut uulgo dicitur,* Comes*, ratione dotis auitæ habet; tibi magnopere commendo. Is eo oppido à* Gallis *ui atq; iniuria expulſus, quo primum tempore rebus* Mediolanenſibus *ſunt potiti; nunc, cum tu illos e tuo* Regno *expuliſti, reſtitui per te in eius oppidi poſſeſsionem cupit: ſperatq́; fore; ut id, quod optat, nobis commendantibus facile aſſequatur. Ea opinio ne eum fallat; abs te peto cum ipſius, quem unice diligo, cauſa; tum maxime tua: ut in iſta tua ſurgenti adhuc ætate ea fundamenta iacias optimi iuſtiſsimiq́;* Principis*; ut a te quilibet, quod ſui iuris ſit, facile ſe obtenturum exiſtimet; eaq́; de cauſa & hominibus omnium* Principum *chariſsimus, &* DEO Opt. Max. *omnium hominum gratiſsimus eſſe poſsis.* Dat. Non. Iulij. Anno *primo*. Roma.

Franciſco

Franciſco Mariæ, Metaurenſium Duci. 26

CONCESSERAM ſuperioribus diebus Ioanni Mariæ Germano uiro artis muſices peritiſſimo meóque familiari ſane perueteri arcem Verruchianã per Vicarium cuſtodiendam. Nunc autem quoniam certior factus ſum ueterẽ arcis Præfectum oppidanosq; ipſos omne ſtudium adhibituros eſſe; ne is aut eius Vicarius ad arcis cuſtodiam admittatur: te hortor; ut Ioanni Mariæ tantum auxilij tui des; quantum ei ſatis ſit ad ineundam illius arcis cuſtodiam. Dat. octauo Id. Iul. Anno primo. Roma.

Magiſtratibus Bononienſibus. 27

AD ea, quæ nouiſſime Bernardo Bibienæ Quæſtori meo ſcripſiſtis de ijs, qui ſe defendunt moramq́; faciunt reſtitutioni quam de rebus Bẽtiuolorum fieri iuſſimus: appellationibus Romæ interpoſitis alijsq́; eiuſdemmodi adminiculis nixi; ita uobis & reſpondeo breuiter, & mando; ut ea tantum uobis curanda eſſe tractandaq; ſtatuatis; quæ in noſtris ad ipſos Bentiuolos fratres litteris, quarum exemplum ad uos miſimus, continentur: neq; ullius hominis tergiuerſationes & moræ, quæ contra eas conceſſiones fiãt, uobis impedimento ſint, quo minus, quæ imperaui, per uos conficiantur, ad exitumq́; perducantur. Dat. VII. Id. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano

Maximiliano Mariæ, Mediolanenſium Duci. 28

GRAVITER ac permoleſte accepi, te Fabritio familiari meo ad te propterea miſſo; ut tum Epiſcopo Comenſi, tum Petro & Auguſtino & Philippo Triultijs fratribus poſſeßiones bonorum uel hæreditatum cretione uel alijs nominibus iure quæſitorum per te illis impeditæ reſtituerentur; reſpondiſſe, te, quæ feceris, iure feciſſe; ſciréq; te nos ita iudicaturos fuiſſe, ſi rem atq; cauſam intellexiſſemus: miſiſſe autem te magnis itineribus Romam cũ litteris certum hominem; qui me omnibus de rebus doceret. Nam neq; ullas abs te litteras accepi; neq; tuorum uidi quempiam: qui etiam ſi nulla itineris celeritate uſus eſſet; Romæ tamen eſſe hoc temporis potuiſſet. Vereor autem; ne dum abs te facti rationem expecto; frumenta eorum interea per tuos & meſſes, quæ adhuc quidem in agris ſunt, & diripiantur; & diſtrahantur; eáq; de cauſa ſint iſtæ interpoſitæ moræ. Quid enim in te admittere ij; qui apud nos uiuunt, qui nobis præſto ſunt, qui reip. operam ſuam dant, fratres Epiſcopuſq́; potuerunt? De eorum propinquis & neceſſarijs, ſi in aliquo deliquerunt; nihil tibi mando, quo minus in eos animaduertas, ut uoles. Tametſi nihil Principe uiro dignius, nihil eſt altis erectiſq; animis magis propriũ liberalitate atq; clementia. Hos; qui Romæ degunt; qui noſtros ob oculos quotidie uerſantur; quiq; in

DEI Eccleſia,in ipſa Petri puppe noſtro ſe miniſte-rio dediderunt; eos quidē et tuēdos mihi eſſe magno-pere exiſtimo; & , niſi per tuos impediri rectas & cogitationes & actiones meas pateris, ſane tuebor. Nam uelle te eis ire ipſum obuiam, exiſtimare nullo modo poſſum. Veruntamen quoquo modo ſe res ha-bet; non hortor modo, ſed etiam atq; etiam abs te peto; ut uel iuſtitiæ inductu, quam quidem tueri ip-ſe omnibus modis debes; uel meo, qui tuas res om-nes paterno amore charitateq; ſum complexus, atq; ita complexus, ut nullas magis; ſine ulla excuſatio-ne aut mora eorum, quos commemoraui, bonorum poſſeßiones uniuerſas atq; integras ipſorum procu-ratoribus mandes reſtitui; tum etiam reponi, ſi quid ablatum interea fuerit. Ne ipſe; qui pro tuo ſtatu dignitateq; tuēda atq; conſeruanda nihil prætermit-to aut cogitationis, aut ſtudij, aut laboris, aut cer-te beneuolentiæ; homines honeſtißimos mihiq; cha-rißimos ac bene de me meritos male a tuis habitos tueri apud te atq; defendere non poßim: néue mihi toties eadem ad te de re ſit ſcribendum: Quod qui-dem quàm indignum ſit; exiſtimare per te ipſe faci-le potes; atq; ut exiſtimes ſane uelim: quàm uero ægre a me moleſteq; feratur; idem tibi Fabritius exponet: quem ad te propterea remitto. Sexto Id. Iul. Anno primo. Roma.

Altoſaxo exercitus Heluetiorum Duci. 29

CVM de tuo forti magnoq; animo & in nos propenſiſsimo, & a M. Cardinali Seduno; qui de te nobiſcum ſæpe ſumma cum tua laude ac dignitate eſt loquutus; & fama ipſa ac rumore nuncio ea, quæ de claro & excellenti uiro dici poſſunt, auribus libentiſsimis audierim; & uirtutem tuam plurimi facio; & te magnopere diligo. Itaq; filium tuum ab eodem Cardinali mihi tuo nomine dilig ēter commendatum in ipſo iam paternæ noſtræ charitatis ſinu collocatū eſſe exiſtimare te plane uolo, ornaturus iuuenem, cum primum ſe occaſio nobis dederit, ijs ornamentis; quibus perſpicere poſsis quantum te amem. Neque tamen non teipſum etiam multo maioribus aliquando præmijs atque muneribus afficiam; ut agnoſcere meā erga te uoluntatē omnibus in rebus facile poſſis. Hortor autem te; ut quem adhuc quidem te in DEI Eccleſiam Romanosq; Pontifices præbuiſti; eundem poſthac etiam præſtes: gloriamq; tuam; quā es pie fortiterq; agendo conſequutus; eiſdem artibus non conſerues ſolum, ſed etiam augeas. Dat. quarto Id. Iul. Anno primo. Romæ.

Anſelmo Craſeſio Acolito. 30

STVDIVM & diligentia in rem Romanam atq; nos tua mihi ſane gratiſsima accidit: quemad-

modum cum M. Cardinali Seduno loquutus ſum; qui mihi ſæpe de te honorifice multa narrauit. Itaq; te ſublegi ad ea ſacerdotia; quæ putaui ex tuo uſu animæq; ſalute tibi fore: cuius rei litteras ad te confectas mittimus: ut & bene ſperare de nobis poßis; & in tuo erga nos officio poſthac libentius conſtantiusq; permaneas. Dat. *quarto* Id. *Iul.* *Anno primo.* Romæ.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER QVARTVS.

Heluetijs, libertatis Eccleſiaſticæ *defenſoribus, fœderatis noſtris.* 1

EQVIDEM *cum in ea uictoria; quã ſuperioribus diebus maximam eſtis atq; clariſsimam cõſequuti; unum illud uel pro naturæ meæ ſenſu & lenitate, uel pro credito mihi communis parentis atq;* Pontificis *munere doluerim, tantum ſcilicet humani ſanguinis effuſum eſſe, tantam* Chriſtianorum *hominum manum tamq; fortem cecidiſſe: ualde tamen uehementerq; lætor; uos, qui* Eccleſiæ Romanæ *libertatem defendendam tuendamq; ſuſcepiſtis, ueſtros & eiuſdem libertatis hoſtes fugauiſſe propeq; deleuiſſe. Qua ex re magna uos gloria magnæq; utilitates ſunt ſubſequutæ. Neq; enim minorem ex ueſtris commodis honoribus incrementis uoluptatẽ capio; quàm par eſt patrem capere in optimorum & chariſsimorum filiorum proſperis felicibusq; rebus. Illud etiam me uoluptate magnopere afficit; quod qui legitimam*

DEI ſponſam uexare, non ſutilemq; CHRISTI tunicam ſcindere ſunt aggreſsi; quos quidem ante quàm in eam cogitationem atq; ſcelus animum induxiſſent, omnium rerum gloria florere uidebamus; ut primum ſe malis conatibus dediderunt, infeceruntq; ſchiſmaticis prauitatibus, execrationumq; Iulianarum iuſtiſsimis uocibus tacti percuſsiq; ſunt; ſtatim illis amarè omnia infeliciterq; ceciderunt: partaq; ab ipſis gloria ſimul cum Regno ad eos, qui aut Eccleſiæ Romanæ parent, aut eam tuentur; facile trāſiit. Quibus de rebus omnibus ago maximas immortali optimoq; DEO gratias, agamq; dum uiuam: qui abalienatos a ſe diſciſcentesq; reſpuit: ſuos aut iacentes ſubleuat, aut ſtantes non deſerit. Vos autem; quos idem DEVS ſuæ uoluntatis eſſe miniſtros uoluit; chariſsimos animóque meo ſenſibusq; omnibus plane habeo coniunctiſsimos. Neq; uos moueant improborum uoces; quæ ut intelligo iactantur temere illæ quidem atq; iniuſte, nos reliquosq; fœderatos noſtros compoſitis & pacatis rebus ueſtrum præterea nomen ueſtramq; beneuolentiam non curaturos. Nam me quidem ab eo fœdere, quod mihi uobiſcum eſt, quoad uos non pœnitebit, nihil profecto abducet. Quin illud etiam dies noctesq; cogito ac uerſo; quónam uos pacto cum omnibus fœderatis mihi Regibus ac populis coniunctos facere atq; fœderatos poſsim: ut & ſecuriores eſſe maiori fulti præſidio poſsitis, & eorum omnium adiumento & conſpiratione ornatiores. Quod DEI benignitate breui futurum

ui futurum confido. Itaque hoc ſic habetote; ut de mea prona propenſaq; ad uos amandos ornandosq; uoluntate ſtudio beneuolentia nobismet ipſi omnia polliceamini; quæ expectari poſſunt ab huius reip. Præfecto ueſtri nominis amantiſsimo uobiſcumq; cõſociatiſsimo. Hortor autem uos, planeq; a uobis etiã atq; etiam peto & poſtulo; ut quemadmodum adhuc quidẽ egregie laudabiliterq; feciſtis, ſeduci uos abalienariq; a nobis quorũquam maleuorum artibus poſthac ne permittatis: ſed cõtra erigatis potius; diligentiamq; ueſtram ea in re etiam adaugeatis. Quibus de rebus omnibus Ennius Epiſcopus Verulanus aget uobiſcum latius. Dat. Prid. Id. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ, Inſubrum Duci. 2

INTELLEXI, quod quidem mihi permoleſtum accidit, te quorundam non optimorum hominũ hortationibus Auguſtinum Panigarolam Genuenſem uirum egregia uirtute & iuris ciuilis ſcientia in primis clarum una cum eius filio comprehẽdi a tuis cuſtodiriq; iuſsiſſe, cum exiſtimares uera eſſe poſſe, quæ de eo iactabãtur; ipſum ſcilicet contra te ditionemq; tuam cogitauiſſe facereq; uoluiſſe: Quam rem cum melius intellexiſſes, neq; quicquam uere ab eo contra te perpetratum comperiſſes; laxiorem ei te carcerem dari mandauiſſe: fortaſſe etiam nihil in illum durius atq; acerbius præterea cogitare. Id autem

non ſtatim ab initio intellectũ eſt. Itaq; primus eius rei nuncius mihi, ut dixi; moleſtiſsimus fuit. Secũdus aliquãtum de mea priore moleſtia detraxit. Verum quoniam eum uirum propter eius egregias plurimasq; uirtutes & excellentem doctrinam & amaui multum quidem ante quàm eſſem Pontifex Maximus; *eiusq; in me beneuolẽtia opera ſtudio multis in rebus uſus ſum; & nunc etiã uti certis in cauſis maximis atq; grauiſsimis cogitabam; eramq; ad illũ ijs de rebus litteras iam daturus: te, quantum conſequi amore erga te meo poſſum, hortor; ut quicquid illud eſt, quod ſupereſt aut ſuſpicionis aut cauſæ, quin illũ miſſum facias; id omne mihi remittas et condones; ipſumq;* Auguſtinum *& eius filium rogatu meo ſtatim non ſolum reſtitui mandes ſuis; ſed etiam eo loco habeas apud te, quo habebas antea; tuamq; illi beneuolentiam integram atq; ſolidã reddas: quemadmodum & ipſius uirtus meretur, & meæ in te charitati largiendum eſt: ut eo uiro uti, atq; illi ea, quæ uolo, curanda tractandaq; mandare quàm primum poſsim.* Erit id mihi tam gratũ, ut nihil gratius. Dat. XV. Cal. Aug. Anno primo. Romæ.

Lucretiæ Duci Ferrarienſium. 3

COGITATIONES *tuas ardoremq; mentis et propenſum ad religionem ſtudium & amaui antea, plurimiq; ſemper feci, pulchrum atq; arduum exiſtimans te in magna deliciarum omnium affluentia*

propter

propter domeſticam amplitudinem ſplẽdoremq́; poſitam continere in timore DEI cogitationes tuas; dareq́; te in omnia pietatis officia, erectoq́; animo cœleſtia æternaq́; ſpectare: Et nunc ſtudium idem tuũ proſequi amplectiq́; fauore aliquo meo cupiens, id, de quo me diligentiſsime rogas, feci: ut quæcunq; tibi & Alexander VI & Iulius Secundus Pontifices Maximi ad tuæ animæ ſalutem ſpectantia ſuis ad te datis litteris conceſſerunt, aut etiam quoquo modo tibi condonauerũt; ea omnia, uti recte rationeq́; conceſſa magnopere probarẽ. Quod quidẽ & ſi erat ipſum ſatis amplũ per ſeſe ad id, quod optas conſequendum: tamen quo melius atq; facilius uoluntatẽ erga te meam perſpicere poſsis; quatenus opus ſit, eadem illa tibi ipſe etiam concedo & largior. Quorum omnium ſenſum non ſecus, atq; ſi eum his in literis expreſsiſſem, certum & ratum haberi uolo: deleoq́; quicquid officere huic meæ uel cõfirmationi, uel cõceſsioni atq; muneri poteſt. His autẽ ad te dãdis litteris eo pronior fui; quod te ſpero de cœleſti DEI gratia deq́; bonitatis eius fonte uberius hauriẽtem in illius purũ cultũ, atq; in omnia laudabilia et illi grata ſtudia animæq́; tuæ ſalutaria libẽtius etiam poſthac atq; ardentius quotidie ituram. Reliquum eſt; ut tibi perſuadeas, me earum rerum omnium, quæ honeſtam tui animi uoluptatem, commoda præterea incolumitatemq́; tuam contineant; nihil tibi unquã negaturum. Dat. XIIII. Cal. Aug. Anno primo. Romæ.

Herculi

Herculi Mareſcotto Bononienſi. 4

GRATAE mihi tuæ littere fuerunt: & amo enim te quidem ipſe: & ex te mihi omnia ſunt iocunda. Itaq; uelim tibi perſuadeas chariſſimũ te mihi eſſe, Quoniam autem certior factus ſum Ioannem Aloiſium & Aemilium liberos tuos haud ita moderate temperanterq; uiuere, ut ex te natos decet: de quibus meminiſſe potes quem tecum ſermonem habuerim, dum Bononiæ Legatum agerem: uolo ut illos Romam mittas tantiſper, dum continere diſcant ſeſe, paternamq; uirtutem atq; modeſtiam imitari: quos quidem pro eo, quo te complector animo, & libẽter uidebo & tuebor diligentiſſime. Dat. x. Cal. Aug. Anno primo. Roma.

Marco Antonio Columnæ. 5

ALLATVM ad nos eſt, te certis hominibus locum ad certamen ſingulare, tuis in oppidis, quæ oppida in huius reip. imperio ſunt, conceſſiſſe. Id quoniam eſt contra Iulij Secundi Pontificis Max. litteras; quibus in litteris eam certaminis rationẽ grauiſſimis pœnis interdicit: mando tibi ut nullo pacto tuis in oppidis atq; locis certamen aliquod ſingulare permittas fieri: easq;, de quibus dixi, Iulianas litteras omni ex parte & ipſe per te ratas habeas, & haberi mandes a tuis: quarum exemplum his cum litteris

teris ad te miſi. Dat. VIII. Cal. *Aug.* MDXIII *Anno primo.* Roma.

Magiſtratui & XL uiris Bononienſibus. 6

QVONIAM *& urbem* Bononiam *ſingulari beneuolentia ſum complexus, & eius urbis ciues incolasq; omnes pacate atque tranquille poſſe degere maxime cupio: eos homines abeſſe ab ea urbe uolui, quibus præſentibus nos minus odijs ciuilibusq; ſeditionibus uacuos putabam fore.* Nunc *autem cum intelligam redire* Bononiam *quotidie ſine uenia conceßioneq; noſtra nonnullos ex illis ipſis, quos dico: ea res cum propterea quod contra uoluntatem meam in primis eſt, tum uel maxime quod ſine fraude iſtius ciuitatis & bonorum offenſione accidere non poteſt; ferenda mihi eſſe nullo pacto uidetur.* Itaq; *uolo edicoq;, ut qui dolo malo non datis cautionibus, ſpretisq; eis conditionibus, quæ in noſtris de* Bentiuolorum *reſtitutione ſcriptis litteris continentur, ad urbem iſtã reuertuntur; ij animaduerſionibus per magiſtratum adhibitis puniantur; ut & ipſorum retũdatur audacia, & reliqui diſcant nihil contra conceßiones noſtras audere.* Eorum *ſi quis erit; qui non tam malitioſe, quã incõſiderate, neq; malo animo redierit ad ſuos: is exire confeſtim iubeatur de* Bononiæ *finibus.* Præterea *quoniam certior factus ſum illis plane abſentibus, quos abeſſe in primis uolui, nõ defore in iſta ciuitate, qui ſeſe in eorum locum ipſi*

ſubrogent;

ſubrogent; libidinemq́; pro temperantia, audaciam pro uirtute exercentes ſibi unis omnia licere arbitrentur: his uos litteris commoneſacio; ut eam animorum improbitatem eſſe uobis comprimendam ſtatuatis modis omnibus, qui a iuſtitia proficiſcantur; idq́; in primis curandum, ut quæ iuſtis de cauſis a magiſtratu imperantur, ea quàm primum explicentur, conficianturq́; non ſecus, ac ſi eſſent me præſente imperata:neq; aliquis ſit,qui ea negligat: quos quidem eſſe ſæpe multos intelligo. Id ſi feceritis,temeritatemq́; certorum hominum ueſtrorum ciuium ſurgentem ac iam plane nimiū laſciuiētem cōpeſcueritis; mos certe,conſuetudo, lenitasq́; mea nihil immutabitur. Sin autem, quod uereor, indulgentia ueſtra de ſua inſolentia ueſtri, qui male uiuunt, ciues nihil remittent; cogar ipſe ea, quæ mihi opportunior eſſe uidebitur,ratione publice iſtius urbis incolumitati ſalutiq́; conſulere. Ea enim mens eſt noſtra; ut paucorum hominum cauſa populorum pax atque tranquillitas ne impediatur. Dat.VIII.Cal.Auguſti. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ, Inſubrum Duci. 7

EXISTIMABAM te & meo rogatu & publicæ utilitatis cauſa permotum Octauiani Fregoſii Genuenſium Ducis rebus nullum negotium,nullā omnino moleſtiam allaturum; ut primum certior factus eſſes, illum fratremq́; eius Federicum Salernitanorū

Archiepiſcopum

Archiepiſcopum in meam ſocietatem eſſe receptos: illosq́; & fuiſſe antea mecum et cũ mea familia uniuerſa omni neceßitudinis genere coniunctißimos; & nunc amari a me ita paterne, ut eos apud me in optimorum & chariſsimorum filiorum loco poſitos habeam. Putabam enim eos omnes, quos amarem tuererq́; ipſe, eoſdem abs te non minus tutos eſſe; quàm ſint a me uel tui omnes, uel ipſe tu: cuius incolumitas quantæ mihi curæ ſemper fuerit, non dicam; ne uidear beneuolentiam erga te meam uerbis repetens de tuo in me ſtudio minus liberali uelle conqueri: Nunc autem cum intelligam ipſum Octauianum ſollicitari a tuis poſtea quàm nõ unas a me ijs de rebus litteras acceperis; petiq́; tuo nomine quandam pecuniæ ſummam ab eius legatis, ſi ſe tutum eſſe a tuo imperio uult; non potui non ægre moleſteq́; ferre iſtã indignitatem: quam tamen ipſam proficiſci abs te uix adduci poſſum ut exiſtimem. Itaq; illam in tuos miniſtros libenter reijcio. Verum utcunq; ſe res habet; te quo maiore ſtudio poſſum, hortor, neq; ſolum hortor, ſed plane etiã commonefacio; uel mando potius, eo more ſcilicet; quo, qui amãt, ijs, quorũ amantes ſunt, mãdandi ius habent æquißimũ atq; optimũ; ne permittas Octauiani rebus tua cauſa quicquã moleſtiæ adhiberi: quæ tã mihi curæ nunc quidem ſunt; quã res Florentiæ atq; noſtræ; neq; minus cordi unquã fuerunt; quã ipſæ tuæ ſemper fuerint. Sed potius ſiqui ſunt, qui id facere conentur; eis tu aut perſuadeas ne faciant; aut, quantum in te eſt, probibeas:

beas: exiſtimesq́; : ſi modo ea cogitatio mouere animum tuum poteſt, ut Octauiano *etiam amicus auxiliatorq́; uelis eſſe : nulla te in re æque de me mereri poſſe ; ac ſi illi te beneuolum beneficumq́; præbueris. Iis autem uirtutibus cum* Octauianus *ipſe, tum eius eſt frater præditus ; nullum ut officium ponere melius queas ; quàm quod in eorum beneficio poſueris ; etiam ſi ſocij noſtri non eſſent ; nosq́; ipſi pro eorũ incolumitate dignitateq́; uel conſeruanda uel etiam augenda non laboraremus.* Quod *ſi unquàm quicquàm operæ in eorum commodum quietemq́; adhibuiſti;quod ab initio ex ipſis intelligebam feciſſe te ; ſcire te plane uolo, id mihi tam eſſe gratum, quàm quod gratiſſimum.* Dat. IX Cal. Aug. MDXIII Anno primo. Romæ.

Marco Muſuro Cretenſi. 8

CVM *magnopere cupiam* Græcorum *ſermonẽ & Græcas diſciplinas iam prope abolitas atq; deperditas reſtituere, & quantum in me poſitum eſt, conſulere bonis artibus : exploratumq́; habeam & præſtanti te doctrina & iudicio eſſe præditum ſingulari : mando tibi, ut ſuſcipias diligentem curam adducendi ad nos è* Græcia *decem aut duodecim aut ſane quot uoles ipſe, liberalis ingenij bonæq́; indolis pueros : unde latinis hominibus linguæ illius uerus germanusq́; uſus, rectaq́; cognitio, & tanquàm ſeminarium quoddam bonorum ſtudiorum commode*

conſici & comparari poßit. Qua de re Ioannes Laſcaris uir propter ſuas uirtutes & multam ijs in literis doctrinam mihi ualde charus ſcribet ad te pluribus uerbis. Te uero pro tua uetere in me obſeruātia, quæ opus eſſe ad eorum ſtudiorum rationem & hanc rem, quā paro, cognoueris, ſane confido ſumma diligentia curaturum. Dat. VIII Id. Aug. MDXIII Anno primo. Roma.

Verruchianæ arcis Præfecto. 9

CVM mea uoluntas ſit, ut tibi de ſtipendio, quod ex cuſtodia arcis Verruchianæ debetur, integre ſatisfiat: itemq́; ſi quid aliud eſt, quod ad te iure aliquo ſpectet, de eo tibi pro iuſtitia conſulatur; ut ſine tuo damno arcē ipſam uel Ioanni Mariæ familiari meo, cui eam arcem conceßi, uel eius procuratori tradere poßis: mando tibi, ut ſine ulla excuſatione aut mora ad nos uenias: ut ex te intelligere poßim, quæ uolo. Dabitur autem a me opera, ut rebus tuis bene compoſitis Roma proficiſcare. Dat. tertio Id. Aug. Anno primo. Roma.

Maximiliano Imperatori deſignato. 10

ANTONIVM Cominatum, quem ad me miſiſti, & uidi & audiui libentißime cū propter ipſius uirtutem & in rebus, quas mecum egit, enunciandis mirificam prudentiā; tum uel maxime quod abs te ue-

niebat;

niebat; a quo nihil mihi eſſe nõ gratiſſimum poteſt: Eum autem cum celeriter confectis conſtitutisq; de quibus agendum erat, rebus ad te remittere maxime cuperem; tamen eæ fuerunt eiuſmodi; ut is propter temporum difficultatem, dum diem ex die ducimus ſpe expectationeq; ea, quæ uolebamus, ex ſententia conficiendi, ſuum ad te reditum meo iuſſu ad hoc diei diſtulerit. Quanquàm quidem non illum idcirco nũc ad te remitto; quod omnia, quæ per me confici cupiebamus, confecta iam explicataq; ſint: de certis enim adhuc rebus conſtituere ea, de qua dixi, temporum difficultate impediente ſane non potui. Sed uolui, ut & rerum non confectarum cauſas, & reliquarum rationem et ſtatum mentemq; ſuper ijs meã eodem Internuncio cognoſcendi diutius tibi facultas ne deeſſet. Itaque illum ad te remitto: cui animum meum aperui: eius omnem ſenſum, qua eſt probitate, ipſum ad te diligenter perlaturum plane confido. Dat. Id. Aug. Anno primo. Roma.

Angelo Coſpo. 11

ACCIPIO excuſationem tuam; quam affers de aduẽtus Vlixis fratris tui ad nos dilatione & mora, ægram ſcilicet ipſius ualetudinem: quæ quidem mihi permoleſta eſt: amo enim te atq; illum, ut ſcis, charosq; habeo. Itaq; illi meis uerbis denunciabis, curet ualetudinem ſuam: quam quidem cum recuperarit; det ſe itineri, ad nosq; ueniat: quemadmodum

Bononiæ Magiſtratui etiã ſcribimus hac de re: quas ad litteras te atq; illum reijcio. Dat. XVIII *Cal. Septemb. Anno primo. Roma.*

Herculi Mareſcotto. 12

A D *tuas litteras, quibus excuſas te ad ea, quæ ſcripſi de mittendis Romam liberis tuis; breuiter ſic reſpõdeo: amari te a me; excuſationemq; tuam accipi bonam in partem: Verum uelle me, te omnino eos Romam mittere: ut etiam Magiſtratui Bononiæ ſcripſi. Dat.* XVIII *Cal. Septemb. Anno primo. Roma.*

Laurentio Maluitio. 13

EXCVSATIONEM *tuam, qua mecum per litteras uteris de tuo ad nos aduentu, eatenus admitto; ut te bono in me animo eſſe plane exiſtimem. Volo autem, & tibi mando; ut reiectis omnibus impedimentis Romam uenias. Cæterum ad eas litteras, quas hac de re tota Magiſtratui Bononiæ dedi, te referes: quæq; tibi is meo nomine mandauerit, ea facies ſine ulla tergiuerſatione aut mora. Dat.* XVIII *Cal. Septemb.* MDXIII. *Anno primo. Roma.*

Annibali Bentiuolo. 14

Allatvm ad nos eſt te quædam contra meã & reip. dignitatem libertatemq́; moliri: quod quidẽ ut crederem, non potui adduci. Excidiſſe enim ex animo tuo qua in te liberalitate uſus ſim, non exiſtimo. Itaq; potius a maleuolis hominibus ea iactari et fingi putaui. Verum ne illis, ſi qui ſunt, tui ulterius criminandi des locum, tuq́; eas calumnias diluas; te hortor, ut una cum filio tuo Conſtantio ad me quã primum uenias: te enim ego atq; illum amico, ut ſoleo, animo paternoq́; uidebo: tuq́; ijs de rebus, quæ tibi obijciuntur, præſens melius & facilius nobiſcũ tranſiges. Dat. quinto Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Peruſiæ. 15

Heri media in urbe Carolus Gratianus ſicarijq́;, qui cum eo erant, quinque Gentilem Marcianũ diſtrictis gladijs aggreſſi trucidauerunt. Quæ res tã mihi moleſta accidit; ut omnem curam adhibendam ſtatuerim, ut illi latrones ſui ſceleris pœnas luant. Quamobrem mando tibi cum indignationis noſtræ, tum aquæ & ignis interdicti pœna; ut nihil prætermittas eorum, quæ ad illos omnes capiendos conferre iuuareq́; te poterunt. Itaq; ſi de me bene mereri poſtulas; cura, enitere, conſice; primum ut Carolum

rolum ipſum tanti facinoris caput, deinde reliquos quinque comprehendas tradasq; cuſtodiæ. Id ſi aſſequi poteris; ſtatim ad me ea de re mittito. Scribo autem in hanc fere ſententiam Malateſtæ Balioni: qui cum rem omnem communicabis. Spero enim ipſum pro ea, qua illũ proſequor, charitate, proq; eius in me ſtudio omnia facturum, quæ ad ea, quæ uolumus, conficienda pertinebunt. Tu uero ſi ulla in re alia ſtudium diligẽtiamq; in me tuam oſtendiſti, aut oſtendere concupiuiſti; hanc ipſam mihi te in poſterum commendandi occaſionem ne prætermiſeris. Dat. quarto Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Malateſtæ Balioni. 16

QVO te amore cõplexus ſemper fuerim; quãtoq; ſtudio ornandi tui, tuasq; fortunas dignitatẽq; amplificandi tenear; profecto tibi eſſe debet exploratiſsimum. Multa enim atq; illuſtria mea in te paterna officia & ſtudia extiterunt. Hanc beneuolentiam uoluntatemq; erga te meam longe maiorem atque in tua commoda paratiorem & proniorem efficiẽdi pulcherrima tibi ſeſe facultas obtulit. Heri media in Vrbe Carolus Gratianus ſocijq;, qui cum ipſo erant, quinque Gentilem Marcianum multis uulneribus confoſſum turpiter fœdeq; interfecerunt. Quæ res ita me uehementer commouit; ut omnem curam adhibendam ſtatuerim, ut illi ſicarij pro ſui ſceleris atrocitate puniantur. Quid enim ulli tutũ,

aut quis eſſe locus ſecurus poteſt; ſi talia Romano *prope in foro moliri atq; patrare homines audeant? Quamobrem mando tibi atque imperò; ut una cum* Peruſiæ *magiſtratu des operã; ut* Carolum *ſociosq́;, quibuſcunq; modis atq; artibus comprehẽdatis. Quã ſane rem eo curare diligẽtius debebis; quod eius ſceleris audacia notam atq; ignominiam affert* Gentili Balioni *propinquo tuo; qui cum nefarius ille trucidator* Romam *uenerat.* Itaq; *ut mentis animiq́; mei ſenſum melius atq; apertius intelligas; ſcire te plane uolo; ſi mandatis imperioq́; meo ea in re obtemperaueris,* Carolumq́; *ipſum & ſocios captos comprehenſosq́;* Magiſtratui *tradideris; me daturum operã ut intelligas te mihi rem gratiſſimam feciſſe; melioreq́;, quàm adhuc fueris, loco apud me futurum. Sin aliter, ac ſpero & ſtudio diligentiæq; tuæ confido, tibi ſtatues eſſe faciendum; hoc eſt, ſi latrones illi tua cura tuoq; ſtudio fulti nõ capientur; quo te magis amo, charioremq́; habeo, fortunasq́; tuas dignitatemq́; amplificare magis cupio; eo te grauioribus indignationis odijq́; mei ſtimulis inſectabor.* Dat. Quarto *Cal. Sept.* MDXIII. *Anno primo.* Romæ.

Malateſtæ Balioni. 17

INTELLEXI *profectum te in* Volſcos *eſſe, ut id municipium* Hippolyto Ateſtino Cardinali *traderes.* In *quo tametſi gratius mihi feciſſes, ſi eam profectionem*

fectionē mihi antea per litteras ſignificauiſſes, meq́; uel mandante uel admonito ſuſcepiſſes: te tamen de eo adhuc officio non culpo. Mando autem tibi atque iјs, qui tecum ſunt, ut domum quàm primum redeatis; néue ullum aliud municipiū aggrediamini. Quod ſi, ante quàm hæ tibi litteræ ſint redditæ, locum iam aliquem fueris aggreſſus; impero, ut eo ſtatim relicto omnibusq́; tuis abductis militibus ab eo recedas. Id qui non fecerint, ea pœna, quæ eſt de læſa maieſtate, teneantur. Cæterum quoniam heri ad te ſcripſi de ſcelere per Carolum Gratianū ſociosq́; perpetrato; te hortor, ut cura ſtudio diligentia labore deniq́; omni tuo mandata noſtra explices. Nihil enim mihi aut gratius potes facere, quàm ſi rem cōfeceris: aut moleſtius; quàm ſi mihi non parueris præſtoq́; fueris, quodq́; magis indignationem in te meam excitare poßit. Dat. tertio Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Foroliuienſium. 18

ATTVLERVNT *mihi non mediocrem moleſtiam ea, quæ ſcribis de parricidio iſto in agro perpetrato. Quamobrem non diligentia ſolum tua, quā adhibes in cōquirendis eius ſceleris ſicarijs mihi magnopere probatur: ſed mando etiam tibi, ut in illis puniendis, ſi eos comprehendes, nihil remittas ſeueritatis: quæ cum iuſtitia coniuncta ſit: ſed ita agas; ut id, quod egeris, exemplum cæteris præbeat,*

quo exemplo ab eiuſmodi concipiendis facinoribus abſterreantur. Dat. Prid. Cal. Sept. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Sixto Cardinali Sancti Petri ad uincula, Procancellario. 19

SIGNIFICAVIT mihi Bernardus Bibiena Quæſtor meus Nicolai fratris tui nomine, Epiſcopatum te Lucenſem Andreæ Franciotto uelle tradere. Quæ quidem mihi res uehementer probatur. Amo enim ualde hominem cum mea quidem ſponte; tum uel maxime, quod is chariſſimus fuit Galeotto Cardinali fratri tuo; qui cum mihi, ut ſcis, ſumma neceſſitudo ſingularisq́; beneuolentia interceſſerat. Itaq; non ſolum ea de re te magnopere laudo: ſed hortor etiam, ut quod ſemel in animum induxiſti tuum uelle facere te, id re efficias. Quod ut commodius facere poſſis; polliceor tibi, me & Epiſcopatus tui tibi quamdiu uixeris, et Præfecturarum militũ Hierosolimitanorum, quas ille poſsidet, fructus ipſi Andreæ reſeruaturum. Quin etiam, ſi erit opus, tuq́; ita ſtatues eſſe faciẽdum; Epiſcopatus tui fructus aliorum ſacerdotiorum fructibus, qui tantidem ſint, tibi facile compenſabo: nihilq́; prætermittam earum rerum, quas tu fieri uoles; ut id iam ipſum libẽtius facias. Dat. Prid. Non. Sept. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Regij Lepidi & Parmæ Magiſtratui. 20

DE iſtarum ciuitatum noſtrarum nobiſq́; multas ob cauſas chariſsimarum Parmæ ac Regij propenſo ſpectatoq; in me animo quæ ſcripſiſti multa cum ipſarum laude municipumq́; prope omnium cõmendatione; ea mihi optatiſsima fuere. Nihil enim æque cupio; quàm eos, qui hoc in Imperio ſunt, cum eſſe ipſos egregia probataq́; uirtute; tum noſtræ in eos beneuolentiæ atq; amori cumulate reſpondere. Dabo autẽ operam; ut ſeſe bene poſuiſſe cogitationes ſuas eiuſmodiq́; officia cognoſcant: meq́; eorum commodis utilitati dignitati neq; negligentẽ, & certe gratum experiantur. Quo enim ipſi ad huius reip. Imperium & ardentius ſe contulerunt, & in eo cõſtantius permanẽt; eo magis conuenit me omnia cogitare & ſtatuere; quæ quidem aut hanc ipſorum egregiam uoluntatem augeant; aut certe perpetuã faciant. Qua in re nihil omnino uel ſtudij prætermittam uel laboris. Itaq; utranq; ciuitatem meis uerbis bono animo iubebis eſſe, tuq́; eas iuſte continenterq́; reges. Quod facies; ſi te non tanquàm ad tẽpus propoſitum iſtis ciuitatibus; ſed quaſi uerũ atque a natura inſtitutum uniuſcuiuſq; ciuis eſſe te parentem exiſtimabis. Dat. Prid. Non. Sept. Anno primo. Romæ.

Regij Lepidi Magiſtratui. 21

LEGI permoleſte tuas litteras; quibus me de duobus ciuibus iſto ipſo in foro trucidatis certiorem facis. Itaq; quoniam municipes iſtos & magnopere diligo, & eſſe cupio quàm tutiſsimos; ages contra illos, qui tam audax tamq; atrox facinus atq; ſcelus perpetrauerunt, non ſolum iuſte, ſed etiam ſeueritate ſumma: ut exemplum cæteris ſtatuas ab eiuſmodi facinoribus ſe cõtinendi. Reliquis de rebus proximis ad te litteris ſcripſi. Itaque nihil addam nunc quidem. Tu uero mandata noſtra conficies curabisq́; diligenter, quæ curanda ſunt. Dat. Prid. Non. Sept. Anno primo. Roma.

Vladislao Pannoniæ Boëmiæq; Regi. 22

LECTIS tuis ad me fratresq́; meos Cardinales litteris; quæ quo in diſcrimine tuum Pannoniæ Regnum ob Turcarum apparatum uerſaretur, ſignificabant; & Martino Colocenſis Eccleſiæ cuſtode Internuncio tuo audito; ſtatim una omnes tota re diligenter atque amanter cogitata ſtatuimus; ut nihil eorum, quæ ad tuam ditionem tuendam, communesq́; Chriſtiani nominis hoſtes hoc tempore a tuis finibus repellendos eſſe uſui poſſent, a nobis prætermitteretur. Exiſtimabamus enim & pro tua maiorũq; tuorum in Romanos Pontifices obſeruantia; & pro gentium,

gentium, quæ tuo in Imperio ſunt, fortitudine bellã-
diq; uſu prope aßiduo quotidianoq; cum Turcis; ſi
quo incommodo tuum iſtud Regnum tuiq; populi af-
ficerentur; id omne huius certe Reipub. noſtrũq; ſin-
gulorum incommodum plane futurum. Itaq;, quòd
primum petijſti de tributi auxilio; quantum quidem
præſentium rerum ſtatus atq; hæc tempora tulerunt;
tibi id permiſimus, ijs ut opibus ad te leuandũ bel-
lumq; adminiſtrandum uti poſſes. Deinde, quod nos
rogas, ut ſedandis Chriſtianorum Regum & Prin-
cipum inter ſe dißidentium animis, atq; ad commune
bellum contra Turcas incitandis curam & ſtudium
adhibeamus: in eo dies ac noctes cogitationes meas
plane conſumpſi. Mitto autem nunc quidem ad illos
ea de cauſa Internũcios meos Epiſcopos uiros aucto-
ritate experientia doctrinaq; præſtantes; qui eorũ
controuerſias componant, ipſosq; concilient. Quos
quidem ſingulos tandiu hortari urgereq; per eoſdem
Internuncios non deſiſtam; quoad res ad eum, quem
uolumus exitum perducatur. Id ſi confieri per illos
minus commode poterit: aliquot ex meis fratribus
S. R. Cardinalibus legabo; qui ad illos propere ſe
conferant; remq; conficiant. Qua confecta, fœde-
req; ab Regibus inito tributũ ipſum per uniuerſum
Chriſtianum orbem edictis amplißimis promulgabo:
ſacerdotibusq; cum ſanctißimis, tum eloquentia cla-
rißimis mandabo, ut omnes homines ad id non mi-
nus pium, quàm neceſſarium bellum accẽdant: ut ce-
lerrime periclitanti ſane, totq; iam damna, tot por-
ro calamitates

ro calamitates ꝑpeſſæ Chriſtianæ Reip. tuoq́; in primis Regno optime de ea merito ſuccurratur. Quod quidem certe bellum hoc ſi tempore a nobis ſuſciperetur; irritos conatus noſtros omnes atq; inanes ipſa tempora facerent. Quis enim pecuniam, quis militem remotiſsimis a ſe gẽtibus tribuat; qui pro patria, pro liberis, pro ſalute ſua arma domi tractare cogatur, hoſtemq́; intra lares ſuos habeat? Neque Principes ſane ipſi, etiam ſi populi ſui uelint, in præſenti rerum perturbatione militem egredi, pecuniam erogari, arma, opes ullas exportari ſuis e finibus patiantur. Nos uero ipſi per nos mouere aggrediq́; tãtam rem fortaſſe poſſumus: ſuſtinere atq; perficere non poſſumus. Quæ cum ita ſint; confido tamen, & pacem eam, quam omnes uotis omnibus concupiuimus, Chriſtianos inter Principes mature poſſe confici; & tua incommoda, de quibus ad nos ſcripſiſti; uel cũ fœnore celerrime reponi. DEUS enim Opt. Max. qui ob eximium rerum optimarum euentum præclarosq́; exitus interdum malum ſinit aliquod nõ maximum exiſtere; iſtos tuos labores, eum Turcarũ apparatum ad conciliandos Chriſtianorum Regum animos quaſi molitionem quandam adhibet; quæ infectas odijs malisq́; cupiditatibus obſtructas eorum mentes ad eam, quam uolumus, coitionem conſenſumq́; attrahat; impiaq́; illorum adhuc quidẽ arma ad mutuam aliquando tandem pietatem communẽq́; cum utilitatem, tum etiam dignitatem conuertantur. Quamobrem fili mihi quidem chariſsime atq; optatiſsimo

optatiſsime erit tuæ fidei atq; prudẽtiæ Domino *at-que eius uiribus confidere*. Neq; *enim a militum ro-bore & numero, aut ab apparatu ullo bellico; ſed a* DEI *uirtute, ſed a* Domini *nutu de tuis atq; no-ſtris hoſtibus tibi uictoria eſt expectãda*. Recordare, *quæ is quondam facinora, quas res quamq; magnas per* Gedeonis, *per* Ieptæ, Ionatæ, Dauidis, *per* Iudæ Machabæi *manus confecerit: quarum rerum memo-riam antiquæ litteræ ſempiternam eſſe uoluerunt*. Quæ *profecto omnia maximam tibi afferre ſpem debent, eodem a* Domino *nihil omnino tuis conati-bus in tempore defuturum*. Atq; *ut aliena uetuſtiſ-ſimaq; prætereantur; ea repete; quæ ipſo tuo in* Regno Dominus *apud* Taurunum *oppidum paucos ante noſtram ætatem annos per* Ioannem Capiſtra-*num confecit plebeum prope hominem; quem ad maximas tractandas res ſuæ porro uoluntatis & in-terpretem eſſe uoluit & adminiſtrum*. Noſtra *uero ætate* Rhodij *perexiguo militum numero gloriabun-dum iam ac prope uictorem* Turcarum *exercitum numeroſiſsimum inſtructiſsimumq; fugauerunt*. Nõ *eſt debilior nunc, quàm olim fuerit*, DEI Domi-*niq; noſtri dextera: neq; tu* Vladislae *fili* Ioãne Vai-*uoda, qui una cum* Capiſtrano Turcas *ſuperauit, es inferior*. Id *ex eo intelligi poteſt; quod dum hæc ipſa, quæ ſupra ſcripta ſunt, cogitationes noſtras exhauriunt, exercitasq; habent; tuæq; nos res ma-xime commouent: allatum ad nos eſt a tuorum mili-tum puſilla ſane manu multa milia* Turcarum *mili-tum*,

tum, quæ Illyricũ uaſtabant, cæſa ad unum interiiſſe. Ita qui tibi ſemel affuit DEUS; confidere profecto debes eũ tibi poſthac rite præſertim atq; ſuppliciter precanti non defuturum. Cuius ego in terris uicarium gerens, fratresq; mei Cardinales; ut ad id redeam, quod initio dixi; nihil eorum; quæ ad tui, qui nobis es chariſſimus; Regnorumq́; tuorum, quæ profecto totius Chriſtianæ Reip. quaſi ualli quidam & muri ſane ſolidi contra illorũ impetum ſemper fuere; propugnationem et defenſionem attineat, omittemus. Creaueramus autem iam ante, quàm tuas ipſas litteras accepiſſemus, rumore tantum eius rei audito, qui ad nos incertis authoribus & priuatorũ litteris afferebatur, utpote tuis de rebus etiam ad primas eiuſmodi uoces plane ſolliciti, Thomam Cardinalem Strigonienſem: qui Legatum noſtrum tuis in Regnis ageret: cuius tu prudentiam diligentiam fidelitatẽ erga te plurimis maximisq́; in rebus optime omnium cognouiſti: ut iis, quæ nunciabantur, de immineti Regnis tuis periculo obuiam celeriter iretur. Is tametſi iam ſe ad iter explicabat per ſeſe; mãdaui tamen ei acceptis tuis litteris, ut id etiã diligentius maturiusq; contẽderet. In quo quidẽ ita nobis morẽ gerit; ut nihil illo fieri poſſit ardentius. Ex eo plenius meam in te tuasq́; res paternam uoluntatem & ſtudioſiſſimum bene conſulendi Chriſtianæ Reip. animũ cognoſces: pro qua tuenda, atq; in ea; in qua oportebat, pace trãquillitateq́; reſtituenda neq; operæ, neq; uigiliis, neq; laboribus parcã: libentiſſimeq́;

in ea

in ea cura & adminiſtratione uitã poſuero. Vale.
Dat. Non. Sept. M D X I I I. Anno primo.
Roma.

Antonio Abbati ſancti Bertini. 23

VOLVPTAS ; *quã ex eo, quod Pontifex Max. declaratus ſum, accepiſſe te mirificam atq; incredibilem ſcribis; etſi ea nihil mihi noui attulit: amoris enim erga me tui abundantiam dudum cognitam atq; perſpectam habeo: mihi tamen ſane gratiſsima iocundiſsimaq; accidit. Viſus enim mihi ipſe ſum, dũ tuas litteras legerem, illo ipſo tuo uultu atq; cõſpectu ſuauiſsimo & liberaliſsimo perfrui; quo me olim per Germaniam atq; iſta per loca iter facientẽ amãtiſsime ſuſcepiſti. Itaq; mihi in memoriam reuocaſti eos ipſos dies, quos una fuimus: qui quidẽ tamẽ dies nunquàm ex animo meo exciderunt. Quamobrẽ ſcire te plane uolo, & amari te a me unice; chariſsimũq; mihi eſſe ac ſemper fore: & ſi unquàm occaſio dabitur uidendi tui; quod ſine tuo incõmodo poſſe fieri ſane peruelim; id mihi non minori uoluptati fore; quàm ſi meorũ quempiam mihi ſanguine coniunctiſsimum uſu & conſuetudine optatiſsimum longo non uiſum tempore conueniendi amplectendiq; poteſtas fieret. Quo fit, ut ijs quæ ſcribis, teneri te ſcilicet incredibili deſiderio uidendi mei, facile fidem habeam. Reliquũ eſt; ut ſi quid erit, quod impetrare a me uel tibi cupias, uel tuis; ſcribas id ad nos certa cum ſpe,*

nihil

nihil te fruſtra petiturum. Vale. Dat. VII.Id.Sept. *Anno primo.* Roma.

Ioanni *Saxatello.* 24

INTELLEXI *te ab Annibale* Bentiuolo *poſſeſſiones cum molis frumentarijs, quas ille in* Rheni *uico habet,nuper emiſſe,aut certe emere ſtatuiſſe.* Eam *emptionem cõtra* Bononienſium *decreta eſſe certior factus ſum.* Itaq; *quoniam nolo ulla in re eorum legibus præiudicium fieri; mãdo tibi,ut ab ea emptione prorſus abſtineas.* Quod *ſi aliquam in eo pecuniæ ſummam expendiſti aut fortaſſe totum iam pretium perſoluiſti; dabo operam, ut ab ipſo Annibale tibi omne perſolutum reſtituatur.* Dat. XVI. Cal. *Octob.* MDXIII *Anno primo.* Roma.

Sigiſmundo Gonzagæ Cardinali Mantuano. 25

REDDITAE *mihi ſunt abs te litteræ gratæ illæ quidẽ & optatæ, utpote amore illo tuo uere fraterno pleniſſimæ; ſed tamen quæ mihi uoluptatem illam,quam ex tuis litteris capere ſoleo, magna ex parte imminutam attulerunt. Significabant enim te in quartanam incidiſſe.* Itaq; *pupugit me, ut ſane debuit,incommodum ualetudinis tuæ; quæ mihi curæ eſt æque, atq; ipſa mea.* Hortor *autem te; uel potius abs te quæſo & peto; ut omnem curam & diligentiam adhibeas,ut quàm celerrime conualeſcas: ut*

integra

integra ualetudine & corpore bene confirmato ad urbem atq; ad nos, qui te uidere atq; amplecti cupimus, reuerti poſsis: quod tamen efficies cõmodo tuo. Interea uolo tibi perſuadeas, res tuas, eaq́; omnia, quæ ad dignitatem tuam pertinẽt, curæ mihi et cordi fore. Cæterum Franciſcum Marchionem Mantuæ fratrem tuum, qui a me unice diligitur, ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum. Dat. XVII. Cal. Octob. MDXIII. *Anno primo. Romæ.*

PETRI

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER QVINTVS.

Sixto Cardinali ſancti Petri ad Vincula. 1

LECTIS *tuis litteris, quibus me certiorem facis ad aquarum* Veneris *balnea curandi tui cauſa te acceßiſſe : neq; nunc quidem ſine tuæ ualetudinis incommodo poſſe iſthinc diſcedere.*Itaq; *rogas,ne te accuſem ſi ad* Cardinaliũ *comitia* Romæ *eſſe, quemadmodum tibi ſcripſi cupere me, eiq́; rei intereſſe nequiuiſti :* Ego *uero* Sixte *te excuſo : ualetudinisq́; tuæ rationem tibi in primis eſſe habendam ſtatuo .* Quid *enim poſſumus,aut quid plane ſumus ægroti ?* Quare *manebis tu quidem iſto in loco perlibente me tandiu, quoad tibi uſui erunt aquæ iſtæ : a quibus tibi profici ualde cupio:ut recta poſthac ualetudine uti poßis ; mecũq́; & cum noſtris fratribus* Romæ *eſſe .* Hortor *autem te, quo res melius tuo etiam conſenſu tranſigatur ; ut tuo chirographo, uel mihi, uel cuiuis , qui tibi ad eam eſſe rem idoneus uideatur, mandes tuam uicem : ut is in creandis* Cardinalibus Laurentio Puccio,

Iulio Medice, Bernardo Bibiena, & Innocentio Cibo; quæ tu dicere agere, ſi adeſſes, poſſes, dicere agere ipſe quoq; poßit. Dat. XVI Cal. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 2

QVO amore quáue charitate cõplexus ſemper fuerim Carolũ Orpheum templi Marciani iſtius oppidi Præfectum a me ipſe intellexiſti, quo tempore anno ſuperiore apud te aliquot dies fui. Ei nũc in Galliam proficiſcenti mandaui te ut uiſeret, ſalutẽq; plurimam tibi diceret meis uerbis. Peto autem abs te, ut eum ſuſcipias uti hominem propter plurimas eius uirtutes egregiamq; ac ueterem in me fidem & pietatem mihi ſane charißimum; propter meam uero in te beneuolentiam abs te etiam amandum atq; inter tuos collocandum. Id ſi feceris; erit mihi maiorem in modum gratum. Ipſum enim Orpheum ad me reuerti hac de cauſa tibi plurimum debentẽ tuaq; liberalitate maxime deuinctum, ualde cupio. Dat. XV. Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Sigiſmundo Gonzagæ Cardinali. 3

CAROLVM Orpheum unum ex ijs, qui mihi ſunt charißimi, hominem plurimis uirtutibus præditum, proficiſcentem ad te commendo tibi maiorẽ in modum. Porro mihi gratißimum feceris; ſi eum

ita ſuſcipies tractabiſq́; ; ut intelligat ſe ; quoniam a me diligitur , abs te amari . Dat . xv .Cal . Octob . Anno primo . Roma .

Maximiliano Mariæ, Inſubrum Duci . 4

AMAVI *ſemper multum* Octauianum Marchionem Palauicinum *cum pro ea ; quam in me , dū* Cardinalem *gerebam ; familiamq́; meam omni tempore beneuolentiam miro ſtudio conſeruauit ; tum pro eius egregia in* Rēp. *obſeruātia et cultu, ut multis in rebus expertus ſum , prope ſingulari . Quare illum ita tibi commendo ; ut maiore ſtudio & diligentia commendare nō poßim : teq́; hortor ; ut quibuscunq́; rebus poteris : meo rogatu eum ita tractes ; ut intelligat eos,qui mihi charißimi ſunt, tibi quoq; eſſe commendatißimos .* Equidem *te de eo aliquanto plus etiam diligā ; ſi efficies ut* Octauianus *propter has meas ad te litteras mihi plurimas gratias agat .* Dat. xv. Cal. Octob . Anno primo . Roma .

Magiſtratui Regij Lepidi . 5

EXEMPLVM *litterarum , quas* Ioanni Boiardo *ſcripſimus,habuiſti cum his litteris.* Mando *autem tibi,ut ei meis uerbis imperes eiſdem propoſitis pœnis , quas ei conſtitui ; ne contra* Maximiliani Romanorum Imperatoris *deſignati municipes quicquā tentare armatis hominibus audeat .* Itaq; *litterarum*

mearum

mearum ſenſum mãdatis tuis auctum conſociatumq́; accipiens & ipſe quieſcat, & alios ne perturbet. Sed iuri æquitatiq́; ſuas iniurias, ſi quas habet, remittat. Dat. XIII Cal. Octob. Anno primo. Romæ.

Ioanni Boiardo. 6

ALLATVM ad nos eſt, te armatorum hominũ manum cogere; ut ea certos homines ciues Mutinẽſes, qui in Maximiliani Imperatoris deſignati Regno ditioneq́; ſunt, impetum facias; quibus a ciuibus illatas tibi eſſe iniurias præ te fers. Quæ res cum mihi permoleſta ſit; qui Maximiliani oppidorũ æque atque meorum otio quieti paci conſuli cupio; mando tibi; ne te aut tuorum quempiam contra illos commoueas; neue eos coacta manu perturbes. Teneri autem te ijs pœnis, quæ de læſa Maieſtate ſunt, uolo; niſi parueris. Quod ſi te ab illis offenſum exiſtimas; pergas ea in re legum & iudiciorum uia: neq; enim ſumus tua iura impedituri: ſed potius curaturi, ut tibi ius abunde ac ſine dilatione adminiſtretur. Dat. XIII Cal. Octob. Anno primo. Romæ.

Ferdinando Hiſpaniæ Regi. 7

ET ſi ſcio ijs de rebus, quæ per nos publice gerũtur, a Legato tuo homine perdiligẽte fieri te quotidie certiorem: uolui tamen, ut quod nouiſſime pro Reip. ornamento et incremento ſtatui eſſe faciendũ,

id meis etiam litteris cognoſceres. Non enim uereor, quin tibi pro tuo erga me amore Remq; pub: Chriſtianã ſtudio, eiuſmodi omnia æque iocunda ſint, atq; ipſi mihi. Itaq; ſcies me ad xi Cal. Octob. fratribus meis E. R. Cardinalibus conſentientibus Laurentium Puccium familiarem meum a dandis litteris, & Iuliũ Medicem Archiepiſcopum Florẽtiæ deſignatum patruelem meum; & Bernardum Diuitium Bibienam Quæſtorem, atque Innocentium Cibum ſororis meæ filium, Innocentij Papæ Octaui nepotẽ plurimis maximisq; de cauſis in Cardinalium collegium cooptauiſſe. Quorum trium prudentiam, integritatem agẽdisq; rebus uſum atq; ſcientiam uirtutesq; cæteras, & eſſe tibi perſpectas exiſtimo; & Reip. & honori & præſidio confido fore. De Innocentio autẽ ſpero fore, ut uolumus: habet enim egregiam indolem coniunctam cum optimis moribus; quos ornat litterarum & bonarum artium ſtudijs: ut nihil iam ſit adoleſcente illo probius elegantius charius. Eius rei confectio; quæ me magnopere delectauit; erit ſane mihi & gratior & iocundior; ſi tibi quoq;, qui recte omnia prudenterq; iudicas, perpendereq; ſoles, probabitur. Exiſtimare autem debes; quoniam tuorum in me familiamq; meam plurimorum non ſolum officiorum, ſed etiam beneficiorum illi ipſi omnium optimi teſtes ſemper fuere; quæ ad tuam dignitatem tuendam atque amplificandam pertinebunt; eos eſſe non minus diligenter, quàm quæ noſtra ipſorum intererunt, omni tempore curaturos. Dat. ix. Cal. Octob.

Cal. Octob. MDXIII. Anno primo. Roma.

Octauiano Fregoſio Genuenſium Duci. 8

PLVRIMA egregiaq́; in me atq; in omnes meos tua Federiciq́; Archiepiſcopi Salernitani fratris tui officia; atq; ea quæ in uobis ſumma ſunt, maximarum uirtutum ornamenta, te atq; illum mihi & omni tempore chariſsimos reddiderunt; & nunc ut maxime erga uos liberalitatē et beneficentiam exerceam, me hortantur. Itaq; cum olim Guidus Vbaldus Vrbinatium Dux auunculus tuus; quod duriſsimo ac difficillimo eius exilij tempore ſtrenuam ei operam nauaueris, arcemq́; & oppidum montis Feretrij maximum atq; pulcherrimum eius Regni propugnaculum omnibus in difficultatibus & cunctarum rerum anguſtijs poſitus conſilijs auſpicijsq́; tuis & tua ſingulari ope atq; uirtute tutatus fueris; Sanctæ Agathæ municipiū una cum omnibus eius oppidi regionibus ac finibus tibi ſororis ſuæ filio dederit, donauerit; ut ſui erga te amoris & beneuolentiæ tuiq́; in illum ampliſsimi beneficij pignus monumentumq́; eſſet: nunc ut pulcherrimi eius atq; clariſsimi noſtra ætate facinoris teſtimonium ac præmium mea quoque ope adaugeatur; Sanctæ Agathæ oppidum omniſq́; eius regionis ditio; quod oppidum quamq́; ditionem in huius Reip. Imperio noſtriq́; iuris conſtat eſſe; tibi data donataq́; recte ſunto; eaq́; donatio au-

ctoritate mea probata eſto: Atq; etiam tibi illa ipſe quoq; do dono largior. Quod ſi te ſine liberis legitimis contingat mori; hæc donatio ad Federicum fratrem tuũ extenditor: ut ea, quoad uiuat, uti frui iure poßit. Dat. Septimo Cal. Octob. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ. 9

QVONIAM Antonium Cardinalem Bononienſem ſummopere amamus, multumq; & fidei eius & prudentiæ atque in nos beneuolentiæ tribuimus; uolo ut Baldaſaris Catanei liberos ab eo ne repetas: ſed eos permittas eſſe ſub ipſius fide. Scribo autem Cardinali, ei me Catanei liberos ea conditione remittere; ut, ſi erit opus, uel habere ipſe illos hic, cum uoluero, poßim; uel ipſi iſthic ita ſeruentur; ut ab illis ueritas, quæ per nos quæritur, de Bentiuolorum cogitationibus eliciatur. Dat. VI. Cal. Octob. Anno primo. Romæ.

Dominico Cardinali Grimano. 10

LECTIS tuis litteris; quibus me certiorem facis, te propter tabellarij tarditatem Cardinalium creationi intereſſe nõ potuiſſe; magna moleſtia affectus ſum. Qui enim te pro tuis eximijs uirtutibus excellentiq; doctrina magnopere diligo; ualde ſane cupiebam ei declarationi te adeſſe. Verum quoniam

tabellarium

tabellarium accuſas; mandaui ut is ſuæ negligentiæ pœnas daret. Sed is ita ſe purgat. Ait *enim, quoniam* Vrbe *ueteri te non offenderit, ſe Spoletum recta te tendiſſe; quod ad oppidum te iter feciſſe intellexerat. Quo cum acceßiſſet; rediiſſe te* Vrbem *ueterem ei nunciatum fuiſſe; eóq; reuertiſſe.* Itaq; *ſe tardiorem, quàm oportebat, fuiſſe. Sed quoquo modo ſe res habet; animi tui alacritatem, quam præ te fers, libenter accipio.* Reliqua, *quæ te ſcire uolo ea de re, nuncius tuus ad te perferet; qui cum loquutus ſum.* Dat. V. Cal. *Octob.* Anno *primo.* Roma.

Petro Bibienæ. 11

SANE *quàm mihi gratum atq; optatum accidit id, quod heri ex* Venetorum Legato *publicisq; iſtius Senatus atq; tuis litteris intellexi; eum ſcilicet Senatum* Remq; *pub. nobis arbitris ſuarum cum* Maximiliano Romanorũ *Imperatore deſignato diſcordiarum, quæ quidem diutius quàm oportebat uiguerunt, cauſam cognitionemq; permiſiſſe.* Eoq; *accepto nuncio ualde mehercule gauiſus ſum cum propterea, quod iſta* Reſp. *Senatusq; illuſtris, qui prudentißimus atq; grauißimus ſemper fuit, de noſtra in ſe uetere beneuolentia tantum ſpei atque fiduciæ conceperit; ut ſuarum maximarum cõtrouerſiarum atq; rerum ſummam mihi eſſe plane credendam ſtatuerit: tum quia magnopere confido ex ea re ipſis quidem primum atque eorum oppidis & municipijs*

omniq; Imperio, Italicis deinde rebus magna ex parte diuturno bello contritis atq; labentibus, toti demum Chriſtianæ Reip. plurimas eſſe leuationes maximasq; utilitates prouenturas. Dabo equidem ipſe operam; ut huius ipſorum de me iudicij tam illuſtris tamq; præclari eos nunquàm pœniteat. Idq; eis tu iam nunc meis uerbis ut certum exploratumq; habeant, denũciabis. Reliquas autem huius negotij partes; quæ plurimæ quidem ſunt, quas te atq; illos ſcire uolumus; ex litteris, quas ad te Iulius Medices Cardinalis fratrer patruelis meus dabit, facile intelliges. Quibus etiam de rebus omnibus cum Petro Lando eorum Oratore ſum loquutus. Caput autem illud eſt; ut confidant, quæcunq; ad ipſorum ſalutem incolumitatem commoda, quæcunq; ad dignitatem retinendam pertinebunt; a me amantiſsime ac diligentiſsime curatum iri. Dat. tertio Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Achilli Craſſo Cardinali Bononienſi. 12

CONTROVERSIAM; quam Borninus Blancus ciuis Bononienſis cum Petro et Ioanne Franciſco Ocellano aliquot iam annos habet de fundo & uilla ſatis quidem luculenta; componere iam tum, atque ipſos conciliare cupiebam; dum in Cardinalium collegio poſitus iſtius oppidi Legatum agerem. Itaq; rem aggreſſus breui eam ex ſententia confeciſſem; niſi confeſtim Bononia decedere mearum me rerum curſus

curſus atq; celeritas coëgiſſet. Idem autem mihi nūc quoq; animus uoluntasq́; cum ſit, maximeq́; cupiam, ut ab honeſtis iſtius oppidi municipibus nullæ offenſæ nullaq́; odia exerceantur; tuq́; unus apud eos omnes auctoritate & gratia plurimum ualeas; peto abs te, des operam, ut inter utrasq; parteis ea de re atque cauſa omnes controuerſiæ ſedentur; lisq́; uniuerſa componatur, concordiæq́; uia finiatur. Erit *ea res & ingenio moribusq́; tuis propria, qui pacis es & quietis amantiſſimus; & meæ de tua lenitate atque prudentia expectationi non aliena.* Dat. *quarto* Non. Octob. *Anno primo.* Roma.

Municipio Rauennati. 13

MANDO *uobis, ut* Ioanni Baptiſtæ Bonauē*turæ ueſtræ arcis* Præfecto *reliqua, quæ ei ex arcis cuſtodia debentur, curetis ad eum uſque diem; quo die is eam cuſtodiam* Antonio Medici *tradet; quem ei arci præfecimus.* Dat. *quarto* Non. Octob. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Magiſtratui Bononiæ Polæ Epiſcopo. 14

MANDO *tibi, ut* Nicolao Blanco *ciui* Bononiē*ſi reditum in patriam des; reuocesq́; eum ab exilio; quemadmodū ego illum reuoco: itaq; ſtatuas, ut nulla poſthac moleſtia ea de cauſa* Nicolao *afferatur.* Dat. *tertio* Non. Octob. *Anno primo.* Roma.

Achilli

Achilli Craſſo Cardinali Bononienſi. 15

Scribimvs Altobello Polæ Epiſcopo iſtius oppidi Magiſtratui, ut Nicolaum Blancum ciuem Bononienſem exulem reſtituat, fruiq; patria permittat & fortunis ſuis omnibus. Eam rem tibi etiam meis litteris eſſe notam uolui: hortorq; te, ut negotium, ſi erit opus, auctoritate tua iuues; quo melius atque facilius explicetur. Dat. tertio Non. Octob. Anno primo. Romæ.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 16

Franciscvs Foſcarus, qui tuum Oratorem apud nos egit; perfunctusq; ſuo munere abs te reuocatus iſthuc proficiſcitur; egregiam tibi quidem omnino, Romæ dum fuit, & præſtantem operam nauauit. Nam & in conſilijs tuis explicandis probitatem, & in rebus tractandis prudentiam & grauitatem, & in omni genere ſtudium & diligentiam ſingularem ſemper oſtendit. Mihi uero cũ his atq; cæteris ſuis uirtutibus, tum præclaris in rem Romanam meritis cumulate & pulcherrime ſatisfecit. Hæc autem ad te ſcribenda eſſe duxi non quidẽ, quod ea ulla ex parte latere te exiſtimarem: ſed ut meæ in illum paterne charitatis ſenſum; & conſtans de eius præſtantiſſimis uirtutibus iudiciũ meis apud te Remq; iſtam pub. litteris declaratum atq; teſtatum

tum relinquerem. Dat. *octauo* Id. *Octob.* *Anno primo.* Roma.

Octauiano Fregoſio Genuenſium Duci. 17

MITTO *ad Ludouicum Galliæ Regem Sebaſtianum Piſtorieſem familiarem meũ: qui iter iſthac faciet. Quare abs te peto; ut eum in itinere conficiendo quibuſcunq; rebus poteris, iuues. Et quoniam certior factus ſum in tuæ ditioni uicinis locis magna hoc tempore latrocinia fieri; per mihi erit gratum, des operam, ut Sebaſtianus in Galliam tranſalpinam tuto atq; celerrime ſe conferat.* Dat. VI. Id. Octob. *Anno primo.* Roma.

Dominico Grimano Cardinali. 18

QVONIAM *ad proxime ſacri Lateranenſis Concilij futuros dies aliqua ſunt nobis iam nunc cōſtituenda; peto abs te, quod commodo tuo facere poteris, ut ante diem* XII. Cal. *Nouembris Romam te conferas.* Dat. V. Id. *Octob.* *Anno primo.* Roma.

Regi Britanniæ. 19

LECTIS *tuis litteris; quibus me de tua in Morinis contra Gallos uictoria Morinorumq; deditione certiorem facis; magna ſane lætitia pro mea in te*

in te paterna beneuolentia, proq; rei confectæ ma-
gnitudine affectus ſum: habuiq; DEO Opt. Max.
gratias; quod is eorum, qui pro huius Imperij digni-
tate tuenda & conſeruanda pio ac recto animo ar-
ma ſumpſerunt, curas conatusq; fortunauerit. Quã-
quàm id quidem certe prope pro comperto ſemper
habui. Sperabam enim fore, ut omnia tibi proſpere
atq; feliciter euenirent cum propterea, quod prudē-
tibus conſilijs, ſummis opibus, magno apparatu, nu-
meroſiſſima ualidiſſimaq; manu Maximiliano etiam
Romanorum Imperatore deſignato ſua tecum conſi-
lia communicãte bellum hoſtibus inferre es aggreſ-
ſus: tum uel maxime, quia DEI cauſam agendam
& defendendam ſuſcepiſti. Itaq; cum nō multos dies
de tua uictoria lætus inter tuorum Legatorum iocū-
das ſalutationes confeciſſem; uellemq;, ut par erat,
ea de re tecum per litteras gratulari; ecce alteras
abs te litteras; quæ ſecundam nobis partam abs te
uictoriam longe maximam atq; clariſſimam attule-
runt; Britannicos ſcilicet exercitus tuos cum Iaco-
bo Scotorum Rege; qui quidem ingenti militum nu-
mero inuaſerat in ditionem tuam; manū conſeruiſſe:
eius exercitum fudiſſe: magnam eorum partem Re-
ge ac Regni Principibus occiſis internitioni dediſſe:
magnam eitam captiuam feciſſe. Itaq; paucis te die-
bus bellū atrox ac periculoſum feliciſſime cōfeciſſe.
Iis intellectis tametſi per mihi moleſtum fuit tantum
Chriſtiani ſanguinis effuſum fuiſſe, tot hominū millia
e populo Dominico deſiderari; tum Chriſtianū Re-

gem

gem egregij ſane nominis neq; ſpernendarum uiriũ, ſororis tuæ uirum Chriſtiani Regis ſibiq; coniunctiſſimi ferro confoſſum cecidiſſe: ualde tamen ſum gauiſus alteros tuos exercitus tam illuſtrem tamq; celerem uictoriam de alteris tuis hoſtibus, qui te ab optimo tuo incepto reuocare conabãtur, reportauiſſe. Quamobrem eundem illum, qui hos duplices gloriæ tuæ prouentus ſubminiſtrauit, DEVM flexis ad terram genibus erectisq; cœlo manibus adoraui; quod tibi Regi plane iuueni bellorum initium ab Eccleſiæ ſuæ defenſione auſpicanti hæc rudimẽta tam præclara tamq; conſpicua, quaſi fundamenta iecerit reliquæ ſane uel gloriæ uel ætatis tuæ: Te uero in primis decet exiſtimare ab illo te omnia, nõ ab humanis opibus accepiſſe: quoq; Dominus DEVSq; noſter pluribus atq; maioribus ornamentis uirtutem illuſtrare atq; condecorare uoluit tuam; eo te quidem certe illi humiliorem ſubmiſſioreq; fieri, erit uirtutis & prudentiæ ſingularis. Quod cum feceris, non ſolum credibile eſt, fore ut tibi is ſecunda proſperaq; omnia in ijs, quas nunc tractas, rebus atque bellis largiatur: ſed uiam etiam muniat; per quam ingrediens tuum nomẽ optimis atq; ſanctiſſimis artibus æternitati conſecrare facile poſſis. Id erit; cũ tibi eas cogitationes propones; quibus reliquis tuis reſtinctis pacatisq; bellis ad cõtundendam Turcarũ nimis iam incitatam exultantemq; ferociam accendare. Quas ad cogitationes ineundas, quemadmodũ nunc quidem ſe res habet; multum dari nobis poſſe

temporis

temporis non eſt exiſtimandum. *Ita iam & Pannoniæ Sarmatiæq; Regna populata debilitataq; ab illis ſunt, premunturq; indies acrius: & ipſa Italia amiſsis in proximis regionibus non unis præſidijs illos ſibi uicinos finitimosq;, acerbum ſane dolendũq; ſpectaculum contuetur. Hæc pericula, ut uere dicam, quod ſentio, me ſuſpenſum atq; ſollicitum habent; meamq; de ſecundis tuis rebus uoluptatem & lætitiã eſſe ſolidam atq; propriam non ſinunt. Quare ab ipſo immortali* DEO *precibus omnibus atq; uotis peto; ut quemadmodum Eccleſiæ ſuæ dignitatem ab ijs, qui eius propugnationem ſuſcipere in primis debebant, aliquando male habitam egregie proſperrimeq; eſt tutatus: ita eam & ab accenſo ad inflammanda ſacroſancta eius templa atq; delubra igne, & ab imminenti populorum ſibi dicatorum ceruicibus ferro inimicarum perpetuo gentium aliquando tandem eripiat. Quibus de rebus omnibus cũ Epiſcopo Vnigornienſi Legato tuo loquutus ſum; ut is tibi mentem meam perſcribere latius ac diligentius poſsit. Dat. quinto Id. Octob. Anno primo. Romæ.*

Epiſcopo Feltrinorum Magiſtratui Placentiæ, & Paulo Sumontio. 20

MANDO *uobis; ut quoniam Hieroſolimitani milites in Inſulæ Rhodi cõtra Turcas propugnatione hoc tempore diſtinentur; prouentusq; ſuos ea in re maxime*

re maxime quidem neceſſaria impēdunt: ex eius ordinis poſſeßionum atq; fructum omnis generis penſionibus in eam decimam; quam nuperrime curari exigiq́; mandaui ab ijs, qui clerici eſſent; partem ullam ne inferatis: néue quicquam eo nomine ab ipſis militibus aut eorum procuratoribus exigatis, aut exigi erogariq́; permittatis. Volo enim illum ordinem horum onerum collationumq́; omnium immunē expertemq́; eſſe. Dat. XIII Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Marco Cardinali Seduno. 21

NON oblitus quantum in nos beneficiorum cōtuleris; ei, qui has tibi litteras reddidit, Goro familiari meo ad Heluetios proficiſcenti mandaui, te ut uiſeret, tecumq́; communicaret cauſam profectionis ſuæ. Qua in re peto abs te non id ſolum, ut eum inſtituas omnibus ijs in rebus, quas ad te deferet; doceasq́; quid illi agendum, quid ſtatuendū, quid conandum ſit. Sed illud etiam, ut meam cauſam apud Heluetios agas ipſe, measq́; omnes ſuſcipias parteis. Quod te facturū et facile pro ea qua plurimū apud illos polles dignitate, auctoritate, gratia; & libēter pro tua ſingulari atq; mirifica in nos beneuolentia plane confido. Volo autem in primis, ut ipſos Heluetios de mea propenſa perpetuaq́; in illos uolūtate certiores facias; doceasq́; eo animo eſſe me; ut in eadem cum ipſis fortuna magis magisq́; quotidie

coniungi

coniungi & conſociari cupiam: Deinde ut eos confirmes in Maximiliani Mariæ Inſubrum Ducis ſtatu atq; Imperio; quemadmodum adhuc quidem egregie fecerunt; & fulciendo & defendendo: quæ ſane tibi quidem res curæ magnopere ſemper fuit: nobis autẽ non minus cordi eſt; quàm Florentinorũ Reip. atq; urbis, quæ mihi patria eſt, incolumitas & cõſeruatio: Quemadmodum ab ipſo Goro intelliges. Qui quidem ea etiam; quæ ad te de me falſo delata ſunt; diluet; purgabitq; me tibi; eáq; patefaciet, quamobrem mentem erga te meam atq; animũ perſpicere facile poßis. Te uero etiam atq; etiam hortor; eiuſmodi uocibus hominum uel inuidẽtium noſtræ coniunctioni, uel certe maleuolorum aures tuas ne præbeas. Quemadmodum & ipſi etiam fecimus, facturiq; ſumus ad ea; quæ de te ad me præter tuam dignitatem & allata adhuc quidem ſunt, & fortaſſe afferentur. Neq; enim de tuis ſummis præſtantiſſimisq; uirtutibus ullorũ hominum artibus tãtulam quidem partem detractum iri patiar. Reliquum eſt, ut Goro ipſi meis te uerbis alloquenti omnem fidem habeas. Vale. Dat. ſexto Cal. Nouemb. Anno primo. Romæ.

Laurentio Medici fratris filio. 22

PROFICISCENTI ad Heluetios Goro, ut meũ Internuncium apud illos ageret, mandaui pro mea in Rem iſtam pub. charitate; ut omnem ſuæ profectio-

nis

nis cauſam tibi de uia communicaret. Cui tu fidem habebis nō ſecus ac nobis ipſis: quæq; ex ijs, quæ ab ipſo intelliges, erunt reticenda, nemini patefacies. Dat. *ſexto* Cal. Nouemb. *Anno primo.* Roma.

Heluetijs. 23

MITTO *ad uos* Gorum *familiarem meum hominem mihi uehementer probatum: ut is meum* Internuncium *apud uos agat. Quare uos eius uerbis tantum fidei habebitis; quantum nobiſmet ipſis haberetis, ſi uos præſentes alloqueremur.* Dat. *ſexto* Cal. Nouemb. Anno *primo.* Roma.

Raimundo Cardonæ *pro* Rege Neapolis. 24

CVM *id meum conſilium ſemper fuerit; ut inter* Maximiliannm Romanorum Imperatorem *deſtſignatum &* Leonardum Lauredanum Venetorum Principem *diſcordiæ, quas quidem uterq; diutius, quàm opus fuerat, exercuit, fœdere inito componerentur; ut bella cædesq; in* Italia *deſinerent, pax atq; tranquillitas exiſteret: idemq; optare prudētiſsimum* Regē *tuum ſæpenumero intellexerim: gratiſsimus mihi atque iocundiſsimus is profecto nūcius fuit, quem nuper accepi;* Venetos *ſcilicet ad ineūdam cum* Maximiliano *pacem animum induxiſſe; nobisq; arbitris omnem diſcordiarū ſuarum cauſam totiusq; rei ſummam uelle permittere. Ab hoc enim*

ſonte confido plurima eſſe atq; maxima Chriſtianæ Reip. commoda, ex quibus haurire omnes homines poßint, propediem emanatura. Hanc eorum uoluntatem cum certam propemodum exploratamq; habeam; neq; dubitem, quin illi ea, quæ nunciantur, omnia ut uolumus ſint confecturi: etiam atq; etiam te hortor; ut magis in ea ſententia Veneti confirmentur; ab armis atque in Venetos impreßionibus abſtineas tantiſper, dum ſyngrapham, qua mihi eius rei poteſtas permittatur, ipſi conficiant. Eſt autem prudentiæ tuæ paucorum dierum moram tanti non æſtimare; ut eam ob cauſam ab utrisque noſtrũ diu optatæ, communiq; conſilio ſuſceptæ, & toti rei Chriſtianæ maxime profuturæ pacis atque fœderis confectio impediatur. Quæ quidem mora ne longior ſit, quã neceßitas poſtulat; Petro Bibienæ meo apud Venetos Internuncio mando, det operam, ut trium aut quatuor dierum ſpatio, poſt has ſibi redditas literas ea, quam dico, a Senatu Veneto ſyngrapha cõficiatur: teq; illico tota de re certiorem faciat. Tu uero ea intellecta Cæſarianos tuosq; milites uſquequaque continebis; dum pax ipſa fœdusq; ſanciatur. Summa hæc eſt ut maximi momenti atque ponderis rẽ unius quatridui præſtolatione hortatu meo iuues. Quod te facturum pro tua prudẽtia humanitate lenitate plane confido. Dat. quarto Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Magiſtratui

Magiſtratui Bononiæ Polæ Epiſcopo. 25

QVONIAM Matthæus Cardinalis Gurcenſis ad Vrbem atque ad nos propediem eſt uenturus; uolo, ut ſi iſthac iter faciat, omni eũ honoris & liberalitatis genere excipias; itaq; tractes, ut ſe mihi eſſe chariſsimum intelligat. Ea in re omnes diligentiæ tuæ numeros te implere ſane peruelim. Dat. quarto Cal. Nouemb. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ, Mediolanenſium Duci. 26

REVERTITVR ad te meo iuſſu Hieronymus Moronus Interpres tuus; cuius ſingularem erga te fidem & diligentiam omnibus iis in rebus, quas mecum egit, perſpicere mihi uiſus ſum: eaq; ipſum de cauſa, uti probum & ſpectata uirtute hominem, facile amo. Is tametſi recuſaret Roma te non mandãte uelle diſcedere; oſtenderetq; mihi habere ſe abs te plures cauſas apud nos commorandi; coactus tamen eſt à me itineri ſeſe dare. Putaui enim eum in tractandis apud Heluetios rebus tuis magno tibi uſui futurum. Qui cum multa ad tuum commodum dignitatemq; ſpectantia ſum loquutus: eaq; collegi; quæ horum temporum conditio poſcere maxime uidebatur. Ea ipſa; tum quo ſtudio tenear, ut tibi omnia proſpere atq; feliciter eueniant; ab ipſo cognoſces: qui quidem noſtræ erga te uoluntatis locupletiſsimus

pletiſsimus eſſe teſtis poteſt. Dat. quarto Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Placentiæ & Paulo Sumontio. 27

M A N D O uobis, ut aqua & igni interdicatis, né quis ex ea pecunia; quæ ratione decimæ a ſacerdotibus, qui in Regno Mediolanenſi ſunt, exigitur; quicquàm capere, habereq; apud ſeſe audeat; præter eum, quem uos eius rei curatorem eſſe iuſſeritis: cuius eligendi uobis unis facultas eſto. Volo enim, ut is tantummodo, qui a uobis erit lectus, eam pecuniam adminiſtret. Dat. quarto Cal. Nouemb. M D X I I I. Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 28

P O S T eas, quas ad te proximis diebus dedi litteras; quibus te certiorem faciebam Venetorum Remp. diſcordiarum ſuarum cum Maximiliano Romanorū Imperatore deſignato cauſas omneis nobis arbitris uelle permittere: itaq; te hortabar abſtinerés eos, qui in eorum Imperio eſſent, armis laceſſere tantiſper, dum ſyngrapha eius rei per Senatum Venetum conficeretur: eam ſyngrapham, quemadmodum uolebamus, confectam Veneti nobis miſerūt. Quamobrem quo maiore poſſum ſtudio etiam atque etiam abs te peto, ſtatuas arma eſſe reprimenda, Cæſariſq; milites atq; tuos ab omni offenſionum contra

Venetos

Venetos genere continendos; dum res negotiumq́; per nos tranſigatur. Ita enim & nos Venetis recepimus te facturum: & te, cui quidẽ Ferdinandi Regis tui mens atque animus perſpectus eſt & cognitus, maxime decet facere; nitiq́;, ut nihil eorum, quæ ad pacem conficiendam opportuna ſint, prætermittatur. Ea de re plura cum Bercenno procuratore tuo ſum loquutus. Is ad te omnia perſcribet. Dat. tertio Non. Nouemb. M D X I I I. Romæ.

Franciſco Mariæ, Vrbinatium Duci. 29

CERTIOR factus eos numos, qui Vrbini percutiuntur, probos eſſe; uolo, ut tibi æs argentum aurum flare ferire, quemadmodum conſueſti, & numos cudere liceat: neque ea tibi obſint; quæ noſtris in edictis numarijs nuper propoſitis continentur. Dat. tertio Non. Nouemb. Anno primo. Romæ.

Octauiano Fregoſio Genuenſium Duci. 30

ET ſi pro animi tui conſuetudine tuaq́; propenſa in omnem iuſtitiam uoluntate certum exploratumq́; habeam, omnes tuæ ditionis populos ipſorumq́; incolumitatem tibi magnæ curæ eſſe: tamen quoniam Sauonem oppidum municipesq́; illos, uel quia cum eorũ plurimis magnus mihi uſus interceſſit; uel quod ij omnes uetere inſtituto ciuitatem Florentinam ſunt adepti; mirum in modum diligo: non ſolum te hor-

tor, ſed etiam ualde rogo, Sauonenſium fortunas municipiumq; ipſum & ciues omnes habeas etiam meo nomine chariores: eosq; ita tractes, ut intelligant meam apud te commẽdationem magno illis uſui fuiſſe. Erit id mihi tam gratum, quàm quod gratiſſimum. Dat. Non. Nouemb. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Parmæ. 31

QVONIAM mihi ſatis conſtat Caſtrũ nouum, quod eſt in Parmenſi diocœſi, ad Hippolytum Ateſtinum Cardinalem iure ſpectare: mando tibi, ut id oppidum cũ iuribus eius omnibus Cardinali ipſi, uel eius procuratoribus des tradas ſine ulla mora. Quem enim utpote Reip. perutilem atque in ea adminiſtranda maxime idoneum uirum præſtantemq; hominem unice diligo; impediri ei ſua iura minime omnium uolo. Itaque dabis operam; ut is ad integram eius oppidi poſſeßionem cõfeſtim admittatur. Dat. Non. Nouemb. MDXIII. Anno I. Romæ.

Matthæo Cardinali Gurcenſi. 32

CVM certior factus ſim te ad Vrbem atque ad nos aduentare: qui quidem mihi nuncius ſane gratißimus fuit: ſtatutumq; mihi ſit relaxandi animi cauſa hodie Roma diſcedere: ne propterea tuum aduentum differas, ſi fortaſſe Romæ nobis abſentibus eſſe nõ appetis; ſcire te uolo perpaucos me dies abfuturum.

futurum. Quin etiam cum appropinquare tuum aduentum intellexero; dabo operam, ut nos iam reuerſos offendas; ut te alloqui, & quàm primum uidere poßimus. Dat. Non. Nouemb. Anno primo. Roma.

Municipio Norſino. 33

Allatvm *ad nos eſt exules Caßianos; qui eius oppidi arcem magna cum mea indignitate ui atque armis expugnauerunt; confidere ſe a uobis auxilium ad ſe defendendos, ſi a noſtris militibus oppugnabuntur, impetraturos. Quamobrem mando uobis ea lege, quæ de Maieſtate eſt, & decem millium numorum aureorum fiſco inferendorum mulcta; ne illis ulla in re auxilium præbeatis: neue quicquàm aggredi & tentare audeatis; quod eis exulibus uſui & adiumento eſſe poßit.* Dat. octauo Id. Nouemb. Anno primo. Roma.

Fabritio & Marco Antonio Columnæ. 34

Qvoniam *exulum Caßianorum audaciam; qua ſuperioribus diebus in eius oppidi arce inuadenda capiendaq́; ſunt uſi; ægre, ut debui, moleſteq́; tuli; atque ad arcem recuperandam ſtudium et diligētiam adhibui: magnopere a uobis peto; ne eis exulibus quicquàm opis ad ſe defendendos ſubminiſtretis. Quod tametſi exiſtimem uos pro ueſtra in*

nos pietate per uos ipſos eſſe facturos; uolui tamen ea de re litteras ad uos dare; ut magis etiam de mea uoluntate certiores fieretis, cum id a me intellexiſſetis. Dat. octauo Id. Nouemb. Anno primo. Roma.

Franciſco Hernando Aualo, Marchioni Aterni. 35

IVLIANVM Rodulphum *familiarem tuũ probum uirum & ſpectata uirtute hominem multos iam annos bene cognitum, ualde ſane amo.* Is *quoniam nobis in primis idoneus uiſus eſt; qui* Iuliani *Medicis fratris mei rerum domeſticarum curam adminiſtrationemq; ſuſciperet; ipſum ei rei præfeci: ſperoq; fratri meo magno uſui eius uirtutem et probitatem fore.* Quod *te meis litteris ſcire uolui, cum ut intelligeres exiſtimare me tibi nos non ingratum facere, qui familiaris tui opera noſtris in rebus utamur: tũ ut certior fieres nobis illum tua cauſa etiã chariorem fore.* Dat. VIII. Id. Nouemb. Anno primo. Roma.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 36

ALOISIO Crepello Mantuano; *cuius filio familiariſsime utor; a certis hominibus in tua diocœſi quædam pecuniæ ſumma debetur: quàm niſi te adiuuante recuperarit; arbitratur ſe in perditis & deſperatis habiturum.* Pergratum *igitur mihi feceris;*

hi feceris; ſi dederis operam, ut Crepellus *ad ſuum quàm celerrime perueniat: & cum ipſum, tum* Frã*ciſcum eius filium omnibus in rebus tueberis.* Pro*bos homines & gratos et tua fide dignos clientelaq; cognoſces.* Datæ *quarto* Id. Nouemb. *Anno primo.* De *centumcellis.*

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum.*

LIBER SEXTVS.

Alphonſo Ferrarienſium *Duci.* 1

QVANQVAM *iniquum ſane fuerit ab huius* Reip. *Vicario eos homines, qui in eiuſdem* Reip. *Imperio eſſent, capi, captoſq; in cuſtodia diu haberi: potuerimq; ipſe* Franciſcum *&* Paſotum Fantutios *ciues Bononiẽſes captos a tuis cuſtodiæq; traditos repoſcere abs te iuris & iuſtitiæ uia; petereq; ut eos in libertatẽ ſine ulla mercede reſtitueres: uolui tamẽ & pro noſtra uetere neceßitudine, & pro mea recenti charitate, qua te* Pontifex Max. *amplector, amantißimi hominis officio uti; hortariq; te id ut faceres: ad teq; non unas litteras ea de re dedi ſperans te ad id, quod æquitas ipſa poſtulabat, facile nobis hortantibus deſcenſurum.* Q*uæ res cum aliter, ac ſperabam, ceciderit: teq;* Paſotum *quidem magna accepta pecunia miſſum feciſſe;* Franciſcum *uero in cuſtodia & quidem dura etiam num habere intellexerim, deq; tua in illum aſperitate nihil omnino remiſiſſe:*

ſiſſe: æquius certe erat, & huius Imperij Maieſtati *conuenientius, nihil nos te amplius per litteras hortari: ne totiens eiuſdẽ* Imperij *dignitas auctoritasq́; noſtra nullius eſſe apud te ponderis momentiq́; uideretur.* Quod *quidem ſtatueram facere; atq;, ut ſcis, iam plane faciebam.* Veruntamen *precibus tandem & lachrymis* Franciſci *neceſſariorum permotus idẽ illud etiam nunc ſcribo: abs teq́; uno uerbo peto; ut pro tui* Magiſtratus *officio, proq́; ea, quam nobis obſeruantiam debes,* Franciſcum *iam tandem patriæ reſtituas & ſuis: neq; patiaris eius hominis libertatem; quam tueri potius & defendere debuiſſes, aut impediri abs te, aut ullo pretio emi.* Id *ſi feceris; iuſtitiam pietatem dignitatem meam tibi eſſe curæ non dubitabo:* Si *nõ feceris; & tu meam de te opinionẽ maxime falles; & ego de me deq́; tota re tuã.* Dat. XII. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Lucretiæ Ferrarienſium Duci. 2

NON *unis litteris* Alphonſo *uiro tuo* Fantutios *fratres ciues* Bononienſes *honeſtos uiros noſtros homines commendauimus, ut quidem adhuc uidemur fruſtra.* Nam *cum is eos captos a ſuis in cuſtodia iam per annum habuerit: ego autem illum ſæpius hortatus ſim,* Fantutios *liberaret; ne uel in uiros egregios, qui nihil unquàm in ſeſe deliquerint, agere inhumaniter; uel* Eccleſiaſticam *libertatẽ cõminuere; demum ut aliquid etiam nobis petentibus*

tribuere

tribuere uideretur: alterum quidem eorum, qui ſe magna pecunia redemit, patriæ atque ſuis reſtituit: alteri autem neque de carceris incommodo, neque de pecuniæ ſumma, quam ei ab initio condixerat, adhuc plane quicquam remiſit. Itaque, ut uerum fatear, ægre moleſteq; ferẽs parum apud illum pietatem iuſtitiam Reip. dignitatem, parum etiam noſtras litteras ualuiſſe; ſtatuerã nihil ei amplius ea de re ſcribere, indignum exiſtimans me, qui illũ & ueteris beneuolentiæ & recentis Magiſtratus nomine multũ ſane amo; in re præſertim tã honeſta tamq; plena egregiæ laudabilisq; pietatis totiens ab ipſo fruſtra quicquã ſineq; fructu petijſſe. Sed uicit flexitq; me neceſſariorũ Franciſci perpetua obſecratio: aiũt enim ita illũ aduerſa ualetudine laborare; ut ſi paulo modo ulterius in cuſtodia teneatur ſpiritus illum & uita ſit relictura. Itaque nos orant; ne illũ miſerum atque ſe noſtra, hoc eſt omni ſpe deſtitutos relinquamus. Quare id, quod ſæpius a uiro tuo petij; idẽ nunc etiã ab eodem per litteras peto; ut et illorũ obteſtationibus atque lachrymis, & rei æquitati, honeſtati, pietati, ipſi denique humanitati, qua induimur, ſatisfaciã; Franciſcũ Fantutiũ ſcilicet ſine redẽptione uti miſſum faciat: ſatisq; habeat eã, quã a fratre pecuniã accepit. Volui aũt te etiã hortari et monere: quæ cũ fœmina ſis; tangi te pietate miſericordiaq; duci ueriſimilius eſt: ut apud uirũ ea in re iuſtitiæ measq; partes amplectare atq; ſuſcipias: eiq; perſuadeas, noſtris hortationibus morem gerere ali-

quando

quãdo tandẽ in animũ inducat ſuum: uelitq; hominẽ ſe eſſe meminiſſe. Itaque in homines durius, quàm ipſa humanitas poſtulat, ne agat. Deniq; cum Reip. Vicariũ ſuſtineat; ſciat indignũ atq; iniquũ ſibi eſſe eiuſdẽ Reip. homines capere, captosq; in cuſtodia tãdiu habere ipſa Repub. Põtificeq; Max. ut eos miſſos faciat, poſtulãte. Nã quoniam ſupra mulierũ captum te & prudentem, & plurimis maximisq; uirtutibus ornatam omnes homines prædicant, non dubito, quin a uiro tuo ſis, quæcunque uoles, impetratura; a quo te amari ijs de cauſis uehementer exiſtimo. Itaque hanc tibi rem meo nomine remitto; utpote qua huiuſmodi cauſæ apud uirum Internuncius eſſe aptior atq; coniunctior nullus poteſt: teq; ingenijq; tui bonitatem, qua excellis, ea cura oneratam magnopere uolo. Id ſi feceris; quòd te facturam pro tuo mirifico in nos cultu pietateq; confido; et mihi rem gratiſſimam teq; ac uirtute tua dignam facies: & uirũ ipſum tuum magna calumnia liberabis. Ero etiã ipſe tuis in rebus huius officij non immemor: diligentiamq; aliquando tuam ſarciam. Datæ. XII. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 3

INTELLEXI Gulielmum Marchionem Montisferrati abs te accerſitum Mediolani propediẽ futurum; ut de ueſtris rebus alloqui hominem poſſis. Fuit is mihi nuncius ſane gratiſſimus. Qui enim & te uere

te uere paterna charitate ſum cõplexus; & illũ propter eius plurima in nos, dum Cardinalem *gerebamus, officia, atq; in* Romanos Pontifices *perpetuã obſeruantiam in meam fidem tutelamq́; recepi: maxime opto; ut ea per uos fiant; quibus arcto inter uos planeq́; duraturo amoris et beneuolentiæ fœdere deuinciamini.* Quod *tamen ipſum etiam pro ea uoluntate, qua in omnes* Chriſtianos Principes *ſumus; quos quidẽ eſſe cupio inter ſe quàm coniunctiſsimos; eſt nobis, ut debuit iocundiſsimum.* Eo *autem ad te ſcribere ſum aggreſſus; ut te hortarer; quo maior ipſe es; quoq; tua eſt & fortuna & dignitas excelſiore loco lõgeq́; illuſtriore poſita; eo uelles* Gulielmum *ad te uenientem amantius liberaliusq́; ſuſcipere; atq; omni beneuolentiæ oſtenſione ita tractare, ut ſe tibi plurimum debere fateatur.* Id *& ad tuæ ditionis ſecuritatem propter uicinitatem locorũ, & ad nominis dignitatem propter illius ſplẽdorem expectationemq́; hominum erit aptiſsimum; mihi uero tam gratũ, ut in me ipſum magnum aliquod egregiumq́; beneficium te contuliſſe ſim exiſtimaturus.* Datæ XII. Cal. Decemb. *Anno primo.* Romæ.

Gulielmo Marchioni Montisferrati. 4

PER *ſane gratum mihi fuit id, quod proxime intellexi; te* Maximiliani Mariæ Inſubrũ Ducis *hortatu ad illum breui acceſſurum: ut is de ueſtris rebus te alloqui, ac tecum, quæ ex uſu utriusq́; ueſtrum*

ſint,

ſint, commode conſtituere poßit. Nam qui propter plurima tua in me Cardinalem familiamq; meã officia, & in Romanos Pontifices egregiam uoluntatem magnopere te amo, ualde cupio, ut ea per uos ſtatuantur; quibus ſumma inter uos beneuolentia perpetuaq; coniunctio ſit futura. Quod quidem pro Ducis natura optimisq; moribus fore confido: utq; fieret; quod ad illum attinet; cum per litteras ſum hortatus. Abs te autem etiam atq; etiam peto: primum ut, ſi te itineri nondum dediſti, pergas Maximiliano ea in re morem gerere; libentißimoq; animo te ad illum quàm primum conferas: deinde ut des operam, cum illò ueneris; ut is te non minus uolũtate animi tui, quàm locorum uicinitate, ſibi eſſe cõiunctum cognoſcere atq; profiteri poßit. Id erit mihi pro ea; quam uotis omnibus ſemper concupiui; Chriſtianorum Principum unanimi uoluntate conſtituenda, iocundißimum. Dat. XII. Cal. Decemb. Anno primo. Romæ.

Regij Lepidi Magiſtratui. 5

DEMONSTRATVM mihi eſt Ioannem Petrũ Gonzagam Nuuolariæ Comitem rebelles meos Regienſes homines ſuum in oppidum recepiſſe. Id ſi ita eſſe compereris; meas ad illum litteras, quas unà cũ his litteris accepiſti, quàm primum mittes. Earum exemplum has in litteras conieci; ut tuas apud illũ poſtulationes ad earum ſenſum accommodare atque

aptare

aptare poſſes. Sũma eſt; cures omni diligentia deſq; operam; ut eos habeas, & quemadmodum meriti ſunt, mulctes ac punias. Dat. VIII. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Ioanni Petro Gonzagæ Nuuolariæ Comiti. 6

Ex *litteris optimorum uirorum intellexi id; quod ſane credere pro mea in te uetere beneuolentia uix ægreq; potui: te meis rebellibus* Regienſibus *tuo in municipio receptum ac perfugium dediſſe.* Id *ſi ita eſt, te non ſolum moneo atque hortor, ſed tibi etiam præcipio ac mando; ut quotquot ex illis tuis in locis habes; eos omnes* Regij *Magiſtratui tradas: qui autem poſthac ad te uenerint; eos ne recipias; ſed expellas: ne conqueri de te merito & magna cum cauſa poßimus.* Dat. VIII. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Bononiæ Polæ Epiſcopo. 7

Dederunt *ad nos litteras ij, qui publice bonas arteis iſto in oppido profitentur; mores atque conſuetudines illo in ludo conſtitutas magna ex parte remitti & negligi ſic; ut neq; horæ profitẽdi, neq; conuentus diſſerentium, neque* Magiſtrorum *immunitates, atque comitia haberi ſolita cuſtodiãtur.* Eam *ego rẽ, ut debui, ægre moleſteq; tuli; qui ludũ iſtum eſſe quàm ornatißimum cupio.* Mãdo *igitur tibi; ut*

omnibus

omnibus profeſſoribus imperes; ut leges atque conſuetudines uſquequaque tueãtur; nihilq; prætermittant eorum; quæ tum fieri aſſolent; tum diſcipulorum utilitatem atque commoda continent. Qui non fecerit; ei ſalarium auferri, & in ærarium inferri iubeto. Dat. VIII. Cal. Decemb. *Anno primo.* Roma.

Antonio Cardinali Bononienſi. 8

CERTIOR *factus* Bentiuolos *fratres ſuarum rerum recuperationem iuxta litterarum ſentẽtiam, quas ad* Altobellum Polæ *Epiſcopum* Bononiæ *Magiſtratum dedimus, aſſequutos nondum fuiſſe: te & moneo & hortor; des operam, incumbasq; in eã rem, ut omni ex parte ea recuperatio meis ex litteris conficiatur; neque ulterius a quopiam ullo nomine differatur. Quam ſententiam uoluntatẽq; meã* XL *uiris* Bononiẽſibus *denunciabis: eosq; meis uerbis admonebis, ſi mihi rem gratiſsimam facere uolent, eiuſmodi cõfectionem ne impediant.* Dat. VIII. Cal. Decemb. *Anno primo.* Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 9

EX *litterarum* Octauiani Genuenſium *Ducis illiusq; oppidi* Decurionum *ad nos exemplo; quo in loco eius ciuitatis res ſint propter illorum audaciã, qui perturbare eam armis, collectisq; exercitibus*

omnia permiſcere aggrediuntur; facile perſpicies. Ea res *cum nihilo ſane minus* Ferdinandi Regis *tui tuamq; dignitatem; quorum auſpicijs is, qui nunc uiget, eius urbis ſtatus magna cum omnium ciuiũ uoluptate fuerat conſtitutus; quàm noſtram ipſorum, qui municipium illud in fidẽ & clientelam recepimus, diminuere labefactareq; uideatur, hanc mihi operam ſumpſi, ut curarem, ut eorum te nihil lateret.* Quæ *cum erunt abs te intellecta & cognita; tui conſilij erit, perferre ne ac perpeti uelis tantam indignitatem; ut paucis* Galliæ *ciſalpinæ rebus reliquis, quæ turbari fortaſſe poterant, plane iam cõſtitutis; teq; prope uno in* Italia *paratiſsimum exercitum habente; cæteris aut ſuperatis, aut communi ſententia bellum tecũ adminiſtrantibus; tamen ſint, qui urbem* Genuam *in tuam noſtramq; fidem receptã oppugnare audeant ſub oppidi prope iam mœnibus atque ipſas ad portas poſitis caſtris.* Equidem, *quod ad me attinet, eos, unde illa, de qua loquor, armatorum hominũ manus ad quietem eius oppidi auertendam comparari audiebatur; propterea quod eum rerum motũ totius* Italiæ *res turbandi et permiſcendi, ac bellum maximum excitandi, nouasq; res moliendi afferre initium exiſtimabam; non unis uel litteris, uel certis miſsis hominibus monui, ab incepto deſiſterent; præſentemq; eius urbis ſtatum meæ fidei commiſſum & traditum ne uexarent, exiſtimans ipſos hortatu meo facile quieturos; præſertim cum ſcirent in eo non minus* Ferdinandi Regis,

quàm meum nomen dignitatemq; conuelli et conteri. Triremes etiam meas eam ad urbem tuendam miſi. Nunc uero cum neque noſtræ neque Regis tui dignitatis Maieſtatis nominis ulla ab ipſis ratio habeatur; æquũ eſt te, qui exercitui lectiſsimo atque fortiſsimo præes, eiuſdem cum Regis, tum noſtras, tuas denique ipſius partes ſuſcipere; omnesq; nos, teq; in primis ab iniuria tam inſigni præ te ferre uindicaturum; ne te nominisq; tui amplitudinem partãq; iam gloriam cõtemnendam quiſpiam poſthac ducat. Quis enim tuæ ſe Regisq; tui fidei creditum tutum ſecurumq; exiſtimabit; ſi Genuæ ſtatum tuis armis conſtitutum, in Regis tui fidem receptum uiderit uel peruerti, uel labefactari? Quamobrem incumbe in eam cogitationem, ſenſusq; tuos omneis atque animum excita; ut oppidum egregium; cuius oppidi otium cæteris Italiæ oppidis quieti, bellum tumultui eſſe maxime poteſt; ab imminenti hoſtium periculo tua diligentia conſilio auctoritate, armis etiam ſi neceſſe erit; quæ quidem arma hoc tempore tibi præcipue parẽt; tuis denique opibus eripiatur. Quod unum & Regi tuo ſempiternam gloriam pariet: & mihi tam erit gratum; ut me tibi ea de cauſa plurimum debere ſim exiſtimaturus: tibi certe ipſi nominiq; tuo magnum ſane ſplendorem, magnam auctoritatem afferet. Dat. VII. Cal. Decemb. Anno primo. Romæ.

Epiſcopo Ceruiæ, Ceſenæ Magiſtratui. 10

MANDO tibi; ut apud te meo nomine adſeraues numos aureos mille; quos habes reliquos ex rationibus Saluatoris; qui nuper mortem obijt, cum uectigalia Flaminiæ adminiſtraret. Quarto Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 11

VALDE mihi ea omnia probantur; quæ ad Fani Fortunæ municipum quietē ſpectantia per tuos ad me homines perferre uoluiſti, cum in perſoluendo ſalario Bernardo Cardulo; qui procuratorē meū eo in oppido proxime geßit; tū in reſtituendis Frāciſco Alexandro Ceſenati ijs, quæ ei ratione ſpoliorum debentur. Quare uolumus ut ſic fiat; quemadmodum ipſe conſulis: ſcilicet ut Cardulo nihil perſoluatur ultra id, quod tu ei curari iußiſti: Alexādro autem quæ debentur, reſtituendi ea ratio adhibeatur; quæ tibi eſſe commodior ad otium eius oppidi uidebitur: Mando etiam Epiſcopo Policaſtrenſi Fani Fortunæ Magiſtratui, ut ex tua ſentētia utrāque rem adminiſtret. Dat. tertio Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Digitized by Google

Heluetijs, qui apud Genuam ſunt. 12

NON ſane quiui pro Rep. læſa ſpretaq; Maieſtate non permoleſte ferre, uos, qui eiuſdem Reip. libertatis propugnatores acerrimi nouiſsimis his tēporibus ſemper fuiſtis; atque ab ea magno in honore habiti præclara ipſius erga uos atque illuſtria beneuolentiæ amoris neceſsitudinisq; ſigna monumentaq; accepiſtis; ad præſentē Genuæ ſtatum et Octauiani eius ciuiū Ducis quietē conturbandam collecto exercitu armatosq; acceſsiſſe: cū multo antea intellexiſſetis a meis miſsis ad uos ea de re Internuncijs ipſum Ducē fratremq; eius Federicū Archiepiſcopū Salernitanorum in meā fidem fuiſſe receptos. Quāobrem Fabritium familiarem meum magnis itineribus ad uos his cum litteris mitto: ut is uobis ea, quæ mihi æqua & iuſta magnopere uiſa ſunt ſuper ea re, nunciet meis uerbis: cui fidem habebitis. Summa omnium eſt: ut ſine ulla mora & a Genua exercitum abducatis; & nihil agri Ligurum uaſtatum, nihil uillarū incenſum relinquatis. Id ſi feceritis; de mea in uos beneuolentia nihil remittam: quam omni a me quidem officiorum cultam genere, quoad ipſi uolueritis, conſeruabo. Dat. Prid. Cal. Decemb. Anno primo. Romæ.

Pontis Curui Magiſtratibus. 13

SCRIBITVR *ad nos ueſtrorum hominum magnam manum ad Arcem Guillelmam incurſiones feciſſe; perq́; eius oppidi agrum depopulabūdam prædabundamq́; fuiſſe uagatam.* Id *quàm alienum ſit a mea cum in omnes homines, qui noſtro in* Imperio *ſunt, tum uel maxime in* Franciſcum Mariam Vrbinatium Ducem *noſtrarum copiarum* Imperatorem *uoluntate, ipſi per uos ſcire cogitareq́; debebatis: neque quæ iniquißima ſunt, grauißimásque animaduerſiones merentur; tam audacter támque temere admittere.* Quare *uobis ea lege, quæ de* Maieſtate *eſt, præcipio & mando* Primum *quidem, ut ab omni non modo incurſione & præda direptioneue eius municipij atque omnino agri; ſed etiam tum a rerum* Arcis Guillelmæ, *tum ab hominum quantulacunque læſione offenſionéque prorſus abſtineatis:* Deinde *etiam ſi reliquorum ei municipio uicinorum hominū ullæ manus aut in idem oppidum, aut in reliqua eius* Ducis *oppida incurſiones facere uolent; quantum in ueſtris opibus erit poſitum, ea uniuerſa omni ab iniuria tueamini; eisque auxilium, quo ſe defendere & tueri poßint, diligentißime amantißimeq́; ſubminiſtretis:* In *quo ipſo ne ſtudia officiáque ueſtra ulla ex parte, a nobis deſiderentur, ut curam adhibeatis; eadem lege committenda uos moneo.* Dat. *tertio* Id. Decemb. *Anno primo.* Roma.

Ant.

Ant.[o] Cardinali Bononienſi. 14

Peto abs te, & quidẽ ualde peto; ut quoniam Baldaſſare Mediolanẽſi municipe tuo uiro & probo & perelegãti multos iam annos familiariſsime utor; des operam; ut is inter illos admittatur; qui idonei ſunt, ut ad Magiſtratus Bononienſes gerendos recipiantur. Dat. Idibus Decemb. Anno primo. Romæ.

Gulielmo Marchioni Montisferrati. 15

Et amauimus te antea, dum Cardinalem gerebamus, omni tempore: amari enim nos familiamq; noſtram a te ſciebamus: et nũc quidem, cum mihi nihil merito Põtificatum Maximum cõtulerit DEVS, paterna te beneuolẽtia atque intimo amoris & charitatis meæ ſinu complector atque contineo. Eſt enim mihi exploratiſsima tua tuorúmque maiorum in Romanos Pont. obſeruantia & fides: quæ te mihi præter eam, qua me proſequeris, pietatem commendatiſsimũ faciunt. Itaque ſic uelim exiſtimes; te tuósque omnes, uxorem, liberos, fratrem mihi magnæ curæ eſſe. Idq; ut omnes homines intelligant, nos ſi erit opus, operam & ſtudium libentiſsime poſituros. Porro quæcunq; ad tuam incolumitatem, quæcunque ad ditionis tuæ tuorumq; populorum & tuarum rerum omnium conſeruationem pertinebunt; in ijs tibi nunquàm deero: neq; te, uti de hoc Imperio deq;

me optime meritum, & in meam initio Pontificatus fidem tutelamq́; animo libentiſsimo receptum; lædi a quoquàm, quoad potero, patiar. Dat. XI. Cal. Ian. Anno primo. Romæ.

Ferdinando Hiſpaniæ Regi. 16

INTELLEXI te Petro Cardinali Anconitano fructus Eccleſiæ Gaditanæ retineri mandauiſſe. Quæ mihi res & pro meo in illum fraterno amore, et pro eius in rem Romanã plurimis maximisq́; promeritis non paruam ſane moleſtiam attulit: præſertim cum perſpectiſsimum mihi ſit eum tui ſtudioſum ſemper fuiſſe; tuasq́; res, dignitatem, gloriam, rebus omnibus antetuliſſe. Quare te hortor; neq; hortor ſolum, ſed etiam peto abs te diligentiſsime, uelis Eccleſiæ Gaditanæ prouentus Cardinalis procuratoribus remittere: quod erit mihi tã gratum, quàm quod gratiſsimum. Cæterum polliceor tibi, in meq́; recipio; reliquis in rebus, quas cum eo tractas, quemadmodum uoles ipſe, ſic plane fore. Dat. IX. Cal. Ian. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Internuncio Hiſpanienſi Epiſcopo Conſentino. 17

EXEMPLVM litterarum, quas Ferdinando Regi ſcribimus poſtulantes ut is Eccleſiæ Gaditanæ fructus interdictos a ſe Cardinalis Anconitani procuratoribus remittat; habuiſti cum his litteris.

Mando

Mando autem tibi; ut apud eum agas, cures, enitare; ut res, quemadmodum uolumus, conficiatur: in quo nihil prætermittes: ſi mihi rem gratiſsimã uoles facere, neq; diligentiæ, neq; ſtudij, neque plane laboris. Eſt enim mihi permoleſtum, Cardinali de Rep. deq; nobis optime merito in colligendis Eccleſiæ ſuæ fructibus negotium fieri. Nam quod ad eas res attinet, quibus tu de rebus ad me ſcripſiſti; certiorem facere Regẽ poteris, me curaturum; ut quẽadmodum ipſe poſtulat, ſic aptentur. Dat. nono Cal. Ian. Anno primo. Romæ.

Federico Archiepiſcopo Salernitanorum. 18

IVSTISSIMIS *me cauſis impellentibus mando tibi; ut quem habes ſacrorum tuorum in Eccleſia Salernitana Vicarium; eum quàm primum amoueas ab adminiſtratione illa & loco: teq; id meo iuſſu facere neq; ipſi, neq; cuipiam patefacias. Dat. quinto Cal. Ian. Anno primo. Romæ.*

Bononiæ Magiſtratui Polæ Epiſcopo. 19

MANDO *tibi; ut ex ijs ducentis peditibus, qui ſub Rainaldo Gazoprætorij Præfecto iſthic merent L milites eximas: quorum ſtipendium in alios milites tot numero, quot tibi & XL uiris ſatis eſſe uidebuntur, per uos deligendos transferatur: quibus militibus ea mandetur cura, iſq; præficiatur; quam curam*

curam eſſe ex uſu iſtius urbis, quemq; Præfectum ei rei fore idoneũ iudicabitis: ita ſane; ut poſthac Rainaldus CL *milites tantummodo habeat, quibus imperet: illi autem, qui per uos deligentur, tibi & XL uiris obediant præſtoq; ſint ſuo cum Duce.* Dat. *quarto* Cal. Ian. MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Octauiano Duci Genuenſium. 20

VENIVNT *ad* Vrbem *atq; ad nos e* Gallia Traſalpina *ſacerdotes aliquot honore & dignitate præditi, tolẽdi ſchiſmatis cauſa, ſeq; cum ſacro* Lateranenſi *Concilio reliquorum illius* Eccleſiæ *ſacerdotum nomine coniungẽdi: quibus obuiam mitto eũ; cui has ad te litteras dedi; uiatorem meum: qui cum tutius atq; ſecurius accedere* Romam *poßint.* Quare *abs te peto, des operam non ſolum ut ij ſine ullo impedimẽto per tuæ ditionis loca iter faciant: ſed etiã ut a tuis & amice & liberaliter excipiantur.* Dat. Cal. Ian. MDXIII. *Anno primo.* Roma.

Petro Bibienæ *apud* Venetos Internuncio. 21

INTER *eos, qui meo ſtipendio aluntur, eſt* Auguſtinus Coppus *iſtius* Vrbis *ciuis uir & multũ terrarum peruagatus, & omnis laboris experientiſſimus; tum & induſtrius & elegans et plane comis, & mihi certe gratus. Is quoniã a patria ſua in exilium*

lium miſſus multos iam annos externis in locis duriter & laborioſe confecit; cupitq; quàm maxime, ut ſibi redire ad lares ſuos liceat; mando tibi; ut Leonardum Lauredanum Principesq́; *ciuitatis adeas; horterisq; meis uerbis, uelint rogatu meo* Auguſtinum *ab exilio reſtituere: eisq́; perſuadeas; ut exẽplo* Domini; *qui quidem delinquentis pœnitentiam, quàm mortem mauult; ea in re pietate potius & miſericordia, quàm uindicta utantur.* Quod *quidem tametſi pro iſtius in me* Reip. *uoluntate facile me aſſequuturum confido: uolo tamen ut eam rem diligenter adminiſtres; oſtendasq; Senatum iſtum mihi plane gratiſſimum facturum; ſi in* Auguſtino *ad patriam reuocãdo mitem ſe liberalemq́; præbuerit.* Tota *autem de re quid egeris; facies me quàm primum tuis litteris certiorem.* Dat. Prid. Non. Ian. MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Maximiliano Imperatori deſignato. 22

ET *ſi et animo ſemper agitaui ex eo tempore, cum* Pontifex Max. *creatus ſum; ut pro* Reip. Chriſtianæ *otio cõmuniq; bono te ab armis, ab ardore animi, ab odio exercẽdo cum ijs, quos hoſtes tuos appellas,* Chriſtianis Regibus *atq;* Principibus, *ad pacem atq; amicitiam reuocarem: et poſtea quàm* Matthæus Cardinalis Gurcenſis Vicarius *rerum* Italicarum *tuus prudẽs excellensq; uir* Romam *ſe contulit, cum eo ſæpius eadẽ de re ſum loquutus:* Tamen *quoniam*

niam ijs diebus fratres mei E. R. Cardinales nõ ſolũ ſeparatim, ut cuiq; uſui fuit; quod ſæpe antea fecerant; ſed etiam una omnes atq; palam nos ea de re multo diligentius atq; accuratius monuerunt ueriti, ne ſi paulo modo ulterius noſtrorum Principum diſcordiæ inter eos uiguiſſent; Chriſtianã Remp. bellis ciuilibus debilitatã ualidiſſimi hoſtes noſtri Turcæ adorirentur atq; opprimerent; qui tractare arma, parare exercitus, claſſem conficere audiebantur: idem nunc quoq; mihi tecum per litteras multo accuratiſſime agendum eſſe contendendumq; exiſtimaui: præſertim cũ & nonnullorum Regũ ac Principum querelæ acceſſerint litteris eorũ & nuncijs ad nos perlatæ, petentium, ne Chriſtianos populos noſtræ curæ fideiq; creditos diutius inter ſe concurrere collidiq; ſineremus: & ipſe Italiæ deuaſtatæ prope ac deſolatæ uocibus & quaſi lachrymis exciter; ut de grege Domini paſſim pereunte ac ſe conterente ſollicitus nihil non curæ in eo continendo conſeruandoq; adhibeam, nihil remittam laboris. Itaq; te & moneo & hortor & plane etiam atq; etiam rogo per DEI Opt. Maximi nomen; a quo tuo ſane nomini dignitas omnis Maieſtasq; acceſſit: per ſedem hanc Chriſtianæ Reip. cuius unius tuendæ cogitatio ad te maxime omnium atq; iuſtiſſime pertinet: per tot ſanctorum uirorum humata hac in urbe atq; tellure corpora; qui multos labores, multas ærumnas pertulerunt, multum etiam ſanguinis inſtituendis noſtris ſacris augendisq; profuderunt; ut ad pacem

cum

cum tuis hoſtibus ineūdam animum & cogitationem tuam des; eamq́; de ſedibus deq́; populis Domini prope expulſam, te quidem certe implorãtem ne aſpernere: præſertim ſi æquas illam ad te conditiones afferre perſpexeris. Quam certe in ſententiam adduci eo facilius debes; quo laudabile illud propoſitũ animi tui, qui cum in primis ad arma proſiluiſti, ut libertatem eccleſiaſticam audacia nonnullorum uiolatam comminutamq́; defenderes, dignitatemq́; noſtram ab iniuria uendicares; ſuos iam exitus habet: hoſtesq́; tui DEI munere ac tua incredibili uirtute tuorumq́; fœderatorum auxilio poſitis animis contumacibus ad huius Reip. cultum & obſeruantiam humiles acceſſerunt. Certe quemadmodum te bello fortiſsimum atq́; inuictum adhuc quidem omni tempore præſtitiſti: ita optimis cõſilijs tractabilem dari nunc te; erit non minus prudentiæ tuæ; quàm illud fuerit fortitudinis. Meminiſſe etiam debes; cum omnium Chriſtianorum Imperatorem geras; datum te a DEO eſſe quaſi tutorem eius populis; ut non tam tibi cogitandum ſit, quos uincere atq́; ſubijcere tuæ ditioni poßis; quàm ut omnes eſſe incolumes te procurante conſpiciantur. Deinde quo maior ipſe excelſiorq́; es; eo te decet omnibus hominibus faciliorem commodioremq́; eſſe, benignitatẽq́;, nõ acerbitatem naturæ; obliuionem iniuriarum, non uindictam; liberalitatem nõ potentiam exercere: neq́; tam quærere, quibus artibus latiores Imperij tui fines habeas; quàm quibus uirtutibus gloriam tui

nominis extendere, hominumq́; in te beneuolentiam augere atq; amplificare melius atq; facilius poßis. Quamobrem, ut ad illud redeam, quod initio dixi; rogo obteſtorq́; te, primum quidem, ut animum tuum ad pacem inter omnes Chriſtianos Principes *conciliandam applices:* Deinde *ut te ad eas pacis cō=ditiones cum tuis hoſtibus deducas; quæ ſi non tales erunt, quales ipſe uoles maximè; ſint tamen eiuſ=modi; ut qui te ſummopere diligunt, non eſſe eas abs te reijciendas putent.* Cruentari *enim gladios, uaſtari prouincias, oppida dirui; quæ quidem mala cum bellis ſemper coniuncta ſunt; exerceri denique inter* Chriſtianos Principes *tam acerbas conten=tiones, non ſolum* Reip. Chriſtianæ *periculoſum eſt; ſed ne illis quidem ipſis, qui eas exercent, non triſte, non miſerum, non fugiendum.* Id *ſi ipſe per te fece=ris; plane confido reliqua bella omnia in uniuerſo eiuſdem* Reip. Imperio*, omnibus hominibus tuum unius præclarum factum reſpicientibus, facile quie=tura: quiq́; noſtris ceruicibus imminens hoſtis no=ſter perpetuus* Turca*, deq́; noſtris ſeditionibus in=credibilem lætitiam capiens nos eam ob cauſam a ſeſe facilius debellatum iri ſpem non dubiam alit; uel ſe intra ſuos limites continebit; uel nos unà in redimendis a ſeruitute* Chriſtianis *gentibus conſpi=rantes aliquando uictores ſentiet.* Me *quidem ip=ſum, qui te unice atq; ſummopere amo; fratrumq́; meorum* Cardinalium *collegium, uel potius* Chri=ſtianam *rem uniuerſam tibi egregie atq; in omne tē=*

pus

pus deuincies. Dominus autem; ut eſt in remunerã-do benefacta hominum largus; quicquid hac in re atque hoc tempore amore ſui me hortatore tuis ho-ſtibus remiſeris; tibi nominiq́; tuo Auguſto reliquis tuis in rebus poſtulatisq́; decupla menſura atque cẽ-tupla ſarciet. Dat. quinto Cal. Ian. MDXIIII Anno primo. Roma.

Singulis ijs, qui creãdi Imperatorem ius habent. 23

EXEMPLVM litterarum, quas ad Maximilia-num Imper. deſ. dedimus; quibus eum ab armis, a bello, a contentionibus cum Chriſtianis Principibus exercendis, ad pacis ſtudia cogitationemq́; reuoca-mus; habuiſti cum is litteris. Ex eo curam in ea re noſtram, diligentiam, ſtudium, pietatem deniq́; quam adhibemus, ut eius cæterorumq́; Principum animi pacem ineant; facile perſpicies. Quare cum te plurimis legitimisq́; de cauſis magnæ eſſe apud illum auctoritatis exploratum habeam; nec dubitem, quin pro tua uirtute animiq́; temperantia, proq́; officio optimi prudentiſsimiq́; Principis te quoque cõmunia Chriſtianorum populorum mala uel præ-ſentia, uel etiam impẽdentia commoueant; prorſus uehementer etiam atq; etiam abs te peto; ut meas apud illum hortationes litteris, poſtulationibus, Internuncijs, per te ipſum denique, ſi fieri poterit, & quantum poteris, iuues. Plane enim cum in eo, qui tuos conatus adiuuabit DEVS; tum in tua

diligentia,

diligentia, prudentia, auctoritate, ſpem maximam habeo, fore, ut ab illo ſis quæcunque uoles impetraturus; tam iuſta præſertim in re atque cauſa: quæ quidem id agit; ut Chriſtiani ſanguinis, quē exhauriri profundiq́; tam largiter his temporibus perditis atq; miſeris uidimus, aliquando tandem ratio habeatur; resq́; Chriſtiana publica uel neruos atque uires reſumat, proferatq́; in dies ſeſe; quod erat ſane conuenientius; uel ne perpetuis noſtris hoſtibus ludibrio internecioniq́; dedatur. Id ſi tu quidem fili mihi animoq́; meo pergrate, quantum in te erit, confeceris; & DEI cauſa per te ſuſtinebitur; & me beneficio tuo deuincies; & tibi ipſe gloriam paries ſempiternam. Dat. *quarto* Cal. Ian. MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Laurentio Epiſcopo Feltrinorum Internuncio. 24

Ex *litterarum exemplo; quas &* Maximiliano Imper. *deſignato & ijs, qui* Imperatorem *creandi ius habent, dedimus; ea, quæ de pace inter Chriſtianos* Principes *concilianda ad eos ſcribimus, intelliges, quæ quidem exempla atq; ipſæ etiam noſtræ ad eos litteræ tibi redditæ ſunt cum his litteris.* Volo *autem, primum quidem, ut eas litteras ijs, ad quos datæ ſunt, quàm primum quàmq́; diligenter cures reddendas & perferendas:* Deinde *ut quantum in te erit, omni ſtudio, diligentia, labore, omnibus animi tui ſenſibus rem conſiliumq́; noſtrum apud eos*

ſingulos

ſingulos iuues; nihilq́; omnino prætermittas, quod ad perſuadendam Imperatori concordiam & pacem eſſe uſui & adiumento poßit: nullaq́; te in re exiſtimes æque gratum nobis facere poſſe; quàm ſi hac in re id, quod uolumus, confeceris. Dat. quarto Cal. Ian. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Vladislao Regi Pannoniæ. 25

SCRIPSIMVS & Maximiliano Romanorum Imper. deſignato, & Ferdinando Hiſpaniarum Regi, & Henrico Regi Britanniæ diligentiſſime: qui quidem Reges nonnullis cum Regibus & Principibus Chriſtianis bellum gerunt: eosq́; pro noſtri muneris officio ac propenſa in rem Chriſtianam pub. uoluntate hortati ſumus; ut ab armis inter ſe exercendis; quæ ſane diutius, quàm oportebat tractata uibrataq́; uiguerunt; ad pacis aliquando tandem ſtudia cõuerterentur. Nam præterquàm quod plurima ſemper cum bellis mala calamitatesq́; cõiunctæ ſunt; id etiã plane timemus; ne cõtritis Chriſtianæ Reip. per eiuſmodi odia contentionesq́; neruis atq; lacertis, totoq́; corpore debilitato, ualidiſſimi hoſtes noſtri perpetui Turcæ nos adoriantur, atq; opprimant: qui Ducem audaciſſimum Selinum Regẽ nacti tractare arma, parare exercitus, claſſem conficere dicuntur; ut nos diſſentientes labefactatosq́; peſſundent; ſeq́; noſtris ceruicibus imponãt. Ad hæc acceſſerunt perpetuæ fratrum meorum S. R. Cardinalium idẽ pro-

MM pe uerentium

pe uerentium & reſpicientium iam ab initio noſtri Pontificatus agi cœptæ poſtulationes: qui ſane diligenter non ſolum ſecreto aut ſeparatim, ſed etiam publice atque frequentes ſæpenumero nos admonuerunt, curaremus, ne ulterius Chriſtiani inter ſe populi concurrerent. Certi etiam Reges atque Principes per litteras ac per Internuncios, ut eam curam cogitationemq́; ſuſciperem, pacemq́; inter diſsidentes conficerem, multis me precibus rogauerunt: quos quidem commune periculum ſollicitat; quiq́; magnopere ne hoſtibus noſtris lætitiæ ſimus atque ludibrio, pertimeſcunt. Quas ob res omnes cum ad eos Reges, quos ſupra commemoraui, diligenter ſcriptas litteras dederim: te etiam et monere & hortari uolui; ut eiſdem Regibus ipſe quoq; in eam ſententiam ſcriberes; hominesq́; tuos mitteres, qui eos ad pacis ſtudia cogitanda ſuſcipiendaq́; hortarētur. Quod tu quidem certe facere eo diligentius debebis; quo periculo es proximior; teq́; ipſi Turcæ his temporibus primum omniū ex Chriſtianis Principibus delegerunt; in quem inuaderent, quemq́; debilitare ac proterere conarentur. Id ut facias, non ſolū quia tua intereſt; ſed etiam quia omnium, & quod maxime in eo rei Chriſtianæ dignitas Maieſtasq; defenditur; abs te etiam atq; etiam peto. Dat. tertio Cal. Ian. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Thomæ

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum Internuncio. 26

REVERTITVR iſthuc ad Maximilianū Imper. deſignatum Antonius Cominatus mihi multis de cauſis ualde charus: qui cum multa & tecum communicanda, & Maximiliano ſignificanda ſum loquutus. Quibus in omnibus ei fidem habebis: quæq; illi mandata dedimus; ea tua prudentia et diligētia reddes faciliora. Quin etiam unà cum ipſo, ſi tibi opus eſſe uidebitur, ad Imperatorem te cōferes: resq; cōmuni conſilio noſtras adminiſtrabis. Dat. VII. Id. Ian. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Imperatori deſignato. 27

CVM intelligeremus Antonium Cominatum, quem ad nos miſeras, abs te accerſitum redire ad te; ſciremusq; eum abs te amari: nos uero ipſi uel propterea quod abs te diligitur, uel propter eius ſingularem uirtutem, hominem diligeremus: multa cum eo communicauimus; quæ conducere ad commune utriusq; noſtrum commodum dignitatemq; his temporibus magnopere uidebantur. illum igitur audies, nosq; diliges. Dat. VII. Id. Ian. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Bononiæ Magiſtratui. 28

QVONIAM *certior factus ſum, his diebus eiuſmodi motum iſthic animorũ fuiſſe, ſic ad arma concurſum eſſe; ut mirum propemodum fuerit, plurimorum ciuium cædem & optimorum uirorum interitum non fuiſſe conſequutum: mando tibi; ut cum aliquid excitari audieris inter iſtos ciues; edicta grauißima conſtanter atq; intrepide proponas; operamq́; des, ut omnes te homines timeant, auctoritatemq́; uereantur tuam: ne tibi quiſquàm illudere, uel noſtræ potius dignitati tuo ſub nomine audeat: ſed tibi pareãt; hoc eſt nobis, quorum tu munus in iſto* Magiſtratu *geris.* Itaq; *uolumus; ut omnia agas, cures, præuideas; ne armatorum hominum conuentus a quopiam excitentur.* Et *ſi uerum eſſe compereris, quod a nõnullis affertur,* Antonium Volteium *eius, de quo dixi, tumultus atque motus cauſam occaſionemq́; dediſſe; acriter eum reprehendes, monebisq́; ab armis ſe abſtineat; ne grauius aliquid in illum decernere uel inuiti compellamur.* Dat. *ſexto* Id. Ianuar. MDXIIII. Anno primo. Roma.

Antonio

Antonio Volteio Bononienſi. 29

INTELLEXI *magna quidem certe cum moleſtia; eius tumultus, qui proxime iſto in municipio excitatus parum abfuit, quin maximorum malorum & plurimorum ciuium cædis initium fuerit; te auctorem extitiſſe. Ea res, quo te magis diligo, eo me acrius uehementiusq; commouit cum tua ipſius cauſa; quem eſſe iuſtum & temperantem paciſq; cupidum & ſtudioſum maxime conuenit: tum propter iſtius urbis otium; quod tueri omnibus modis debeo. Quamobrem te hortor, uel potius mando tibi atq; impero, omni ſtudio & diligentia caueas ab eiuſmodi motibus excitandis: ne iuſte de te conqueri, néue in te grauius aliquid decernere atq; ſtatuere cogamur.* Dat. VI. Id. Ian. MDXIIII. Anno *primo.* Roma.

Bartholomeo Liuiano Venetorum exercituum Præfecto. 30

QVAE *ad me perferri per* Dominicum Ma*lium* Internuncium *tuum probum hominem curauiſti; ea mihi plane gratiſſima fuerunt.* In *ijs enim et tuam erga me familiamq; meam ueterem beneuolẽtiam agnoui: & illa tua multarum rerum experiẽtia, prudentia, conſilium; ex quibus ea manabant, & quorum plena* Malij *oratio fuit; non mediocrem mihi uoluptatem attuleruut.* Itaq; *ea de re atq; cu-*

ra; quàm ſumpſiſti, ut cogitationes tuas mihi notas faceres; ualde te amo. Quæ quidem a me omnia diligenter conſiderabuntur: daboq́; operam; quoad potero, temporaq́; patientur; ne fruſtra laborem ſumpſiſſe uideare. Quod ad Iouis oppidum attinet: tibi quidem ſatis libentiſsime feciſſem; ſi modo aliquo potuiſſem. Sed res eſt plane perplexa, ſic; ut explicari hoc tempore non poſsit: quemadmodum ab ipſo Malio intelliges. Reliquum eſt; ut te nobis eſſe chariſsimum tibi perſuadeas: tuaq́; omnia nobis magnæ curæ eſſe, ac ſemper fore. Dat. quinto Id. Ianuar. MDXIIII. *Anno primo. Roma.*

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 38

AMAVI, *quod te ſcire non dubito, quoad uixit, Antonium Cardonam Marchionem Padulæ gentilem tuum cum propter eius plurimas egregiasq́; uirtutes; tum quod me ſingulari obſeruantia proſequebatur. Eius uxor uidua proba ſane nobilisq́; mulier propinqua mea, quod dotis reliquum ſibi debetur, & præterea portionem illam, quam lege petere uiduæ mulieres in Regno Neapolitano ſolent, per procuratores ſuos dari ſibi ex mariti teſtamento poſtulat: cupitq́; maxime, ne impenſis conteratur, ius abs te ſuum quàm celerrime conſequi. Quare abs te peto; eius fœmine cauſam fortunasq́; omnes, quæ hoc in negotio maxime uerſantur, habeas meo rogatu quàm commendatiſsimas; uelisq́; pro tua in*

nos

nos obſeruantia dare operam; ut quod ei iure competit, de eo mulieri, a quibus debetur, integre ac ſine dilatione ſatisfiat. Erit id *&* *uiduarum nomine, quæ præcipue ſubleuandæ ſunt, ſane pium, &* *nobis apprime gratum.* Dat. *quarto* Id. *Ian.* MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Marchioni Brandeburgenſi. 32

REVERTENTIBVS *ad te* Legatis *tuis probis uiris has ad te litteras dedi: quibus tibi ſignificarem me illos tuo nomine a te uenientes, conſiliaq́; tua nobis oſtendentes &* *libentiſſime uidiſſe, &* *non ſemel audiuiſſe; tuisq́; &* *fratris tui poſtulationibus omni ex parte ſatisfeciſſe.* Amo *enim te; atq; illum; tantiq́; facio; quantum utriusq; uirtus atque dignitas poſtulat; hoc eſt plurimi atque maximi.* Itaque *exiſtimare te plane uolo, &* *pro tuo maiorumq́; tuorum in* Remp. *cultu, &* *pro ea, qua nos ipſe pietate proſequeris; quæ ad te dignitatemq́; tuã pertinebunt; ea nos æque, ac ſi de noſtro ipſorum commodo ijs in rebus ageretur, quàm commendatiſſima ſemper habituros.* Dat. *quarto* Id. *Ian.* MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Proregis Neapolitani Vicario. 33

CVM *maxime noſtra interſit, ut* Franciſcus *Mariani Scortij filius ciuis* Romanus, *quem eſſe* Ca-

preis intellexi, mihi dedatur: te etiam atque etiam hortor; des operam, ut eum, quanto celerius fieri poteſt, habeas in cuſtodia ſemoto aliquo & ſecreto in loco. Id *ſi feceris; quod ut facias, magnopere abs te peto; ſpondeo tibi, te in eo non ſolum mihi, ſed* Regi *etiam tuo gratiſsimum eſſe facturum.* To*ta autem de re quid egeris, facies me quàm diligentiſsime certiorem.* Dat. XIX. Cal. Feb. MDXIIII. *Anno primo. Capranica.*

Parmæ Regijq́; Lepidi Magiſtratui. 34

EGREGIAM *mulierem* Paulam Gonzagam *paterne amo uel propter eius probitatem & mores uidua fœmina dignos, nobilitatemq́; generis; uel quia ſoror eſt* Alberti Pij; *quem ſcis apud me* Maximiliani Rom. Imper. *deſig.* Legatum *agere; doctiſsimi præſtantiſsimiq́; uiri; quemq́; ipſe unice diligo.* Itaq́; *certior factus illam maxime cupere impetrare a me* Monticulum *opidulum, quod in agro* Regienſi *eſt, eam ob cauſam tantummodo; ut habitare in eo ſuis cum mulieribus poſsit; uitamq́; cœlibem, quam degit, commodius atq́; honeſtius duceret: mando tibi; ut* Paulæ oppidum Monticulum, *ædesq́;* oppidi *des; quibus utatur: diligentiamq́; adhibeas; ut eas uacuas, cum uti uolet, habeat.* Dat. XVII. Cal. Feb. MDXIIII. *Anno primo. Thuſcanella.*

Maximiliano Mariæ, Mediolanenſium Duci. 35

ALLATVM ad nos eſt; quod quidem nobis moleſtiſsimum fuit; quàm indigne præterque morem ſacrorum hominum et uirorum religioſorum Ciſterſienſis ſocietatis monachi aliquot iſthic nuper ſe geſſerint: qui conducta armatorum hominum manu monaſterium Ambroſianum maius eiuſdem ſocietatis noctu aggreſsi portas ui fregerunt; Baſiliumq́; Caſatenſem eius monaſterij Præfectum comprehenderũt, comprehenſumq́; ſecum abduxerunt. Ea res cum maximam inter omnes monachos perturbationem pariat cum audaciæ nouitate facinoreq́; ipſo, tum uero etiam exemplo; quin tibi quoq; ſummopere diſplicuerit pro animi tui iuſtitia & pietate, plane non dubito. Qua de re tota quid nobis ſtatuendum ſit; mature conſiderabimus; tibiq́; perſcribemus. Nũc autem quia periculum eſt, ne inter iſtos armatorum diſcurſus atq; licentiam aliquis improbus, ut ſunt multi, ad horrea monaſterij Clareuallenſis eiuſdem ſocietatis atq; ad ſupellectilem animum adijciat; quæ quidem ſupellex perluculenta peregregiaq́; eſt; eãq́; appetat atq; diripiat: te magnopere hortor, mittas illò religioſos uiros unà cum tuis militibus; quibus mandes, dent operam: néquid omnino ex monaſterij rebus atq; ex ea ſupellectile uniuerſa, maximeq́; argentea depereat. Dat. XI. Cal. Feb. Anno primo. Grauiſcis.

Magiſtratui

Magiſtratui Sinueſſano. 36

AMO ſane quidem paterne Aloiſium Sinueſſanum familiarem meum: eiusq; opera & fide meis in rebus quotidie utor. Quamobrem patrem eius Frãciſcum bonum & frugi hominem, ipſiusq; Frãciſci res & fortunas omnes tibi commendo maiorem in modum. Qui cum iſti municipio præſis; cuius eſt ipſe ciuis, & in quo domicilium remq; ſuam omnem habet, non eſt dubium, quin illi uſui & ornamento eſſe plurimum poßis. Id ut facias; omnibusq; illum in rebus et negotijs quàm commẽdatißimum habeas, abs te peto. Dat. VIII. Cal. Feb. MDXIIII. Anno primo. De Centumcellis.

Ennio Epiſcopo Verulano. 37

FIDES, opera, diligentiaq; tua; quibus te in noſtris rebus cum Heluetijs eccleſiaſticæ libertatis defenſoribus adminiſtrãdis uſum intelligo; magnopere mihi probantur: hortorq; te; ut quemadmodum adhuc quidem te laudabiliter prudenterq; geßiſti; ita deinceps ea ſedulo agas, quibus optimam erga te uolũtatem meam etiam atq; etiam augeas. Omnibus autem de rebus quæ te ſcire uolo; ea ex meis ad Gorum Gherium Internuncium meum litteris intelliges. Dat. ſexto. Cal. Febr. Anno primo. Ex Seueriano.

Vni ex

Vni ex primatibus Heluetiorum. 38

Ex *Ennij* Epiſcopi *Verulani & Gori Gherij Interpretum meorum litteris intellexi; qua cura & diligentia, quantaq́; tuæ in nos uoluntatis oſtẽſione procurandis apud* Heluetios *rebus noſtris te geſſeris. Quod quidem neq; nouum mihi pro tua probitate atque conſuetudine pluribus in rebus cognita, neque ſane non iocundiſsimum fuit. Amo enim te chariſsimumq́; habeo; utq́; magis magisq́; in dies ſingulos tua in nos merita exaugeas, ualde opto: ut etiam uberiorem a nobis gratiæ relationem, ab hominibus reliquis ueram laudem atque gloriam, a* DEO *Opt. Max. autem, cui iſta procurantur, ſecundiores tuarum rerum omnium exitus, euentumq́; proſperiorem conſequare.* Itaq; *te hortor; ut eandem diligentiam ſtudiũq́; tuum ijs, quæ reſtant, tractandis rebus adhibeas; reddasq́; omnia tuo ſtudio tuaq́; opera, ope, conſilio, prudentia faciliora.* Dabo *autem ipſe operam; ut tu labores ullos noſtra cauſa ſuſcepiſſe nunquàm non gaudeas: quemadmodũ* Interpretibus *meis latius ſuper ea re ſcripſi.* Dat. *ſeptimo.* Cal. *Febr.* Anno *primo.* Ex *Seueriano.*

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum.*

LIBER SEPTIMVS.

Ludouico Galliæ Regi. 1

DE ANNAE *Reginæ uxoris tuæ morte certior factus magnam ſane moleſtiam cepi cum propterea, quod fœminã egregia ſingulariq; uirtute, & ſpectato in* DEVM *ac* DEI *Eccleſiam cultu pietateq; amiſimus: tum quia te pro tuo in illam laudabili amore, illiusq; in te, maximo eſſe dolore affectum multorum litteris intellexi. Accedit ad hæc; quod me illa, quaſi patrem optatiſſimum pia amantiſſimaq; filia, incredibili obſeruantia proſequebatur. Regnum etiam ipſum tuum cæteraq; gẽtes opis alienæ indigæ, in quas illa munificẽtiam exercebat ſuam, multum mihi amiſiſſe in ea muliere bonæ ſpei atq; præſidij uidebãtur. Itaq; pluribus & quidem iuſtis maximiſq; de cauſis uehementer is me nuncius perturbauit. Verum cum optimam uiuendi rationem ſummamq; probitatem, & eximiam mulieris temperantiam tam amplo in Imperio poſitæ cæteraſq; eius præſtantiſſimas uirtutes animo*

tes animo repeteremus; et ſimul huius uitæ miſerias atq; horum temporum incommoda perturbationesq́; reſpiceremus; in eam ſententiam adducti ſumus; ut bene cum ijs actum eſſe ſtatueremus, qui hoc tempore mortem cum uita commutauiſſent: DEVMq́; Opt. Max. *Annam Reginam ad ſeſe, tanquàm de terrarum æſtu & fluctibus in portum, aut tanquàm de flebili hoſpitio ad plenam hilaritatis paternam domum cœlum ipſum beatorumq́; concilium uocauiſſe, magnopere exiſtimaremus: ubi illa bene actæ uitæ præmia, & cum liberalitatis atque beneficentiæ, quibus duabus uirtutibus ſupra mulierum captũ enituit, tũ uero etiã temperantiæ patientiæq́; ſuæ ſperatos fructus læta feliciſsimaq́; perciperet.* Q*uæ omnino cogitatio mœrorem quidem meum multum leuauit.* Q*uare te hortor; ut eadem atq; ſimilia uel etiam meliora; quæ tua tibi uel prudentia, uel animi magnitudo facile ſubminiſtrabit; ad cogitationes tuas adhibeas: ægritudinemq́;, quam te uxoris tuæ morte contraxiſſe audio, leues: ferasq́; æquo animo, quæ ferenda ſunt: ſunt autẽ ea omnia; quæ aliter ſe habere non queunt.* In *quo & tuam ipſe temperantiam atq; prudentiam maxime oſtendes; & mihi, qui te unice diligo, omnem mœrorem abſterges, ſi te leuatum ſenſero.* Dat. *tertio*. Cal. Febr. *Anno primo.* Roma.

Claudiæ

Claudiæ Ludouici Regis filiæ. 2

Avdita morte Annæ Reginæ matris tuæ multis quidem de cauſis magnum ſenſi dolorem: ſed eum præcipue; quod te filiam in tam tenera ætate reliquit; ut tuas exoptatas ſibi nuptias iam tractari cœptas conficere, lætitiámque de te capere, quam ei debebas, non potuerit: ex quo te etiam magnum dolorem accepiſſe magis quidem ingenij tui mirifica indole, quàm ætate tua ad animorũ affectus percipiendos idonea, te mouente ac excitante ſane puto. Sed quoniam ea DEI Opt. Max. uoluntas fuit; matriſq́; tuæ uirtutes tot tamq́; egregiæ extiterunt, ut memoriam eius nominis omnibus ſæculis conſeruaturæ uideantur; curandum tibi eſt, non tam ut homines ex eius te obitu mœrentem ſentiãt; quàm cogitantem quibus artibus ei eſſe quàm ſimillima poſſis. Quod plane futurum confido: atq; ut ei rei curam adhibeas, & in timore te Domini exemplo matris inſtituas, amantiſſime te hortor. A me autem te ſperare omnia uolo; quæ ad tua commoda dignitatemq́; pertineant; eoq́; magis, quod te tam illuſtri matre tamq́; optima orbatam & ſpoliatam uideo. Et quanquàm is tibi pater ſit; qui ſuppeditare tibi omnia, quæ a te expetentur, & propter Imperij magnitudinem poterit; & uolet propter amorem, quo is matrem tuam complectebatur, cuius tu illi imaginem refers, quoque tibi parentis nomine afficitur: noſtrum

noſtrum tamen ſtudium, ſi quid tibi eſſe uſui poterit, uoluntasq́; ad te ornandam propenſa tibi certe nūquàm deerit. Dat. *tertio* Cal. *Feb.* MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Brenſellæ Pago Heluetiorum. 3

INTELLEXI *nouum uos in* Heluetijs *pagum confeciſſe; duodecimq́; prioribus atque antiquis pagis ueſtrum* Brenſellæ *pagum adieciſſe.* Qua *de re nō mediocrem ſane lætitiam & uoluptatem cepi; cum intelligerem ſociorum meorum mihiq́; chariſsimorū & coniunctiſsimorum uires atq; nomen augeri.* Itaq; *de eo uobis atq; illis gratulor.* Cæterum *eis rebus fidem habebitis; quas ad uos* Ennius Epiſcopus Verulanus *&* Gorus Gherius Interpretes *mei deferent.* Dat. Prid. Cal. *Febr.* MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 4

COGNOVI *de procuratore tuo* Bercenno; *quanto ſtudio quantaq́; diligentia & quàm multiplicibus modis uſus es; ut bella controuerſiæq́; inter* Maximilianum Roman. Imp. *deſ.* atq; Venetos *ſedarentur planeq́; reſtinguerentur.* Quæ *res ita mihi grata atq; iocunda accidit; ut nihil gratius nihil iocundius eſſe potuerit eo nuncio.* Itaq; *cum plurima atq; maxima tua erga nos omni tēpore officia extiterint*

terint obſeruantiæ beneuolētiæ amoriſq; pleniſsima: tamen propter eam curam; qua teneor noſtrorum hominum confectis odio animis exulceratiſq; medē=di; tua iſta recēs mirificaq; ſolertia nullo tuo eſt antehac ad mea commoda dignitatemq; adhibito ſtudio inferior. Nunc autem quanquàm mihi dubium non eſt, quin quod ſupereſt; ſupereſt autem, ut mihi quidem uidetur, etiam paululum quiddam; quod tamen ipſum pro mea uoluntate nimium quantum eſt; eadem ſis diligentia confecturus: te tamen etiam atq; etiam hortor, & pro noſtra neceſsitudine abs te peto; nihil poſthac intermittas neque ſtudij aut uigilantiæ, neque operæ, neq; plane laboris; ut quemadmodum res, quæ labi atq; flectere in peiorem partem cœperat, tua eſt prudentia & diligentia eo reuocata, ut bene nobis ſperandum ſit; ita, quod reliquum eſt, quod quidem certe iam minus difficile uideri debet; ad optatos exitus ſperatoſq; quàm celerrime perducatur. In quo & ſi rem ſane quàm Ferdinando Regi tuo gratam, Chriſtianæ autem Reipub. maxime profuturam efficies: me certe ita tibi deuincies; ut omnium maximum benefactorum et meritorum cumulum tuis prioribus meritis te addidiſſe ſim exiſtimaturus. Tibi uero nominiq; tuo iam illuſtri tantum gloriæ ſplendoriſq; adijcies; quantum te ulla alia ex re hoc quidem tēpore poſſe aſſequi uix eſt ullo modo credendū. Plane autem in Domino confido, cuius tu partes ſuſcepiſti; qui concordiam inter diſsidentes, pacem inter bello implicitos conciliandi

liandi curam atq; munus geris; tuam te operam non fruſtra poſiturum. Cæterum tota de re latius cũ Bercenno *ſum loquutus: is ad te omnia perſcribet.* Dat. Prid. Cal. Febr. *Anno primo.* Roma.

Vicario Proregis Neapolitani. 5

MITTIMVS *iſthuc ad recuperandam ſacrarij noſtri ſupellectilem a* Vicario Epiſcopi *Salernitani male ablatam,* Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrachinorum *eiuſdem ſacrarij cuſtodem qui tota de re mentem te noſtram docebit. Itaq; eum cauſamq́; ipſam commendo tibi maiorem in modum.* Gratiſſimum *mihi erit, ſi dederis operam, ut quemadmodum is tecum ſtatuet, ita res quàm celerrime tranſigatur.* Dat. Id. Feb. *Anno primo.* Roma.

Fabritio Carreto Magno Rhodi Magiſtro. 6

LECTIS *litteris tuis; quæ me cum de* Guidonis *magni* Rhodi Magiſtri *morte, tum de te in eius locum per* Cõcilium *ſocietatis legitime ſuffecto certiorem reddiderunt:* In *altero perinde, atq; de optimi præſtantiſſimiq; uiri maximeq; temperati prudẽtiſq; hominis iactura, ſane perquàm dolui: illúmque tam breue temporis ſpatium ſocietati ſuæ præfuiſſe; ut parum ei ornamenti accidere ab ipſo* potuerit; *moleſte admodum tuli.* In *altero tanta lætitia is me nuncius affecit; ut ſtatim* DEO Opt. Max. *gratias*

NN egerim,

egerim, & quod dolorem, quem ex Guidonis morte contraxeram, tua declaratione lenierit: & quod illud tibi muneris tradi mandarique uoluerit; qui pro tua uirtute, animi magnitudine, diligentia, religione maximis in rebus perſpecta ſæpe atq; cognita nihil es eorum prætermiſſurus; quæ ad rem Chriſtianam conſeruãdam atq; amplificandam ipſiúſque cultum & illuſtrandum & propagandum pertinebunt. Atq; hoc cum publice mihi gratum & iocundum eſt: tum illud priuatim adiungitur; quod te, dum Cardinalem gererem, multos quidem annos & amaui ipſe, et abs te amari me plane ſenſi: ut ſi unus ex omni ſociorum tuorũ numero mihi optãdus fuiſſet, quem ſibi tua ſocietas præficeret; neminem tibi ſane prætuliſſem. Itaq; duplici nomine ea de dignitate ac præfectura tibi tradita magnopere gratulor; altero Reip. altero unius ipſius atque proprie meo: optoq́;, ut & honor tibi iſte ſalutaris, & tu ſocietati tuæ uſui atque gloriæ ſis futurus: quod quidem plane cõfido fore. De me quidem tibi ipſe omnia promittas uolo; quæ ab optimo atque optatiſſimo filio de patre amantiſſimo ſunt ſperanda. Non fallam opinionem tuam. Cæterum obſequij tui peregregia perq́; illuſtris ſignificatio; quod mihi eædem tuæ litteræ Philippúſque Prouanus ſocietatis procurator tuis uerbis præſtiterunt; mihi gratiſſima accidit: eamq́; libenti animo ſum complexus. Societas etiam ipſa tua; quam mihi magnopere commendas; queq́; mihi, tanquàm de uniuerſa re Chriſtiana optime merita,

rita, chariſsima per ſe eſt; erit poſthac mihi tuo etiã nomine charior: proq; ea inſulaq; iſta ab Turcarum cupiditate bellicisq; apparatibus, de quibus ſcribis, tuenda & defendenda, ſi erit opus, nihil ſum neque ſtudij neq; diligentiæ neque omnino laboris prætermiſſurus. Certe non ſi uitam ipſam profundere me oporteat ea in re; tuæ unquàm ſocietatis curam, tutelam, procurationem negligam. Quod te ſpondere ei meis uerbis opto et uolo: eamq; bono animo eſſe atque forti iubeo. Cui quidem gratulor; quod te ſibi Magiſtrum legerit: utq; te ea, qua debet obſeruantia proſequatur; quanquàm id quidem me ſcribere pro antiqua ipſius in omnes Magiſtros pietate minus neceſſe eſt; eã tamen hortor. Etiã atq; etiã mi Fabriti uale. Dat. VIII. Id. Feb. Anno I. Romæ.

Fabritio magno Rhodi Magiſtro. 7

BERENGELLVM Recheſium; *qui a* Raimũdo Cardona Prorege Neapolis *unice diligitur, eſtq; ex eius intimis maximeq; familiaribus; commendo tibi maiorem in modum.* Is *ut ei* Prioratum Aliagenſem, *qui eſt in agro* Tarraconẽſi *tradas; per me impetrare abs te poſtulat. digniusq; admodum* Recheſius *uidetur eſſe tum* Proregis *nomine atque cauſa, tum etiam quod multos annos ordini tuo egregium ſtudium nauauit; in quem eiuſmodi beneficium conferas.* Id *ſi feceris; erit mihi ſane quàm gratum.* Dat. VII. Id. Febr. Anno primo. Romæ.

Magiſtratui Bononiæ Polæ Epiſcopo. 8

QVONIAM *& coli per te legum iuſſa, animaduerſionemq́; in ſceleſtos fieri ſummopere uolo; & Antonium ſancti Sixti preſb. Cardinalem Bononienſem, ut ſcis, unice amo, chariſsimumq́; habeo: ut harum duarum omnium meo quidem iudicio maximarum atq; ſanctiſsimarum rerum rationibus iuris reddundi amicitiæq́; colendæ ſatisfiat: in reorum iſtorum cauſa; quos in uinculis habes; de quibus tuis me litteris conſulis, petisq́; quid fieri uelim: ita tibi reſpondeo. Nam cum & iuſtitiæ adminiſtratio oſtenſionem maxime poſtulet iuris adminiſtrati; & humiles atque aſsiduas Cardinalis poſtulationes multis admixtas non modo precibus, ſed etiam lachrymis, nihil impetrare a me durum admodum atque implacabile uideri poſsit: mando tibi; ut eos ipſos omnibus, quæ iis in rebus fieri aſſolent, more atq; conſuetudine ſeruatis condemnes perinde atque meriti ſunt: condemnatosq́; ad eum locum duci mãdes, ubi eos morte mulctari oporteret, ſi mulctari uellemus. Cum autem inſpectante populo ante mortis inſtrumenta in habitu damnatorum perducti cõſtiterint; eos Cardinali noſtro nomine dono des facta teſtificatione poſtulationis, qua is apud nos ſupplici atq; accuratiſsima eſt uſus; noſtræq́; erga illum uoluntatis: ut plurimum ualere apud nos Cardinalis bene de Rep. meriti auctoritatem omnes homines intelligant.*

intelligant. Cæterum de ijs quos in poſterum ſceleſtos comprehendes: mandata noſtra exhauri. Dat. VII. Id. Febr. MDXIIII. *Anno primo.* Romæ.

Magiſtratui Bononiæ Polæ Epiſcopo. 9

MAGNA *cum moleſtia percepi, contemptis edictis tuis meo nomine propoſitis ab improbis ſceleſtisq́; hominibus iſtius ciuitatis admitti quotidie indignum inſolensq́; aliquid, & nefaria crimina creberrime perpetrari. Quemadmodum nuper accidit, admiſſumq́; eſt ab ijs; qui armati per oppidum incedere noctu atq; interdiu ſunt auſi magna cum perturbatione ingentiq́; motu iſtorum ciuium: quos quidem in otio atq; officio continere nullo non ſtudio et diligentia nitimur. Quorum ex numero ſceleſtorum ſeditioſorumq́; hominum quoniam cognoui aliquot fuiſſe; qui dum illa committerent, quo ſe facilius tuerentur,* Antonij Cardinalis Bononienſis *familiaribus ſe immiſcuerunt: ita tibi mando atq; impero; ut quod ad Cardinalem attinet; qui propter ſuas plurimas maximasq́; uirtutes, egregiaq́; in* Remp. *atq; nos merita mihi eſt; uti debet, ſane chariſſimus atq; coniunctiſſimus: rationem habeas noſtræ erga illum uoluntatis & beneuolentiæ: dignitatemq́; eius atq; amplitudinem omnibus in rebus, quoad recte fieri poterit, illæſam eſſe atq; integram ſtudeas. Quãtum uero ad illos pertinet; quos in cuſtodia iam ha-*

bes; ita facies; ut ex meis litteris, quæ unà cum his tibi redditæ ſunt, intelliges uelle me. Cæterum quos poſthac comprehendes: cum ex edictorum tuorum ſcripto, tum maxime pro ſcelerum grauitate mulctabis audacter & punies. Tibi uero né quam ea de cauſa moleſtiam ullo tempore Magiſtratus afferre ullus poßit; ſcrupulúsue tibi aliquis oboriatur: ſiue tu in populares atq; ſolutos, ſiue in ſacris initiatos ſacerdotesq́; homines ſis animaduerſurus; tibi quouis genere animaduerſionis in omnes pariter homines animaduertendi ius poteſtasq́; eſto: néue tibi ea de cauſa Magiſtratus ulli ſiue Romani, ſiue exteri ſuccenſento: néue facti rationem petunto. Itaq; dabis operam, ut omnibus modis ſeditioſos turbulentosq́; coherceas: in aliorum fortunas impetum facientes punias: ſceleſtos atque nefarios mulctes: omnibus hominibus ſummis, infimis ius æquabiliter adminiſtres: ſi de me optime mereri poſtulas. Dat. VII. Id. Febr. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Antonio Cardinali Bononienſi. 10

NON dubito te exiſtimare; ſi quid eiuſmodi accidat, quod ciuium iſtorum otium quietemq́; perturbare motúmue ullum animorum excitare poßit; id mihi eſſe, uti debet, moleſtißimum. Nam & mentem ſuper ea re meam, & muneris mei partes pro mea in te fide, rerumq́; a te geſtarum ratione atque uſu maxime omnium cognouiſti. Itaq; nihil attinet

me ad te

me ad te ſcribere ea, quæ iſthic nuper acciderunt cõtra Magiſtratus edicta, mihi ſummopere diſplicuiſſe. Quæ uero ijs de rebus ad eum ſcripſerim, quæue fieri mandauerim; ab ipſo intelliges. quibus ex omnibus facile cognoſces, quantæ mihi curæ tua dignitas atq; amplitudo fuerit. Nunc autem etiam atque etiam abs te peto; ut tu item ijs in rebus, quibus in rebus dignitas noſtra uerſabitur, uelis primus omnium præſto eſſe; adhibereq́; omnem diligentiam; ut & Magiſtratibus noſtris Bononienſes tui pareãt, & ſceleſti flagitioſiq; puniãtur. Id ſi feceris; quẽadmodum quidem & amor charitasq; in te noſtra poſtulat, & te facturum pro tua prudentia magnopere confido; feceris plane rem & te dignam, & patriæ tuæ ſalutarem, & nobis mirandum in modum gratam. Septimo Id. Feb. Anno primo. Roma.

Promagiſtro Rhodio in Regno Neapolitano. 11

AMAVIMVS ab ineunte ætate, atq; inter familiares paternos atq; noſtros chariſſimum ſemper habuimus Vincẽtium Papacodam tuæ ſocietatis hominem & probum & fortem et induſtrium. Ei commodari de tui collegij magiſtratibus, qui in Regno Neapolitano ſunt, ualde cupio: quo ſe alere, paratioremq́; ad res ſocietatis nauandas laboresq́; ſubeundos alacriorem præſtare poſſit. Itaq; te hortor; ut Vincentio prærogatiuam des ad eos magi-

ſtratus; quos qui gerunt, primum iſto in Regno demorientur: quorum penſio prouentuſq; numerum aureorum quingẽtorum ſummam efficiant. Id ſi feceris; & hominem ſtrenuum tibi deuincies; & me item tuis in rebus gratum atq; memorem experiere. Dat. ſexto Id. Feb. Anno primo. Romæ.

Petro Remiræ, Magiſtratui Sinueſſano. 12

SVPERIORIBVS litteris commendaui tibi Franciſcum Sinueſſanum ſatis quidem pro re diligẽter. Eas commendationes noſtras quoniam non tantum apud te ualuiſſe; quantum de tua in me obſeruantia confidebam; certior factus ſum: has ad te alteras dare litteras uolui; quibus te etiam atq; etiam hortarer; uelles habere rationem eius hominis; qui cum nihil iniuſte egit; tum pater eſt Ludouici familiaris mei mihiq; propter optimos eius mores, ſingularemq; animi ad uirtutes omnes indolem plane chariſsimi: quem his cum litteris ad te mitto; ut præter id, quod ego abs te peto, ut patrem eius ſaluum eſſe atq; incolumem uelis; filij te etiam aſpectus atq; preces moueant ad pietatem & liberalitatem. Ex quo reliqua intelliges. Vnum illud a nobis; ſi noſtris hortationibus morem geſſeris; id tibi omne uoluptati futurũ. Dat. ſexto.Id.Febr. Anno primo. Romæ.

Maximiliano

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 13

ALLATVM ad nos eſt, Epiſcopos eos; qui e Gallia profecti ſuo & reliquorum Epiſcoporum & ſacerdotum nomine ad ſacrum Lateranenſe Concilium pro communi bono ueniebant; paululum ſupra fines regni tui conſediſſe; neq; ulterius progredi uoluiſſe; quoniam tutum iter per tuam ditionem non haberent. Ea de re quanquàm ad te antea litteras dederim; nunc tamen etiam atq; etiàm his te litteris hortor; ne in tam opportuno & ſalutari chriſtianæ Reipub. negotio uelis impedimento eſſe; quo minus ij cum Romana Eccleſia, a qua, ut ſcis, aliquãdiu alieniores fuerunt, paribus ſtudijs unanimiq; uolũtate coniungantur: mittasq; aliquẽ ex tuis probũ uirum cũ auctoritate; qui eos tua per loca tuto ac ſine moleſtia in agrũ Genuẽſem perducat; quò illos tendere uolui; ut eo minus curæ tibi minusq; oneris afferrent; quo breuius per tuam ditionem eſſet illis iter conficiendum: quemadmodum cum tuis oratoribus ſum loquutus. Dat. decimoſexto Cal. Mar. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Romanorum Imp. deſignato. 14

COMMENDARVNT mihi tuis uerbis Matthæus Cardinalis Gurcenſis atq; Antonius Cominatus Bernardinum Cardinalem ſanctæ Crucis ſane diligentiſſime:

ne diligentiſsime: petieruntq́; a me; ut eius fortunas, quæ quidem naufragium fecerunt, liberalitate mea reſtituerem. Ea *commendatio me certe plurimum mouit: tuam enim ex eo propenſam in illum uoluntatem beneuolentiamq́; perſpexi: quod mihi gratiſſimum fuit.* Nam *& amaui antea illum omni tempore: & nunc, cum in* Reip. *muneribus obeundis etiam mihi præſto ſit; ſingulari cum charitate beneuolentiaq́; complector.* Itaq; *dabo operam cum ſe occaſio tulerit; ut eum magiſtratibus atq; prouentibus honeſtum atq; ornatũ reddam.* Tu *uero interea* Ferdinandum Hiſpaniæ Regem *ſi hortaberis, ea in re ut tecum atq; mecum ſentiat; quod tamen illum facere per ſe iam uideo: erit ea hortatio & Cardinali ipſi magno uſui, et mihi plurimum grata.* Dat. XV. Cal. Mart. *Anno primo.* Roma.

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum. 15

EXEMPLVM Litterarum, *quas ad* Maximilianum Romanorum Imp. *dedi; quibus ad ea reſpondeo, quæ mecum per* Internuncios *ſuos egit, ut* Bernardini Cardinalis *ſanctæ* Crucis *fortunarum iacturæ atq; ulceribus cõſulere mederiq́; uellemus; habuiſti cum his litteris.* Mando *autem tibi ut earum litterarum ſenſum oratione tua apud illum iuues; commendesq́; uiciſsim ei meis uerbis* Cardinalem *ipſum diligẽtiſsime.* Dat. XV. Cal. Mar. MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Ferdinando

Ferdinando Hiſpaniarum Regi. 16

GRATVM admodum nobis fuit id; quod ex litteris Ga'eatij Butrigarij Internuncij apud te noſtri perſpeximus: Bernadini ſcilicet Cardinalis ſanctæ Crucis Epiſcopi Sabinenſis cauſam tibi curæ atque cordi fore: daturumq́; te operã, ne noſtræ de illo cõmendationes apud te uulgares fuiſſe uideantur: tum cõmendare te etiã illum mihi; rogareq́; me, ut eius fortunis afflictis atq; miſeris opẽ aliquam afferã. Qua de re ualde te laudo. Magnanimi enim Regis & maxime liberalis officio fungeris; qui clarũ uirũ fortunis omnibus deiectum & ſpoliatũ tuendũ fouendumq́; ſuſcepiſti: Itaque ſic habeto; nihil eſſe potuiſſe iſta tua in illũ uoluntate præſtantius. Nos quidẽ certe cũ per nos ipſi, qui hominẽ diligimus, tũ tua cõmendatione adducti ſumus ea, quæ poſtulas, diligenter curaturi. Dat. XV. Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 17

MITTIMVS Venetias Ioannẽ Franciſcũ Valeriũ ciuem tuũ Bernardi Cardinalis ſanctæ Mariæ in porticu familiarẽ ab epiſtolis ad Petri Bibienæ ipſius Cardinalis fratris Internũcijq́; apud te noſtri nuper uita functi uxorẽ liberosq́; conueniendos: ut mœrorem meum; qui quidẽ perinde atq; in morte hominis

te hominis mihi chariſsimi uetereq́; neceſsitudine cõiunctiſsimi, deq́; gente mea meq́; ipſo optime meriti, certe non leuiſsimus eſt; meis apud illos uerbis teſtetur: eiſq́; uel marito, uel patre ſingularis uirtutis uiro deiectis & orbatis in tam graui uulnere ſolamẽ aliquod afferat noſtræ ad eorum fortunas modis omnibus ſubleuandas paternæ atq; amantiſsimæ uoluntatis. Cui etiam mandaui ut te ſalutaret; ſignificaretq́; tibi quædam cum hac ipſa in re, tum reliquis etiam in rebus; quæ te ſcire magnopere uolo. Cæterum demortui liberos & familiam omnẽ eo libentius & accuratius tibi commẽdo; quo ipſe amorẽ erga Rẽp. urbemq́; iſtã ſuum plurimis maximiſq́; officijs, & multorum annorũ perpetuis ſuis laboribus apud omnes homines teſtatiſsimum reliquit. Dat. XIIII. Cal. Mart. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Paulo Germano Migdelburgenſi, Foroſempronienſium Epiſcopo. 18

QVONIAM & in tẽporum ad Romanam rationem referendorum cõputatione indagationeq́;, & in ſacri Lateranenſis Cõcilij rebus tua nobis uirtute atq; doctrina magnopere opus eſt: te hortor, ut Romam, quod tuo commodo fiat, primo quoq; tempore te conferas. noſtra enim intereſt te hic eſſe. Dat. XIIII. Cal. Mart. MDXIIII. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ, Mediolanenſium Duci. 19

PAVLAM Gonzagam Alberti Pij ſororem cum ipſius, tum fratris cauſa paterne diligo. Ea cum maxime cupiat impetrare abs te; ut quod ſibi dotis nomine debetur, id omne mandes procuratoribus ſuis ſine dilatione curari: peto abs te, ut & hortatu meo, & iuſtitiæ cauſa uelis in illam liberalitate tua uti; dareq́; operam, ut quod illa iure poſtulat, id uniuerſum atq; ſolidum etiam non laborioſe conſequatur. Dat. VI. Cal. Mart. MDXIIII. Anno primo. Roma.

Andreæ Burgio. 20

SCRIBIMVS Maximiliano Mariæ Inſubrum Duci; ut quicquid Paulæ Gonzagæ Alberti Pij ſorori ratione dotis debetur; id ei curet quàm primum quamq́; integrum atq; ſolidum reddi: quemadmodum ex litterarum mearum ad ipſum Ducem exemplo cognoſces. Hortor autem te; ita rem apud illum iuues; ut mulier uidua ius ſuum ſine mora ſineq́; diminutione conſequatur. Dat. ſexto Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Burgheſio Petrutio Senenſi. 21

CERTIOR factus Alexandrum & Hieronymum Senenſes bellicis rebus præfectos ad portum Herculis cum armatorum manu ſe contuliſſe; oppidumq́; atq; arcē occupauiſſe expulſis Auguſtini Ghiſii probi hominis mihiq́; grati et probati miniſtris: ad quem quidem, ut mihi ſæpe demonſtratum eſt; eius loci ius omne publicis confectū ſyngraphis pertinet: non potui non moleſte ferre, uos iuſtæ fidei poſſeſſorem ueſtrum ciuem ſpectatæ uirtutis uirum; qui ciuitati iſti ornamento liberalitate ſua eſſe conſueuit; indicta cauſa ui atque armis eieciſſe. Quamobrem etiam atque etiam te hortor; des operam auctoritate prudentiaq́; tua; ut Auguſtino eius oppidi atque arcis poſſeßio, in qua aliquot annos pacifice fuit, amice atque omni amota procraſtinatione reſtituatur. Quod quidem certe pro eo, quāti hominem facio: facio autem ſane plurimi: proq́; eius in nos Remq́; pub. multis maximisq́; officijs erit mihi porro gratiſsimum: teq́; eo nomine bene de nobis meritum facile profitebor. Quod ſi ius aliquod eo in portu atq; arce ſibi competere iſta ciuitas exiſtimat: iuris ad id uia, quàm ui atq; iniuria, multo melius atq; honeſtius proceſſerit. Dat. Nonis Martijs. MDXIIII. Anno primo. Roma.

Raimundo

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 22

MITTIT *ad te Franciſcus Maria Vrbinatium Dux noſtrorum militum Imperator Antonium Nigoſantem Internũcium ſuum: ut ſe per illum purget, cauſamq́; apud te ſuam tueatur ea in re atq; calumnia; qua de ipſum in ius uocauiſti. Eum quoniam nihil admiſiſſe contra Ferdinandum Regem tuum exploratum nobis eſt; te hortor; ne patiaris nobilem atq; magnum uirum; qui cum mihi omnes neceßitudines ſunt; eiuſcemodi delationibus uexari. Sed eum cum apud te calumnia iniuſta liberes; tum uel maxime apud Regem teſtimonio tuo iuues: ad quem ipſe Internuncios ſuos ea de re propediem eſt miſſurus. Itaq; & prudenter & perhumane egeris; ſi Regi ipſi integrum negotium remiſeris. Quod ut facias, in primis abs te peto. Erit id nobis tam gratum, quàm quod gratißimum.* Dat. Prid. Id. Mart. Anno primo. Roma.

Baldeſſari Caſtilionio Mantuano. 23

VEL *egregiæ tuæ præclaræq́; uirtutes, optimarumq́; artium ſtudia, quibus excellis, & iam nobis pridem cognitus & probatus es; uel præcipua pietas ſingularisq́; cultus, quem nobis omni tempore præſtitiſti; nos hortantur; ut quæ fortunas et dignitatem tuam ornare atq; augere poſſunt; ea libenter &*

ter et propenſo animo complectamur. Itaq; cũ Franciſcus Maria Feltrius Vrbinatium Dux, urbis Præfectus, noſtrorum exercituum Imperator; quod fidelem diligentemq́; operam multos annos ei nauaueris; in ſuæ erga te beneuolentiæ teſtimonium laborúmque tuorum præmium, tibi liberisq; poſterisq́; tuis maribus legitime procreãdis Nubilariam caſtellum diocœſeos Piſaurenſis; quod quidem noſtri iuris eſt; omnemq́; eius caſtelli ditionem tibi dono dederit, ceſſerit: Nos te etiam noſtræ beneuolentiæ teſtimonio hac in re amplecti atq; proſequi uoluimus. Quare donationem eiuſmodi, quæq́; in ea continentur omnia, probamus, confirmamus: quatenúsque oporteat, Nubilariam caſtellum cum iuribus eius omnibus tibi, liberis, poſterisq; tuis maribus legitime procreandis damus, donamus: & tuum atq; tuorum quoad aliquis eorum ſupererit, perpetuo ut ſit decernimus: multo etiam maiora, ſi ſe occaſio dederit, libentiſsime largituri. Dat. V. Id. Mar. MDXIIII. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Parmæ. 24

DILIGENTIA; qua uſus es cum in ſignificanda nobis morte Comitis Soragnæ, tũ in adhibenda cura ut Comitis bonorum & locorum noſtro nomine poſſeſsionem caperes; nobis egregie probatur. Qua in re quoniam, ut ſcribis, propter demortui nepotis temeritatem, qui ſe in ea bona iniecit, nihil

nihil conſequi potuiſti : mando tibi ; ut ei meis uerbis denuncies, eorum bonorum & locorum poſſeſſionem quàm primum quàmq; liberam tibi relinquat. Id *ni fecerit ; armis te illum aggreſſurum, & ui expulſurum magnopere confirmes :* Itaq; *ſine ulla mora facias. Scribo autem* Galeatio Palauicino *; ope illum auxilioq; ſuo poſthac ne iuuet : quod illum facturum puto. Scribo etiam* Troilo Rubeo *; armatorum hominum manum tibi, quantam uoles, det ; qua manu abs te ille ijs ex bonis eijci & detrudi poſsit.* Mando *inſuper omnibus ijs, qui dono aliquid a* Rep. *obtinent, idem ut faciant. Quod ſi parum adiumenti poſitum ijs in omnibus ad rem conficiendam intelliges ;* Guidi Rangonij *equites arceſſes ; & ad illas, quas coëgeris, copias adiunges. Quibus mando, ut tibi præſto ſint.* Itaq; *diligentiam, curam, uigilantiam, laboremq; omnem tuum adhibebis ; ut in capienda Soragnæ* Comitis *bonorum poſſeſſione id, quod uolumus, conſequamur.* Nam *quod ſcribis demortui nepotem habere ſe ius ijs in bonis palam dicere : mibi id uериſimile non eſt. Sed ut ſit ; experiũdo id a nobis conſequi poſtulet ; non ui atq; arrogãtia rapere aggrediatur.* Nihil *enim ei a nobis, quod iuſtum honeſtumq; ſit, negabitur.* Dat. *tertio* Id. *Mart.* MDXIIII. *Anno primo.* Roma.

Galeatio Palauicino. 25

INTELLEXI *Soragnæ Comitis demortui nepotem armatorum hominum manu abs te iuuari, fauoréque tuo atque auxilio niti; quo minus ipſe locorum & bonorum eorum poſſeßionem, in quam ſe iniecit,* Magiſtratui Parmæ *noſtro nomine id petenti & poſtulanti remittat: ad quos quidem pleno iure pertinet: teq́; id propinquitati, qua cum illo coniunctus es, tribuere atq; largiri. Quamobrem his te litteris & moneo & hortor, primum ut nullum propinquitatis nomen æquitati et iuſtitiæ anteponendum putes; deinde ut noſtram in te atque in omnes tuos beneuolentiam, tuumq́; in* Romanos Pont. *multorum annorum ſtudium ob unius pueri temeritatem atq; audaciam ne uioles, néue profundas. Sed potius & illi conſulas; ne ſe noſtris conatibus, quibus par eſſe non poterit, fruſtra temereq́; opponat atq; obijciat; &* Magiſtratum *noſtrum in aſſequenda eorum bonorum poſſeßione opera diligentiaq́; tua iuues: quod te facturum pro tui animi recto ſenſu ſane confido. Quod ſi propinquus tuus competere ſibi ius aliquod ijs in bonis exiſtimat; uolo te ei dicere planeq́; polliceri, nihil ei me, quod iuſtum honeſtumq́; ſit, negaturum.* Itaq; *iure id non iniuria expetat.*Erit *hoc et ipſi utilius, et tibi magis honorificum, & mihi ſummopere gratum.* Dat. *tertio* Id. *Mart.* Anno *primo.* Roma.

Parmenſibus

Parmenſibus dono aliquo Reip. affectis. 26

M A N D O *uobis; ut quibuſcunq; rebus poteritis, Magiſtratui noſtro Parmæ id a uobis requirenti præſentem operam adhibeatis ſine ullius hominis reſpectu, aut plane temporis interuallo & mora; quo is Soragnæ Comitis nuper demortui locorum & bonorum poſſeßionem aſſequi noſtro nomine poßit. Idq́; a uobis cum pro iure ueſtri muneris fieri uolo; tum pœna propoſita bonorum ueſtrorum omnium ærario inferendorum, niſi parebitis. Quod ſi quis eorum bonorum ius ſibi competere exiſtimat; nemini iuris uia experiēti, quod ſuum erit, poſſe aſſequi negabitur.* Dat. III. Id. Mart. Anno I. *Roma.*

Troilo Rubeo Parmenſi. 27

M A N D O *tibi, ut quibuſcunq; in rebus poteris, tum armatis hominibus, tum etiam fauore tuo reliquo Magiſtratum noſtrũ Parmæ iuues; eiq́; præſto ſis: quo is Soragnæ Comitis nuper demortui bonorum poſſeßionem noſtro nomine capere, atque illum, qui ſe in eam temere iniecit, expellere atque deijcere poßit. Quod quidem ſic abs te peto; ut quãtum mihi charus eſſe atque iocundus poſtulas; tantum te ſtudij ac diligentiæ ponere hac in re negotioq́; conficiēdo ſane peruelim.* Dat. tertio Id. Mart. Anno primo. *Roma.*

Maximiliano Mariæ Mediolanẽſium Duci. 28

COMMENDAVI tibi ſane multos; ut quiſque abs te aliquid petiturus auctoritatem apud te meam, quo id facilius impetrare poſſet, expetiuit. Idq́; non tam mea ſponte ſæpe feci; quàm quod opem noſtram iuſta in re ſtudioſe petentibus negare me, alienum eſſe à mei muneris officio magnopere existimaui. Itaque eam ob cauſam commendandis tibi hominibus crebrior fortaſſe adhuc quidem, quàm uolui, fui. Veruntamen cum id accidit; ut pro ijs, qui illuſtri aliqua dignitate in DEI Eccleſia eminent, commendandis ad te litteras dem; tunc quidem eo tecum munere animo libentiſſimo utor. Quemadmodum tibi nunc commẽdo Antonium Epiſcopum Aſtæ deſignatum ſane diligentiſſime: cuius Epiſcopatus reliquorumq́; ſacerdotiorum penſiones intercipi ſeponiq́; iuſſiſti. Petoq́; abs te; ne id fieri aut mandes ipſe; aut permittas a tuis: ſed uti ſunt DEI Opt. Max. munere ipſi Antonio eæ penſiones attributæ; ita illum ad eas aſſequendas & fruendas iuues potius, quàm impedias. Neque tu in Eccleſiæ te bona, ſi me audies, ullorum hominum ſuaſionibus immiſeris. ſed eris tuis ipſe bonis contentus: quæ quidem maxima atque ampliſſima ſunt. Habes enim Regnum opulentiſſimum: ut nullius opis non modo ad amplitudinem, ſed ne ad ſatietatem quidem, ſi te ipſe noueris, indigere poſſis. Quæ cum ita ſint; ualde

ualde abs te peto, ne Antonio moleſtiam adhibeas in ſuis penſionibus exigendis: præſertim cum is frater ſit Epiſcopi Nouocomēſium: *cuius et in ſacris obeūdis, et in reliquis* Reip. *negotijs adminiſtrandis egregia & fideli opera quotidie utor. Quemadmodum et cū* Oratore *tuo* Hieronymo Morono *ea de re ſum loquutus: &* Fabritius *familiaris meus, quem ad te mitto, tibi ſignificabit.* Dat. XIX. Cal. April. *Anno primo.* Romæ.

Ioanni Petro Gonzagæ Nuuolariæ Comiti. 19

MVLTI *ad me deferunt, te non ſolum exules e* Regio Lepidi *excepiſſe; eosq́;, quemadmodum tibi mandaueram, expellere noluiſſe: uerum etiam ciuibus quibuſdam* Regienſibus *honeſtis hominibus; qui prædia tuo in agro habēt; noua inuſitataq́; onera impoſuiſſe; eosq́; ad ea perſoluenda te coacturum interminari nouis modis. Quæ cum eiuſmodi ſint, ut mihi ferenda eſſe non uideantur, mando tibi atq; impero, primum ut ſine ulla mora eos exules, quos excepiſti habesq́; in tuis oppidis, expellas & eijcias; locumq́; poſthac atq; perfugium nemini illorum des: deinde ut ciues* Regienſes *nouis oneribus ne premas: ſed eos frui prædiorum ſuorum fructibus & penſionibus ſine moleſtia permittas.* Id *ſi feceris; boni uiri & meū* Imperium *nō detrectantis officio fungere atq; munere. Sin aliter te; atque opto, maximeq́; conuenit, hac in re geſſeris: exploratum tibi eſſe uolo, eam*

lo, eam me indignitatem ulterius non laturum; daturumq́; operam ut te pœniteat mihi non paruiſſe. Dat. XVI. Cal. April. Anno primo. Roma.

Magiſtratui Placentiæ. 30

VENIT *iſthuc nobis mãdantibus ad eos perquirendos & puniendos; qui nouas res iſto in oppido molientes tumultus maximos excitauerunt;* Bonifacius Vallenſis *iureconſultus familiaris meus; nõ ſane quia tua prudentia, diligentia, rerum gerendarum ſcientia atq; in primis probitate magnopere, ut ſoleo, confidere non poßim: ſed ut tuum tibi munus atq; onus aliquãto leuius faciam illo ad partem oneris tecum ferendam adhibito atq; addito. Quare uolo, ut, ſi tibi uidebitur, omnibus gerendis rebus unà cum illo adſis; præſtesq́; ei tete ſocium; ut communi utriuſq; ueſtrum conſilio negotium adminiſtretur. Itaq; ſi hominem & libenter exceperis & accurate iuueris; erit mihi gratum.* Dat. decimoquinto Cal. April. Anno primo. Roma.

Ioanni Saxatello, Præfecto equitum apud Placentinos. 31

MITTO *iſthuc ad quæſtiones exercendas, atq; in eos animaduertendum; qui nuper iſto in oppido nouos tumultus excitauerunt;* Bonifacium Vallenſem *iureconſultum familiarem meum. Quamobrem mando*

mando tibi; ut quibuſcunq; is in rebus ſibi te tuosq; equites fore uſui exiſtimabit; auxilio & fauore tuo ei præſto ſis: omnémque operam adhibeas; quo is facilius atque celerius mandata noſtra perſequi atq; conficere poßit. Dat. x v. Cal. April. Anno *primo.* Roma.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER OCTAVVS.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 1

LECTIS *litteris tuis; quibus nos certiores facis, conuẽtum & nũdinas quas quidẽ te Piſauri poſſe facere de menſe Martij cõceſſeramus, ab* Andrea Corio *mercatore* Genuenſi *mercibus* Iudæorum *intercipiendis pro eo, quod ipſi debetur, perturbari atq; impediri, fidemq; tuam omnibus eas ad nũdinas adeuntibus publice datam labi et fluere; magnopereq; poſtulas, eo te nomine accuſari & redargui ne ꝑmittamus: præſertim cum eæ nundinæ hoc anni tempore nunc primum inſtituantur: ea tua poſtulata nobis æqua & digna uiſa ſunt, quibus annuamus.* Itaq; *uolo ne ea de cauſa; quod* Andreæ Corio *conceſſerim ut exigere centeſimam cum dimidia poſſet ex* Iudæorum *bonis ſub* Imperio Turcarum *Regis degẽtium; ulla moleſtia tuas ad nundinas* Hebræis *accedentibus inferatur: fidémue tuam fallere tibi neceſſe ſit, aut ullos homines ad eiuſmodi centeſimæ ſolutionem compellere;*

lere; præter eos; ſi qui erũt, qui iam antea cum Andrea pacti ſint: quos quidem uolo, ut ſtipulationibus inter ipſos confectis ſtare, promiſſaq; diſſoluere teneantur. Iis autem rebus eo libentius adducimur, ut tibi morem geramus; quo dignitas omnis tua mihi magnæ curæ eſt; tuamq; apud me plurimum ualere auctoritatem facile patior. Dat. Idibus Mart. MDXIIII. Anno ſecundo. Roma.

Promagiſtro Rhodio in Regno Neapolitano. 2

ALTERIS *litteris hortatus te ſum, uelles mea cauſa* Vincentio Papacodæ, *qui eſt in tui ordinis ſocietate, uiro ſtrenuo, familiari perantiquo meo prærogatiuam dare ad eos ueſtros magiſtratus, qui primo quoq; tempore præfectos amiſerint: qui magiſtratus pẽſionem annuam quingẽtorum numorum aureorum efficiant.* Nunc uero *quoniam etiam atq; etiam opto, ne* Vincentius *in eiuſmodi deſiderio ſuo, cuius per me compos fieri poſtulat, abs te deſeratur: non hortor te ſolum, ſed etiam pro meo iure obſequijq; tui ui & uirtute tibi plane mando; ut ei, quemadmodum ſcripſimus, de prærogatiua ſtatim commodes: ut & ſocietati tuæ, cui permultos iam annos omnem operam & ſtudium detulit atq; impẽdit ſuum, maiori eſſe uſui poßit; & inter ueſtri* Magiſtri *familiares tandiu illum fuiſſe aliquam iam ei tandem utilitatem atq; fructum pariat.* Dat. Nono Cal. April. MDXIIII. Anno ſecundo. Roma.

Ioanni Paulo Balioni. 3

HORTOR te, atq; abs te plane peto; uel, ſi opus eſt, mando etiam: ut Sibiciani Dominos fratres ulla moleſtia neq; afficias ipſe neque affici permittas a tuis. Cures autē potius, desq; operā; ut eorū agri atq; oppidula tuis a militibus tuta ſint: quēadmodum quidem conuenit ea omnia per te eſſe; quæ noſtra ſub tutela conquieſcunt. Id enim magnopere uolo; ut eis fratribus negotium ullo ab homine temere atq; iniuria ne adhibeatur. Quod ſi tibi ius eorum in bonis competit; dabo ipſe operam, ut tibi, quem unice diligo; modo id iuris uia poſtules, non ui atq; armis appetas; quàm primum, quàmq; ampliter ſatisfiat. Dat. VII. Cal. April. Anno ſecundo. Roma.

Iacobo ciui Bononienſi Quæſtori militum. 4

CVM equitatus is; quem Bononiā accedere, atq; iſthic eſſe maxime oportet; quamobrē ſeſe alat, niſi ex ſtipe ab incolis atq; inquilinis ueſtri agri dari ſolita, nihil plane habeat: mādo tibi; ut ea ſtipe tantūmodo excepta, quā ſtipē Ramazoto curari uolui, reliquā ſtipem omnē ad Vitellij præfecti militum uſus alimentaq; cōuertas: qui quidē nunc Vitellius ad tutelam iſtius oppidi me uolente proficiſcitur. Cui rei mandatoq; meo nullas uolo uel meas ipſius, uel ab

eo, qui

eo, qui ante me fuit, Romano Pontifice ſcriptas ad te Magiſtratúmue litteras impedimento eſſe. Dat. ſexto Cal. April. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Decurionibus & Magiſtratui municipij Aſculani. 5

QVONIAM intellexi Firmanos exules magna armatorum hominum coacta manu oppidũ Firmanum ui ingreſſos eſſe: ueritus ueſtros quoq; exules exemplo illorum permotos atq; percitos idem auſuros, in Aſculumq́; inuaſuros: uolo, ac uobis mãdo; ut & arma ipſi capiatis; & propinquos cliẽteſq́; ueſtros armari celerrime iubeatis ad defendendam urbem ueſtram, ueſtræq́; urbis eum ſtatum, qui nunc eſt, conſeruandum atq; muniendum: ne ueſtri exules nobis nolentibus, uobis autem etiam inuitis oppidum aggredi atq; adeo ingredi poſſint. Caueri autem a uobis præcipue uolo, curamq́; omnem & diligentiam adhiberi; ne tumultus aliquis eo nomine, inteſtinúumue malum poſſit exiſtere. Itaq; ad nouam uim atq; iniuriam ueſtrorum exulum repellendam promptos uos atq; paratos eſſe iubeo: non autem uel ad ueteres iniurias ulciſcendas, uel ad potentiam extraordinariam exercendam. Vt cum improbi ciues ueſtri flagitioſiq́; homines armatos uos atq; animatos ad commune bonum ſenſerint; a male cogitando maleq́; agendo abſterreantur & conquieſcant. Dat. Prid. Cal. April. Anno ſecundo. Romæ.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro. 6

AMAVI omni tempore probum hominem, multisq́; uirtutibus præditum et ornatum uirum Iulianum Rodulphum: qui præter ueterem ſuam cum meis omnibus neceßitudinem, ſtudia, officia, nunc etiam Iuliani Medicis fratris mei domus & rerũ familiarium curam gerit. Is cupit impetrare abs te; ut cum in diplomatibus tuis conficiẽdis ſuper Capuæ Prioratu, quem ei deferri a Iulio Medice Cardinali fratre patrueli meo uolui; ut noſtræ in ſeſe beneuolentiæ hoc iam nunc ſignum atq́; indicium haberet: tum in Mortorij, ſic enim uos appellatis, officio atque munere tibi perſoluendo rem nullo ſumptu cõficiat. Quare ut ei te liberalem & munificum ijs in rebus præbeas, atque ut illum ſolutionis impendio ſubleues; abs te peto. Eſt enim admodum ſenex, pẽſionesq́; Prioratus ſui atque fructus adhuc quidem nullos percipit: eos enim Cardinalem ſequi, quoad prouentibus abundaret, uolui. Itaq́; impenſas nunc primum facere; quas longo tempore reponat; ipſe non poteſt: quemadmodum illi poſſunt, qui iuuenes ſunt: quibus longa eſſe nulla expectatio poteſt. Quæ res facit; ut mihi plane gratißimum ſit futurum, ſi Iulianum abs te ea, quæ poſtulat, impetraſſe intellexero. Eſt autem profecto ipſe ita præſtanti et animo uir & uirtute; ut ſi tua ſocietas eius opera ſuis in rebus uti uolet: abunde ei atque largiter, uel tibi etiam

bi etiam

bi etiam ipſi referre gratiam poßit. Dat. Cal. April. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Priori Galliæ Ciſalpinæ Rhodi Promagiſtro. 7

EXEMPLVM litterarum; quibus litteris Iulianum Rodulphum Capuæ Priorem Fabritio Magno Rhodi Magiſtro diligenter commendaui; mitto ad te cum his litteris. Ex eo quo in loco illum habeã, tum quid ei uelim a Fabritio tribui, cognoſces. Atq; hoc ideo ad te ſcribo; ut quoniam tuam apud illum auctoritatem plurimum ualere multi mihi ſignificauerunt, te horter, ac pro meo iure mandem etiam; cures desq; operam omni ſtudio; agas apud illum, perficias deniq; ut Iulianus ea, quæ optat te adiuuante conſequatur. Optat autem Magni Magiſtri liberalitate nobis commendantibus ſubleuari. Id erit mihi tam gratum; ut nihil abs te in me poßit eſſe gratius. Quod ita eſſe tuis in rebus, ſi mea ope ullo tempore tibi opus erit, facile perſpicies. Dat. Cal. April. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Magiſtratui Regij Lepidi. 8

DELATVM ad nos eſt Ioannem Petrum Gonzagam Nuuolariæ Comitem quoſdam ciues Regienſes coëgiſſe ad certam pecuniæ ſummam ſibi perſoluendam; ut trecentum quinquaginta numos aureos, quos

quos quidem ipſe curare Cæſaris *negociatoribus iu-bebatur, ſtatim reponeret.* Id & *me primum om-nium de te non intellexiſſe, & te eos ciues præſer-tim ſpectata fide homines ea in re nihil iuuiſſe; nul-lam omnino eis opem tuam, nullum adiumẽtum præ-ſto fuiſſe, ualde miror.* Q*uamobrem mando tibi pri-mum, ut omnem rem perquiras diligentiſſime:* Dein-*de ſi iuuare* Regienſes *poteris, adhiberéq; remedia, néquid ab* Ioanne Petro *diſpendij perpetiantur; iu-ues, curesq; rem omni ſtudio & diligentia. Sin au-tem non poteris; nos tamen, quemadmodum ſe res habeat, certiores facias, doceasq; quo pacto ei oc-currere malo poſſimus.* Q*uod ſi operæpretium erit mitti a nobis iſthuc aliquem, qui controuerſias in-ter* Regienſes Comitemq; *componat; id uero a nobis facile curabitur: ut iſti poſthac ciues a* Comitis *iuriſ-dictione ſeparẽtur diſcretiq; ſint; ne calumnijs eiuſ-modi ulla in poſterum cauſa, ullus onerum perferen-dorum, munerúmue obeundorum ſcrupulus, ulla quæ-ſtio exoriri poßit.* Id *enim maxime opto; ut* Regiẽ-*ſes ciues ſub* Regiẽſium Principum *ditionibus ne cẽ-ſeantur: ut* Reip. *rationibus nullum præiudicium in-feratur.* Dat. *ſexto* Id. April. MDXIIII. *Anno ſecundo.* Roma.

Cardinali Seduno. 9

CVM *perſpecta nobis eſſet & uirtus & pru-dentia tua; tuáq; in me atq; in* Remp. *in quam quidẽ*

plurima tua egregia præclaraq́; officia extiterunt, fide & cultu magnopere conſiderem; Carratiolum *notarium meum et* Petrum Magnum *familiarem tuū ad te miſi: a quibus cōſilia mentemq́; omnem meam in tractandis noſtris rebus intelligeres.* Itaq́; *non uereor, quin ea omnia, quemadmodum uolebamus, ad* Heluetiorum *Magiſtratus amanter accurateq́; detuleris.* Quoniam *autem multa ſunt, quamobrem exiſtimem nihil accidere poſſe his temporibus, quod plus afferat rebus omnibus momenti & ponderis ea re, quam illi ad te meis uerbis pertulerunt: abs te etiam atq; etiam peto, ut ſi tibi totum negotiū quoquo modo in dubium adducetur ſic, ut uereri poßis* Heluetios *in ea mecum ſententia, per quam nihilo certe minus illorum, quàm* Reipub. *commodis conſulitur, non futuros;de eo nos quàm primum facias quàmq́; celerrime certiores: ne dum ipſi de illorum in nos obſeruantia fruſtra confidimus; aliquod alicunde* Reſp. *incommodum & detrimentum accipiat.* Neq; *enim interea uel de oblatis in dies conditionibus ab alijs & populis &* Regibus, *uel de induciarum pactione cōfirmāda, uel omnino ulla de re quicquàm ſtatuere atque conficere poſſum, neque plane quieſcere; donec abs te aliquid afferatur.* Dat. XV. Cal. Maias. Anno *ſecundo.* Roma.

Paulo

Paulo Victorio. 10

MANDO *tibi; ut poſtea quàm ex ratione decimæ iſtius* Reip. *ſacerdotibus impoſitæ quindecies mille numum aureorũ ſumma exacta fuerit, des perſoluasq; e ſumma reliqua* Roberto Naſio *& eius ſocijs id, quod eis curari mandaui, ea tamen conditione; ut ſi ex tota ratione illius decimæ ſumma tricies mille numum non exigetur;* Robertus *ſocijq;, quod abs te curatum acceperint; id omne reponere ac reſtituere teneantur. Quicquid autem ultra totam triginta milium aureorum numum ſummam erogabitur; id* Roberto *& ſocijs ad abietem in templi* Romani Principis Apoſtolorum *ſubſtructiones cædendam atque aduehendam deferatur.* Dat. XI. Cal. *Maias. Anno ſecundo.* Roma.

Vgoni Pepulo. 11

CVM *te; qui in noſtra ditione domum & lares patrios & fortunas omnes habes, quemq; propter familiæ ſplendorem animiq; fortitudinem magnopere diligo;* Guidum Rangonium *neceſſarium & propinquum tuum noſtrumq;* Præfectum *equitũ ad ſingulare certamen intellexerim prouocauiſſe, locumq; ei ad certandum ſtatuiſſe apud* Mediolanenſium *Ducem ad diem duodecimam* Cal. Iunij; *litterasq; ad te dederim, ut quàm primum te ad nos conferres; tuq;*

mandatis

mandatis noſtris parueris, urbemq́; Romam ad nos acceſſeris: quod quidem eo conſilio feci, ut te ab incepto reuocarem: Idem nunc etiam cum optem, magnopereq́; cupiam; ut ex uinea Domini, quam colendam purgandamq́; ſuſcepi, irarũ & odij & bellorum ſemina radicitus euellantur: mando tibi cum obedientiæ ui & uirtute, tum aqua tibi & igne interdicendi, tuorumq́; bonorum fiſco inferendorum pœna propoſita, niſi parueris; ut ea de re & prouocatione tua totaq́; ratione certaminis, cauſisq́;, quas habuiſſe te idoneas atq; iuſtas ad eam prouocationem exercendam exiſtimas, nullum poſthac uerbum ullo in loco ullo cum Principe *aut plane homine modo ullo colore ullo facias: neque ad* Maximilianũ Mediolanenſium *Ducem locúmue ullum illius* Regni *ea de cauſa te conferas uſque ad diem decimam* Cal. Iunij: *neque omnino quicquàm aut loquaris aut ſtatuas animo decertandi.* Dat. *decimo* Cal. Maias. Anno *ſecundo.* Roma.

Guido Rangonio. 12

Certior *factus ſum, quibuſdam te de cauſis ab* Vgone Pepulo *neceſſario & propinquo tuo ad certamen ſingulare prouocatum ei rei libenti animo annuiſſe; uelleq́; ad* Maximilianum Mariam Mediolanenſium Ducem *proficiſci: apud quem tibi ab illo ad diem* XII. Cal. Iunij *certamen eſt indictum.* Q*uæ res mihi & minime noua, & maxime moleſta*

 accidit.

accidit. Nam cum mihi perſpecta eſt animi tui magnitudo: tum fortitudinem & ſingularem tuam iſtã bellicis in rebus præſtantiam; quæ quidem maximo uſui eſſe in Reip. Chriſtianæ dignitate uel tuenda uel augenda poteſt; ob inanes atque leuiſsimas cauſas tã dubijs fortunæ caſibus iri propoſitam mihi maximo dolori ſane fuit: qui; ut patris tui uiri optimi, domusq; tuæ in meam familiã antiqua & plurima officia ſileam; te unice atque paterne uſque a puero amo. Quamobrem, ut & noſtræ dignitati, cuius tu equitum Præfectum geris, & Domini pacem nobis diligentiſsime commẽdantis monitis præceptisq; ſatisfiat; mando tibi & aquæ atque ignis interdicto, & læſæ maieſtatis pœna committenda; ne ea de cauſa te ad Ducem Mediolanenſium conferas, aut ullum ad eius ditionis locum: neque prorſus quicquã agas, loquaris, ſtatuas, ut ſit tibi cum Vgone decertandũ. Dat. x.^{mo} Cal. Mai. MDXIIII. Anno II. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 13

MVLTI ad me detulerunt te & Guido Rangonio & Vgoni Pepulo ad certamen ſingulare locum tutum ſcriptis ad eos litteris eſſe pollicitum ad diem XII. Cal. Iunij. In quo non potui, ut uerum fatear, non moleſte ferre, non te mihi eam rem ante, quàm quicquàm ſtatueres, ſignificauiſſe: cum ſcire poſſes eorum alterum in huius Reip. Imperio ex clara eſſe chariſsimáque familia progenitum: alterum etiam

agere

agere noſtrorum equitum Præfectum, atq; à me plurimis maximisq; de cauſis & ueteribus & recentibus ualde amari. Itaq; cum meum in primis munus ſit è Domini agro controuerſiarum et bellorum ſtirpes ſuccidere, ad quem ſum publice colendum adhibitus; abs te etiam atq; etiam peto, ut eas tuas litteras, quibus locum tempusq; illis ad certamen ſtatuiſti, reuoces: desq; ſeparatim ad utrunq; alteras quàm primum litteras; quibus id ſignifices; nolle te amplius eis locum ad certamen dare: iubeasq; ne ad te ea de cauſa proficiſcãtur. Dat. x. Cal. Maias. MDXIIII. Anno ſecundo. Roma.

Ferdinando Hiſpaniarum Regi. 14

MITTIT ad te Franciſcus Maria Vrbinatium Dux noſtri, ut ſcis, exercitus Imperator certũ hominem familiarem ſuum: qui ſe apud te purget ijs in rebus; quas res aliquot iam annis admiſiſſe illum cõtra te Magiſtratus in Regno Neapolitano tui ſunt nuper criminati. Quæ quidem criminatio mihi; ut uere dicam quod ſentio; non moleſtiſsima eſſe non potuit: cum quæ obijciũtur, eiuſmodi ſint; ut quæſita potius ab illis inſimulandi Ducem quoquo modo cauſa; quàm merito ſuſcepta fuiſſe uideri poſſit, cũ propterea; quod ea, quæ obliuioni iam prope tradita, uel plane etiam ſopita & extincta ſunt, per illos in iudicium reuocantur: tum quod illa ipſa nõ illius modo culpa, ſed ne colore quidem culpæ ullo

ſunt admiſſa. Quæ enim tui apud Soram geſta in tuum, ut ipſi aiunt, dedecus offenſamq́; afferunt; ea neq; ſciri aut caueri a Duce propter longinquitatem itineris potuerunt: neque in ipſius, ſed in eius matris adminiſtratione eorum locorum procuratio tūc fuit. Nam quod ad Rauennæ prælium tuorumq́; militum receſſum attinet: nobis quidē, qui eo in prælio fuimus, ſatis conſtat illum contra nomen dignitatemq́; tuam nihil ipſum feciſſe, nihil ut fieret iuſſiſſe, nihil denique fieri permiſiſſe. Sed quis eſt, qui poßit magno cōmiſſo prælio in ſoluti exercitus fuga omnes uicinæ prouinciæ populos in officio continere? Quanquam quidem, quod ad illum attinet; non ſolum nihil egit ipſe contra tuos: ſed eis etiam per ſui Regni fines ſine ordine,ut fit, temereq́; properantibus comites itinerumq́; duces dedit: debilitatosq́; uulneribus multos ſuis in oppidis iußit curari: iuuit etiam quàm plures rebus omnibus. Itaq; functus in eo eſt boni uiri amantißimiq́; tui officio. Quæ quidem omnia,uel plura etiam, palam, ut intellexi, ipſi tui milites præ ſe tulerunt. Sed hæc atque alia ab eius Internuncio cognoſces. Ego autem; qui plurimis maximisq́; de cauſis tum priuatis & familiaribus, tum certe publicis ſummo illum amore ſingulariq́; beneuolentia ſum complexus; abs te quæſo magnopere et peto; ut eius procuratorem libenter excipias; excuſationesq́;,quas afferet,audias: admittas quoq; pro equitate & iuſtitia, cuius ſemper ſtudioſus fuiſti, mea de cauſa aliquanto etiam libentius.

libentius. Erit *id nobis tam gratum, ut nihil magis: tibi uero laudi etiam & gratiæ*. Nam *quoniam is* Iulij *Secundi* Pont. Max. *fratris filius fuit, eiúsque copiarum* Imperatorem *geſsit, & noſtrarum gerit; nihil tam liberaliter agere tamq; humaniter erga illum poteris; quin te optime feciſſe omnes homines ſint exiſtimaturi: teq; de eo etiam amaturi*. Dat. *quarto* Cal. *Maias*. MDXIIII. Anno *ſecundo*. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 15

CONQVESTI *apud nos perquàm ſane grauiter ſunt* Legati Anconitanorum *ea de cauſa; quod eorum nauim ipſorum et* Florẽtinorum *onuſtã mercibus domo in Aſiam tendẽtem triremis* Venetæ *ductor Sebaſtianus Memmus hoſtili animo atq; impetu non longe ab* Raguſio *ſit aggreſſus; propeq; depreſſerit tormentorum ui*: Depreßiſſet *autem; niſi ſe illa in* Epidauri *portum recepiſſet*. Id *quoniam parum ſucceſſerit; obſeruari eam aiũt ab eodem* Memmo *alijs etiam* Venetis *triremibus in prædæ ſocietatem adſcitis uicinis in portubus: ut eam ex* Epidauri *portu exeuntem intercipiãt*. Quæ *res quoniam contra ius & bonos mores, contraq; ueſtras cum* Romanis Pontificibus *initas pactiones & fœdera in primis eſt; id, quod accidit, exiſtimo præter tuam iſtiusq;* Reip. *uoluntatem accidiſſe*. Hortor *autem paterne te atq; moneo, des quàm primum operam,*

mandesq́; , ne quid poſthac a ueſtris triremibus detrimenti noſtrorum hominum præſertimq́; Anconitanorum nauibus inferatur. Punias etiam mulctesq́; ductorem illum; qui ei naui tãtum moleſtiæ tantũq́; iacturæ temere atque hoſtiliter attulit: ut alijs ueſtrarum triremium ductoribus & nauarchis exemplo ſit, nihil iniuſte poſthac in noſtros homines moliẽdi. Id ſi feceris; quemadmodum pro Senatus iſtius æquitate confido te facturum: erit & mihi; qui te remq́; iſtam pub. unice amo, ſane gratum; et tibi cum honorificum, cum te iuſtitiæ colentem fœderúmque obſeruantem eſſe homines intelligent; tum etiam ſalutare: omnem enim ijs, quorum intereſt, cogitationem eripies potiora ei rei fructuoſioráque remedia perquirendi. Dat. Cal. Maijs. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Magiſtratui Arimini. 16

VARII atque difficiles fortunæ caſus; quos egregia mulier Violantis Bentiuola Malateſtis quatuordecim fere annos eſt perpeſſa, dum mariti ſui ditione priſtina excuſſa nouem liberos alienis opibus nutrit; me commouent; ut eius ærumnas atque labores parte aliqua ſubleuem. Itaque certior factus bona quædam in Ariminenſi ratione dotis illi deberi; mando tibi, des operam, ut ei pro iuſtitia ſatisfiat: eóque magis; quod intelligo, Ariminenſes ipſos eam ſatisfactionem non impedituros. Dat. tertio Non. Maias. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Recanatenſibus

Recanatenſibus. 17

Certior ſum factus eam materiem, quam Bernardo Bibienæ Cardinali uos daturos recepiſtis; qua materie ad templi Lauretani ædificationem uteremur; probam atq; idoneam non eſſe. Quamobrem mando uobis atque impero; ut bonas arbores, quæq; uſui ei ædificationi poßint eſſe ex Andreæ Sauini eius ædificationis magiſtri ſententia, apportari illò quàm celerrime iubeatis: ut quæ iam cœpta ſunt fieri, ne intermittantur; ſed procedant: ne tum nos, tum etiam Deam ipſam inani lignorum inutilium donatione luſiſſe uideamini. Dat. XVI. Cal. Iulias. Anno ſecundo. Roma.

Maximiliano Imperatori deſignato. 18

Allatum ad nos eſt, Venetos, cum Flumen oppidum tuum, quod eſt in Iſtria, cepiſſent; multam lignorum uim ad naues conficiēdas idoneam in uicinis ei oppido ſyluis cædi iußiſſe: Eaq; ligna Venetis abs te repulſis recuperataq; prouincia humi proiecta atq; imbribus expoſita iacere: periculúmque eſſe, ne breui ita uitientur; ut nullus ex ijs percipi uſus poßit. Quod cum ita ſit; ad phani autem Lauretani ædificationem omni a me cura diligentiáque inceptam atque inſtitutam; quod quidē phanum

ſummo atque admirabili gentium & populorum cõcurſu pietatéque celebratur; eius lignorum generis atq; materiei magnopere indigeam; hortor te etiam atq; etiam; uelis, ut Diuæ *honos tua liberalitate augeatur, celeberrimo orbis terrarum* Phano *donare eã materiem, mandareq́; tuis* Magiſtratibus, *ut noſtris hominibus, quos eò mittemus, omnem a* Venetis *cæſam arborem auehendi, atq;* Anconam & Lauretum *tranſportandi poteſtatem faciant: eóque libentius; quod te aiunt ijs arboribus quem ad uſum uti poßis, uix habere.* Id *ſi feceris; & rem tua religione atq; amplitudine dignam ſtatues: & me, qui quidẽ ſuppeditare tã apte ei ædificationi ligna idonea nequaquàm poſſum, eo munere ad ædificationem conficiẽdam reddes etiam diligentiorem, tibiq́; debentem.* Dat. XVI. Cal. Iul. Anno *ſecundo.* Roma.

Ioanni Lunæ Siculo uiro Principi. 19

LAETITIA *tua; quàm ex eo, quod ad propinquitatem inter te atque nos familiamq́; noſtram ineundam & conſtituendam animum induxerim, accepiſſe te ſcribis; mihi plane grata accidit.* Itaque Sigiſmũdum *filium tuum; cui* Lucretiæ Saluiatæ *ſororis meæ filiam ſpopõdimus; amore iam prope paterno pietateq; complector; quemadmodum oſtendis cupere te: neque ſane illum modo; ſed reliquos etiam liberos tuos, uniuerſamq́; domum atque familiam in meam fidem beneuolentiamq́; recipio: quam*

rem

rem fortunare DEVM uolo. Tibi quidem certe omnibus in rebus, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem dignitatemq́; pertinebunt, uoluntas nullo tempore noſtra, pietas, liberalitas deerit. Reliqua ex litteris Iuliani fratris mei, qui te maxime diligit, cognoſces. Dat. XII. Cal. Iulias. Anno ſecundo. Roma.

Carolo Duci Allobrogum. 20

GRATISSIMVM ſane mihi optatiſſimumq́; fuit; te; quem quidem propter animi tui egregias præſtantiſſimasq́; uirtutes, generisq́; nobilitatem a maioribus tuis magnis atq; claris uiris, antiqua laudatiſſimaq́; ſerie deductam atque traditam, plurimi ſemper feci; Philibertam ſororem tuam Iuliano Medici fratri meo nuptui uelle tradere: affinitatēq; nobiſcum inire, & conſociare atq; aſtringere utranq; familiam eo uinculi genere, quod idem eſſet omnium arctiſſimum atq; ſanctiſſimum. Inductioq́; animi & propenſio iſta tua ualde me delectat. Itaq; quoniam non dubito, quin, quæ utriq; noſtrum probantur, ea etiam uterq́; re ſancitum iri atq; ad exitum perductum magnopere uelit: DEVM Opt. Max. oro quæſoq́; ut cum ea confici annuat atq; mandet ipſe: tum uelit, primum quidem fratri meo & ſorori tuæ; deinde mihi atq; tibi, qui & propiores illis ſumus, & amore atq; beneuolentia coniunctiores; deniq; utriusq; noſtrum familiæ atq; generi ea de re &

propinquitate proſpere atq; feliciter euenire. De me quidem ea omnia ſperare expectareq́; te uolo; quæ ab optimo optatiſsimoq́; filio de patre amantiſsimo ſunt expectanda: Quemadmodum ab Amadeo Berruto notario & familiari meo latius cognoſces; quem ijs de rebus ad te mitto; hominem & nobis charum, & tui cupidum. Dat. Octauo Id. Aprilis. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Philibertæ Ducis Allobrogum ſorori. 21

MITTO ad Allobrogum Ducem fratrem tuum ijs de rebus, quas ab ipſo cognoſces, Amadeum Berrutum familiarem meum: cui mandaui, meis ut uerbis tibi ſalutem diceret: tecumq́; ageret, quæ agenda eſſent. Ei tu fidem habebis, & ualebis. Dat. Octauo Id. April. Anno ſecundo. Romæ.

Comiti Geneuenſium. 22

AMADEO Berruto notario et familiari meo ad Ducem Allobrogum fratrem tuum proficiſcenti ijs de rebus, quas tecum communicabit; mandaui, ut tibi ſalutem nunciaret meis uerbis. Ei fidem habebis: tibiq́; ipſi omnia de me pollicebere, quæ ex uſu tuo eſſe cum Domini uoluntate cognoſces. Dat. Octauo Id. April. Anno ſecundo. Romæ.

Ludouico

Ludouico Galliarum Regi. 23

ALLATVM ad nos eſt, tibi a certis hominibus inſuſurratum fuiſſe, Claudij Epiſcopi Maßilienſium deſignati Legati tui curam atq; operam nobis gratam non nimium eſſe. Quæ ſane res eo mihi grauior atq; moleſtior accidit; quod cum illum ob eius doctrinam ingenium probitatem multum ſemper amauerim; poſtea quàm is ad me, ut Legatum tuum ageret, Romam uenit; nihil ipſo tui amantius, nihil ardentius uidi; nihil plane tuis in rebus omnibus tractandis atq; adminiſtrandis diligentins accuratius laborioſus illo fuit: quod quidem certe me illi etiam deuinxit arctius. Itaq; cum ſe aliquando ad te redire uelle mihi ſignificauiſſet; ne id faceret, ſum illum pluribus fortaſſe uerbis; quàm uel noſtra dignitas, uel mea fert conſuetudo; dehortatus. Quæ cum ita ſe haberent; hæc ad te ſcripſi; ut eſſet eius rei teſtimonium apud te meum; hortarerq; te, ne poſthac de mea in Claudium uoluntate plus ullis hominibus crederes, quàm ipſi mihi; néue uelles, ut is abs te ſuorum pro te ſuſceptorum officiorum, laborum, curarum, uigiliarum longe aliam, quàm te atque ipſum deceat, mercedem atq; fructum caperet. Dat. Id. Iun. Anno ſecundo. Roma.

Carolo

Carolo Duci Allobrogum. 24

Ex oratione Amadei Berruti de tuo ergà me ſtudio atque ijs in rebus, de quibus tecum egit, uoluntate, quæ maxime optabamus, quæq; mihi gratiſsima fuere, cognoui: tuasq; litteras libenter legi; per quas mihi de paterno meo in te animo gratias agis humaniſsimis uerbis. Eas ad litteras & Amadei ſermonem quid reſcribi tibi, quæq; ſcire te uolo, ex ipſius ad te litteris intelliges. Ipſe autem Berrutus; quem quidem multis de cauſis admodum diligo; erit mihi poſthac tua commendatione etiam charior. Cæterum amari te magnopere à me, commodaq; omnia dignitatemq; tuam atq; amplitudinem mihi magnæ curæ eſſe ſi exiſtimabis; minime decipiere. Dat. XI. Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Comiti Geneuenſium. 25

Et tuæ ad nos plenæ officio & obſeruantia litteræ, & Amadei Berruti familiaris noſtri ſermo tuū ergà me cultum et uoluntatem uberrime oſtenderūt. De eo & ualde quidem te amo: & meam ad te ornandum pronam beneuolamq; mentem & ſtudium omni tempore tibi polliceor. Reliqua ex Berruti litteris cognoſces. Dat. XI. Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Magiſtratibus

Magiſtratibus Senenſium. 26

MITTIMVS ad ſedandos compeſcendóſque tumultus ueſtrorum exulum, qui ut ciuitatem ueſtram perturbarent, manum armatorum hominum coëgerunt; Pindarum Santeſium familiarem meum, hominem & uirtute præditum, & nobis in primis gratum & probatum. De quo mentem & conſilium ſuper ea re meum cognoſcere facile poteritis, quámque uos urbemq́; iſtam diligam. Dat. VIII. Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Pindaro Santeſio. 27

ET nuncijs & multorum litteris cognoui, nouarum rerum motum ab exulibus Senenſibus excitari; coactamq́; iam eſſe operarũ magnam manum armatorumq́; hominum; qui urbem Senas inuadant, perturbentq́; eum ſtatum, qui nunc eſt, quoq; oppidum in præſentia regitur. Quamobrem ægre moleſteq́; ferens, eſſe ullos eius oppidi ciues tam ſceleſtos tamq́; perditos, qui eiuſmodi cõſilia concipiant atque agitent; mando tibi, cuius mihi probitas atque prudentia probantur; ut illò te quàm celerrime conferas; desq́; operam, néquid ea urbs detrimenti capiat. Qua in adminiſtratione atque cura quicquid iuſſeris imperaueris; id ita iuſſum imperatúmque uolo eſſe; uti eſſet, ipſe idem ſi iußiſſem imperauiſſem. Itaque

ſem. Itaque tu ea in re uicarius meus eſto: auctoritas tibi mea; ſiue dixeris, ſiue quid ſtatueris; adeſto: qui mihi Reiq́; pub. parent; tibi parento. Tu uero ſingula pro tempore, uti res feret, conſulto atq; prudenter adminiſtrabis: & me adeſſe omnibus rebus; quas dices, quasq́; ſtatues; exiſtimabis. Dat. octauo Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Reip. Florentinæ. 28

MITTIMVS ad ſedandos tumultus & audaciam exulum Senenſium compeſcendam Pindarum Santeſium familiarem noſtrum & gratum nobis hominem & probatum. Valde enim cupimus, ne ſcelere perditorũ hominũ id oppidũ; quod noſtros ad fines pertingit; cuiq́; oppido non minus animorum beneuolentia, quàm locorum propinquitate coniungimur; inſigne aliquod detrimentum atq; moleſtiam capiat: ſed noſtra cura diligentiaq́; muniatur atque defendatur. Ei mãdauimus; ut ſi ad rem, ut uolumus, conficiendam ueſtræ opis indigebit; litteras ad uos det; petatq́;, quæ ſibi eſſe uſui exiſtimabit, quæq́; adminiſtrandis a ſe rebus opportuna eſſe conducibiliaq́; cognoſcet. Itaq; ut Pindaro fidem habeatis, operamq́; ueſtram, ſi erit opus, & officium ſtrenue atq; impigre nauetis; etiam atq; etiam a uobis peto. Erit id nobis in primis gratum, atq; ita, ut nihil poßit eſſe gratius. Dat. octauo Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Vladislao

Vladiſlao Regi Pannoniæ. 29

PETRVM Bergnanum familiarem meũ mitto ad te cum mandatis iјs de rebus, quas ab ipſo cognoſces; quæq; mihi pro mea in te beneuolentia magnæ curæ ſunt, eius uerbis omnem fidem habebis; & ualebis, noſq; diliges. Dat. quinto Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Magiſtratui Parmæ. 30

CATANEO ad te proficiſcenti, ut de conficiendis cum Malateſta Medice propinquo meo nuptijs meo & Guidi Medicis eius fratris nomine te alloquatur, has ad te dare litteras uolui: quibus te commonefacerem; ut quoniam eos fratres in primis diligo; quorum alterius etiam diligens fidelisq; opera domeſticis meis in rebus atque familiaribus quotidie mihi magis probatur; omne tuum ſtudium & diligentiam adhiberes; ut ſi eæ nuptiæ uſui & honori futuræ illis eſſent, rem conficeres; teq; ita gereres, ut intelligeremus propinquorum meorum hominum mihi chariſſimorum honeſtorũ uirorum cauſam tibi curæ atque cordi fuiſſe. Reliquum eſt; ut & Cataneo & Guidi litteris fidem habeas; utq; ipſi tuam operam depoſcent, teq; facere uolent; ſic facias. Dat. ſexto Cal. Iul. Anno ſecundo. Romæ.

Hannibali

Hannibali Paleotto. 31

ET uirtutem probitatemq́; tuam, quibus agendarum rerum experientia & in omni uita prudentia coniuncta eſſet; dum Bononiæ Legatum agerem, ſæpe probaui; & Romanos a te Pontifices miro ſtudio ac pietate ſemper cultos fuiſſe plane cognoui. Ac præter hæc etiam patris tui Vincentij Paleotti equitis Bononienſis legum ſcientia magni atque clari uiri nomen; fratrumq́; tuorum Alexandri & Camilli excellentes diuerſis in litterarũ et doctrinarum ſtudijs diſciplinæ mihi ante oculos uerſantur; meq́; admonent, ut meam in te paternam propenſamq́; uoluntatem egregio aliquo munere apud omnes homines teſtatam faciam. Itaque te Bononiæ, cuius municipij ab antiqua et honeſta familia oriundus ciuem geris, omnesq́; tui geſſere; XL uirum facio Antonij Mariæ, qui propter ſenectam ei magiſtratui renunciauit, loco omnibus ijs cum muneribus, honoribus, commodis; quibus reliqui XL uiri utuntur, fruuntur, gaudent; uel uti, frui, gaudere eis licet. Quare mando ijs, qui in eo magiſtratu ſunt; ut te in ſuum collegium recipiant. Tu uero dignum te & maioribus tuis & mea beneuolentia fac præſtes; ut ſpei; quam de te habeo, plane reſpondeas. Dat. Cal. Iul. Anno ſecundo. Roma.

Laurentio

Laurentio Feltrinorum Epiſcopo, Internuncio apud Imperatorem. 32

Intellexi Vitum Fruſtum Magiſtratum Mutinæ in cuſtodia Guidum & Sigiſmundum Rangonios fratres habere: qui uel propterea, quod ex ea familia ſunt, quæ pro ſuis plurimis atque maximis in me meosq; omnes officijs eſt mihi, uti debet, coniunctiſsima; uel, quod ipſos Maximiliani Rom. Imp. deſ. ſtudioſiſsimos eſſe cognoui: habentur a me in propinquorum mihi & neceſſariorum loco. Itaque mando tibi; ut eos Maximiliano ipſi quàm accuratiſsime commendes meis uerbis cum reliquis eorum in rebus atque cauſis, tum præcipue in ſalute; quæ mihi cordi eſt, quantum poteſt eſſe maxime. Dat. Non. Iul. Anno ſecundo. Roma.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER NONVS.

Federico Lando Placentino. 1

AVDIVI *de ijs, qui te amant, ciuibus tuis, qui* Romæ *ſunt; te ex interitu* Baptiſtæ Lãdi *filij tui* Romæ a Petro Franciſco Maluici*no ciue* Placentino *proximis diebus interfecti permotum atque perturbatum, reliquosq́; liberos tuos ira iniuriaq́; percitos parare arma in* Maluicinorum *familiam; ut defuncti mortem modis omnibus uindicetis.* Ea *in re tametſi tuo tuorumq́; dolori iuſto præſertim facile ignoſco, moleſtiſſimeq́; fero ea, quæ acciderunt: te tamen; quẽ quidem certe in primis diligo, cuiusq́; & prudentiam & temperantiam omnibus in rebus ſemper probaui; moneo paterne atque hortor; ut quam adhuc quidem moderationem animi tui uitæq́; rationem es complexus; ea poſthac etiam utare: teq́; ipſe primum, deinde tuos contineas; né quid* Placentiæ *tumultus ueſtra cauſa exoriatur: quod plane fiet; ſi & ipſe quieueris, & quieſcere iuſſeris tuos.* Id *ut facias, etiam*

atque

atq; etiam abs te peto. Erit & mihi gratum; & tua ætate, integritate atq; prudentia dignum. Equidem quæ cogitari atq; ſtatui a me debent, ut dolori tuo atque iniuriæ pro iuſtitia ſatisfiat; in ijs tibi eo minus deero; quo te magis intellexero meis monitis præceptisq; paruiſſe. Dat. XVIII. Cal. Aug. Anno *ſecundo.* Romæ.

Canonicis & ſocietati Eccleſiæ Veronenſis. 2

INTELLEXI *uos emphiteoſeos nomine uillam atque agrum*, Cederelli *qui fuerat*, Domitio Pomedello *dediſſe. Qui quidem* Domitius *cum alumnus ſit* Antonij Thebaldei; *quem ego uirum propter eius præſtantem in optimarum artium ſtudijs doctrinã, pangendisq; carminibus mirificam induſtriam unice diligo; grata hercle mihi ea ueſtra liberalitas fuit. Itaque certior factus ſupereſſe etiam uobis portionẽ quandam ex illis ipſis* Cederelli *bonis; quam nemini adhuc quidẽ donauiſtis; has ad uos litteras dedi; ut ſciretis; ſi, quod eſt reliqui eorum bonorum, eo a uobis* Domitius *augebitur; mihi id perquàm gratum futurum. Vos autem in eo præterea & modeſti ac probi adoleſcentis arctam anguſtamq; rem ueſtra liberalitate explicabitis: & uirum egregium ac perelegantem, deq; ueſtra ciuitate optime meritum eius patronum eo beneficio uobis deuincietis.* Dat. XVI. Cal. Aug. Anno *ſecundo* Romæ.

Sigiſmundo Regi Poloniæ. 3

PERFERTVR ad me, ſeditionibus non negligendis in Pannonia per factioſos homines & ſceleſtos excitatis arma temere tractari, ac trucidari paßim plurimos, & inteſtinum quoddam quaſi bellum exiſtere contra Vladislai Regis Pãnoniæ fratris tui uoluntatem. Itaque timẽdum eſſe; niſi ei rei quã celerrime occurratur; ne freti ac permoti ea occaſione Turcæ Regnum illud conuulſum iam per ſe ac debilitatum; ad quod quidem maxime omnium mentem atq; animum adiecerũt propterea, quod eſt cum ſuis Regnis coniunctißimum; ipſi integri collectis uiribus adoriantur. Eo Regno atque populis uel ſub iugum mißis, uel profligatis ac perditis, qui uos caſus maneat: nemo eſt, qui non uideat etiam tacente ac ſilente me. Eas ob res omnes te hortandum eſſe in primis duco; ut uel ſublato modis omnibus eo bello, quod te in præſentia intelligo cum Moſcouitis exercere; uel, ſi fieri poteſt, ſuſpẽſo atque in aliud tempus dilato ac reiecto, properes auxilium atque opem ferre fratri germano tuo; exercitumq; in Pannoniæ fines adducas. Non enim uereor; ſi te modo appropinquare populi illi ſenſerint fratri ſuppetias allaturũ, quin ſe omnes in officio contineant. Quod cum fecerint; etiam Turcis ſpem eripient primum quidem in Pannonios fratremq; ipſum tuum, deinde in reliquos Chriſtiani nominis populos atque gentes male

tes male

tes male cogitandi. Id abs te ita peto; ut, quanquàm uidear tuorum etiam cauſa te cohortari atque commonefacere; tibi tamen nihilo ſim minus ea de re debiturus; ac ſi mihi uni tantum, quantum poſtulo, tribuiſſes. Quintodecimo Cal. Aug. Anno *ſecundo.* Roma.

Liuoniæ Magiſtro. 4

PROXIMIS *diebus* Pruſiæ *Magiſtri atque tuis petentibus* Legatis; *ut* Regis Poloniæ *ipſiusq;* *Magiſtri ueterem illam maximarum rerum & controuerſiarum cauſam, quam habent, ſacro* Lateranenſi Concilio *iudicandam terminandamq; aliquãdo tandem remitterem: nunciatum eſt in* Pannonia *tumultus magnos & ſeditiones exortas eſſe: ob eãq; rẽ trucidari plurimos, excitariq; tanquàm inteſtinum bellum contra* Vladilsai Regis Pannoniæ *uoluntatem: uerendumq; eſſe; niſi id tempeſtiue bellum ſedatum ſopitumq; ſit; ne animati ea occaſione* Turcæ *Regnum illud, quod uicinum ipſis eſt, inuadant atque diripiant.* Ea regio *atque natio cum quaſi uallus quidam atque agger munitiſsimus inter nos atque illos adhuc quidem ſemper ſit habita; quantum ex eo periculi rei* Chriſtianæ *impendeat; ſatis etiam tacente me res ipſa per ſe loquitur.* Itaque *cum exiſtimarem primum omnium oportere, uicinorum &* Regum & Principum *unanimi conſenſu rebus* Pannonicis *quàm celerrime ſuccurri; ne incohatum iam*

malum atq; labes augendi confirmandiq; ſeſe moram atque ſpatium nanciſci poßit: tuorum & Magiſtri Pruſſiæ *Legatorum poſtulationes in aliud reieci tẽpus, atq; diſtuli: ne dum animorum uoluntatumq́; ueſtrarum conciliationis nouus hic* Pannoniæ *rerum ſtatus maxime indiget; lis inter uos ac diſceptatio magnis de rebus atq; cauſis agi tractariq;* Romæ *incipiat.* Quamobrem *tametſi* Regem Poloniæ *bello* Moſcouitano *eſſe implicitum audierim: tamen quia* Pãnoniæ Regno *in periculum adducto uicina ei* Regna *in tuto eſſe nequaquàm poterunt; dedi ad eum litteras; quibus litteris, ut uel ſedato eo quoquo modo, uel ſuſpenſo bello ad* Pannoniæ *fines cum exercitu ſe conferret; deq; ſedandis eo in* Regno *ſeditionibus inteſtinoq́; bello cum* Rege *fratre ſuo ageret: ſum illum diligenter hortatus: ſperoq; fore, ut meis monitis, ſalutaribus præſertim atque amantißimis pareat.* Eam *ad rem tu quoque uti curam cogitationemq́; tuam adhibeas, pro mei muneris officio etiam atque etiam abs te peto.* Nam *quoniam propter eã, quæ tibi cum* Moſcouitis *eſt, uicinitatem cõfido tua me opera & auctoritate poſſe, quod poſtulo, facile conſequi; ut id, quod dixi, bellum uel finem aliquem nanciſcatur, uel ipſum differatur; quo* Rex Poloniæ Regi Pãnoniæ *auxilium afferre, eiq; præſto eſſe poſſit: ualde cupio; ut eam tu ad rem tam honeſtam tamq; laudabilem conficiendam, conſociandasq; duorum* Regum *uoluntates atque mentes auctoritatem tuam conferas nobiſcum atque adiungas.* Id *ſi feceris; quemadmo-*

ris; quemadmodum quidem tua fretus cum prudentia, tum in me, qui te unice diligo, uoluntate maxime confido te facturum; & officio eris functus optimi prudẽtiſsimiq; Principis, & ſpem omnem hoſtibus noſtris communibus auferes Regnum quidem Pannoniæ primum, deinde alias atque alias nationes Chriſtianas inuadendi atque proterendi; et tibi ego plurimum debebo, cuius eris precibus atque monitis obſequutus. x v. Cal. Aug. Anno i i. Roma.

Antonio Mariæ Palauicino.

RECORDARI facile potes, me cum Romæ eſſes, non ſemel te paterne monuiſſe; ut cum Galeatio Palauicino fratre tuo ageres; ut Caſtrũ Cornelij; quod quidem Caſtrum egregia Rubeorum familia apud nos eſt cõqueſta ad ſe pertinere; mihi & Reip. ille atque tu remitteretis; ut quæ æqua honeſtaq; eſſent, de eo ſtatuerem: teq; ita facturum, nobis pollicitum fuiſſe, puto te non eſſe oblitum. Id cum a te differatur, nihilq; de eo confectum adhuc quidem ſit; ſcribendum ad te putaui; ut quemadmodum pollicitus fuiſti te cum fratre tuo curaturum; ita faceres; Reiq; pub. atque mihi tu fraterque tuus Caſtrum Cornelij traderetis; ut de illo pro iuſtitia decernere & ſtatuere poßem. Id ſi feceritis; erit mihi admodum gratum: uosq; uti uiros mei obſeruantes poſthac etiam impenſius diligam. Dat. quarto Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 6

PROFICISCITVR Mediolanum is, qui has ad te litteras dedi, abs te petiturus, ut ſibi emere iſthic liceat thoracas ferreos quater mille, quibus noſtri pedites uti poßint. Qua in re te hortor, des ei atque commodes non id modo, ut emere thoracas illos, ſed etiam ut ſine portorij ſolutione educere de tua ditione poßit. Dat. quarto Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Ludouicæ Tornaboniæ. 7

NARRAVIT mihi Iulianus Tornabonius propinquus tuus de tua in me pietate ſane multa; quæ mihi grata admodum atque iocunda fuerunt. Animi enim tui erga me plenam beneuolentiæ uolũtatem a primis utriuſq; noſtrum annis mihi & perſpectam & probatam libentißime agnoui. Itaque ea te de re amabiliq; officio ualde diligo; uoloq; ſcire; ſi quid acciderit, in quo tibi aut tuis eſſe uſui perpetua mea erga te charitas amórque paternus poßit; nullum me grati animi ſignum prætermiſſurum; ut intelligas te mihi eſſe charißimam, ſemperq; fore. Dat. tertio Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Municipibus

Municipibus Arimini. 8

Certior factus ſum Claræ Malateſtidi Mōtis Feretrianæ ſacerdoti, quæ uxor Roberti Malateſtæ fuit, certam ſummam dotis & hæreditatis nomine a uobis deberi: itaque a ſex uiris Fiſci Romani, cum in controuerſiam res ueniſſet, iudicatum fuiſſe. Quare hortor uos, ut ſecundum Sex uirum iudicium curetis efficiatisq;, ut mulier ad ſuum perueniat ſine diſpendio & mora. Dat. Prid. Cal. Aug. Anno ſecundo. Romæ.

Petro Mariæ Scotto Placentino. 9

Intelleximus te quaſdam poſſeßiones Ghiſelli Marchionis Maleſpinæ per tuos ut occupauiſſe: eiusq; uxori ſorori tuæ, uirum ut relinqueret, perſuaſiſſe: itemq; quoſdam ex tuis abs te adiutos magnum frumenti numerum domus hoſpitalis Placentinæ intercepiſſe: tum diui Benedicti ſocietatis aquæductus perfregiſſe. Quæ quidem mihi omnia per ſane grauia perq; moleſta fuerunt; eiuſmodiq; uiſa ſunt, ut tolerari a me nullo pacto debeant. Quod ſi Palauicinorum familiæ nobis charißimæ cauſa tuam adhuc arrogantiam pertulimus; ſcire te plane uolo, nos poſthac tibi Palauicinorum auctoritate nihil remiſſuros: ſed cum illa priora, tum iſta nuper abs te admiſſa eo acrius uindicaturos; quo

in te

in te mitiores adhuc quidem fuimus. Itaq; mando tibi; ut ablata abs te atq; a tuis, Ghiſelliq; coniugem illico reſtituas: aquæductus perfractos reponas: audaciamq; tuam reprimas: teq; ipſe modeſtia noſtra impunitateq; abutentem colligas, atq; contineas; moresq; induas & clementia noſtra & tua familia dignos: pareasq; iſtius urbis Magiſtratui omnibus in rebus; quas te res uolet facere, tibiq; iuſſerit. Hæc omnia niſi abs te curabuntur; non ea modo, quibus te liberalitas noſtra donauit; ſed etiam patrimonium tuum omne addici fiſco mandabo: teq; uti rebellem noſtrum atq; hoſtem modis omnibus puniam. Dat. Prid. Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Magiſtratui Placentiæ. 10

EXEMPLVM litterarum, quas ad Petrum Mariam Scottum dedi, habuiſti cum his litteris. Itaque mando tibi; ut quæ me ei præcipere ijs in litteris cognoſces; eadem tu quoq; meis uerbis illi mãdes atque præcipias: Quod ſi is meis mandatis non obtemperauerit, uolo eum releges, quo in loco tibi uidebitur; eiusq; bona fiſco addicas; cæteraq; omnia ſtatuas pro noſtra dignitate: ne quis poſthac malefacere audeat; ſperetq; ſe id impune laturum. Dat. Prid. Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Galeatio

Galeatio & Ant.° Mariæ Palauicinis fratribus. 11

Pertvlimvs adhuc quidem ueſtra cauſa Petri Mariæ Scotti intemperātes mores audaciamq; non ferendam. Ille uero benignitate noſtra magis magisq; in dies ſingulos abutitur; atque in omnia mala pronior ſit. Quamobrem has litteras dictaui; ut uos commonefacerem; niſi ſe ille audaciamq; ſuā furoremq; repreſſerit; et quæ nuper damna intulit, ea ſtatim omnia illis ipſis repoſuerit, qui pertulerunt; nos in illum neque uos neque quempiam reuerentes, quemadmodum meritus eſt, ſic animaduerſuros. Dat. Prid. Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Philippo Capello, et eius patruelibus Andreæ Capelli filijs, Venetis ciuibus. 12

Lectis ueſtris litteris, quibus mecum multis precibus agitis; ut cum olim Iacobus Franciſcinorum minorum ſocietatis Magiſter, qui tunc erat; cubiculum in ſociorum domo; que Venetijs eſt; Victori Capello auo ueſtro eiusq; liberis dederit, conceſſerit: idq; deinde factum Romani Pontifices duo Paulus Secundus & Sixtus Quartus probauerint: eam ipſe dationem & conceßionem in uos; qui Victoris nepotes eſtis ex duobus eius filijs Andrea & Paulo geniti; ita transferam; ut parentum ueſtrorum ius in uobis tribus eorum liberis reſideat: pro

mea in

mea in uos pietate facile animum induxi; ut ueſtris poſtulatis ſatisfacerem. Itaq; dationis & conceßionis eiuſmodi ſenſum ſeriemq; omnem ipſe quoq; approbans idem illud, quod Victori Capello *auo ueſtro eiuſq; liberis ueſtris parentibus datum conceſſumq; tunc fuit: auctoritate mea æqua portione in uos transfero: uoloq; ut ius ex ſemiſſe illud in cubiculum habeas tu* Philippe Capelle *unicus* Pauli Capelli *filius: uos autem* Andreæ Capelli *duo filij ex altero ſemiſſe; hoc eſt ex quadrante quilibet.* Quorum *quidem patrum ueſtrorum alter a me ualde ſane diligitur* Paulus; *Remq; pub.* Venetam *adminiſtrat: alter plures abhinc annos* Romæ *Legatum* Venetum *agens mortem obijt. Ita & mea in uiuum beneuolentia, & mortui nex publice ſuſcepta uobis proderit.* Dat. *quinto* Cal. Aug. *Anno ſecundo.* Roma.

Raphaello Vrbinati. 13

Cvm *præter picturæ artem, qua in arte te excellere omnes homines intelligunt, is a* Bramante *architecto etiam in conſtruendis ædibus es habitus, ut tibi ille recte* Principis *Apoſtolorum templi* Romani *a ſe incohati ædificationem cõmitti poſſe moriens exiſtimauerit; idq; tu nobis forma eius templi confecta, quæ deſiderabatur, totiusq; operis ratione tradita docte atque abunde probaueris:* Nos; *quibus nihil eſt prope antiquius, quàm ut phanũ id quã magnificentißime*

magnificentiſſime quàmq́; celerrime conſtruatur; te magiſtrum eius operis facimus cum ſtipẽdio numum aureorum trecentorum tibi annis ſingulis curandorum a noſtris pecuniarum, quæ ad eius phani ædificationem erogantur ad nosq́; perferuntur, Ma*giſtris: a quibus id ſtipendium æquis pro tempore portionibus dari tibi cum petieris ſine mora etiam menſibus ſingulis iubeo.* Te *uero hortor; ut huius muneris curam ita ſuſcipias; ut in eo exercendo cum exiſtimationis tuæ ac nominis; quorum quidem in iuuenili ætate bona fundamenta iacere te oportet; tum ſpei de te noſtræ paternæq́; in te beneuolentiæ; demũ etiam phani, quod in toto orbe terrarum longe omnium maximum atque ſanctiſſimum ſemper fuit, dignitatis & celebritatis, & in ipſum* Prin*cipem* Apo*ſtolorum debitæ a nobis pietatis rationem habuiſſe uideare.* Dat. Cal. Aug. Anno *ſecundo.* Roma.

Legato Auinionenſi. 14

ANTONIVM *Thebaldeum probum hominem, atq; in bonarum artium in primisq́; poëtices ſtudijs tum noſtra, tum latina lingua facile præſtãtem uirum multos iam annos unice diligo.* Cui *cum portorij munus, quod in ponte* Sorgiæ Fluminis *eſt* Auinionen*ſis diocœſeos* Legationis *tuæ, conferri cupiam; ut eo ſeſe alere ac ſuſtentare liberaliter poſſit; peto abs te uelis, ut homo egregius & excellens & mihi*

mihi ualde charus eo munere per nos te libente affi=ciatur. Dat. Nonis Aug. *Anno ſecundo*. Romæ.

Regi Britanniæ. 15

HADRIANVM *Bardum ciuem Florentinum Tami plebanum propter plurimas ipſius uirtutes eamq́; neceßitudinem, quàm cum domo mea ueterem atque arctam habet, ualde diligo. Quem cum intel=ligam in Regno tuo triginta prope annos innocenter fuiſſe uerſatum; commendo tibi eum ſane perdili=genter. Quicquid in illum beneficij liberalitatisq́; contuleris; id tam nobis erit gratum, quàm quod gratißimū.* Dat. VIII.Id. Aug. *Anno* II. Romæ.

Laurentio Medici fratris filio. 16

ET *ſi ex aliorum litteris de Conſulatu Conſtã=tinopolitano Zenobio Medici tradendo mentem meã cognoſcere potuiſti: te tamen meis etiam litteris putaui eſſe commonefaciendum; dares operam, ef=ficeresq́; auctoritate tua & gratia, Magiſtratum ut illum Zenobius ab iſta Rep. conſequeretur.* Valde *enim cupio, ne propinquus noſter ea in re ferendis ſuffragijs præteretur uel propterea, quod augeri illum omnibus in rebus ſane uolo; uel maxime, quod Zenobium ipſum ei muneri fore idoneum uehemen=ter exiſtimo.* Dat. *ſeptimo* Id. Aug. *Anno ſecundo*. Romæ.

Ioanni & Gentili Saxatellis Forocorneliẽſibus. 17

MVLTI ad me *ſcribunt; rumor etiam ipſe quaſi me admonet; Bentiuolos fratres modis omnibus dare operam, ut in patriam ui redire, Bononiæq; ſtatum perturbare atque peruertere poßint; eisq; uos auxilio in primis futuros. Quod utrunque tum pro illorum, tum etiam pro ueſtro in me cultu, noſtraq; in illos atque uos paterna uoluntate & charitate credere nullo pacto poſſum. Quid eſt enim minus hominis, quàm hominum bene uiuentium conuentus & ſocietates conſtitutas diripere; eisq; uim afferre conari? nédum id etiam amicorum & neceſſariorum hominum munus eſſe atque cogitatio credatur. Vtcunque autem ſe res habet, mando uobis ea lege, quæ de maieſtate eſt, non id modo, ut a Bentiuolis ulla in re iuuandis in eorum ad patriam reditu prorſus abſtineatis; quanquàm id quidem maxime: ſed etiam ut illos modis omnibus ab ea cogitatione reuocetis; operamq; ueſtram omnem, curam, diligentiam adhibeatis; ne facere, aut etiam tentare id omnino poßint.* Dat. Prid. Id. Aug. Anno *ſecundo.* Roma.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 18

NON *unis optimorum hominum & prudentium uirorum litteris certior factus ſum, reditum in patriam*

in patriam a Bentiuolis fratribus ui atque armis pa-rari; exiſtimariq́; a multis, uel iam plane ſermone hominum confirmari, eis te auxilio futurũ, opesq́; tuas ſubminiſtraturum, ut id facilius conſequi atque conficere poßint. Quæ ſane res mihi quidem; qui te atque illos amo, deq́; utrisque ut bene meritus eſſem etiam laboraui; omnino uerißimilis non ſit. Neque enim uel illis eſſe obſcurum poteſt, me id non laturum, ſed ei rei modis omnibus occurſurum: uel tu is es; qui ſis neſcius; quiq́; non offenſionem in me tuam damnoſiorem tibi, quàm Bentiuolorum in patriam reditum fore uſui exiſtimes. Verum enimuero, quoquo modo ea ſe habeant; te etiam atque etiam hortor, planeq́; commonefacio; ut ſi illi ad reditum ui comparandum animum adiecerunt; non oratione modo eos tua, uel auctoritate ſententiæ abſterreas ab eiuſmodi conſilijs ſuſcipiendis; ſed etiam quibuſcunque rebus potes; potes autem & plurimis & maximis; prohibeas, ne rem aggrediantur: ſed quieſcant; ſeq́; contineant; neque pergant eò progredi, unde ſciunt reditum nullum eſſe. Id ſi feceris; & ipſis optime conſulueris; & mihi tam fuerit gratum, quàm eſſet moleſtum, ſi te adiutorem & ſocium meorum hoſtium atq; rebellium præſtitiſſes. Dat. Prid. Id. Aug. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

x L uiris

x l uiris Bononienſibus. 19

Ex ueſtris ad Virgilium Legatum Veſtrum litteris intellexi; quæ ad me deferri curauiſtis, argumenta coniecturasq́; quibus in eam ſententiam adducti eſtis, ut credatis tentari a Bentiuolis fratribus multa; armatorumq́; hominum manum ab eis cogi; ut redire in patriam ui, iſtiusq́; ciuitatis ſtatum atq; otium perturbare atq́; peruertere poßint. Itaq; auxilia contra illorum conatus poſtulatis. Quæ autem per uoſmet ipſos parari atq; effici poterant; ea uos comparauiſſe iam omnia, ſuisq́; diſpoſuiſſe ſingula & collocauiſſe locis adſcribitis. Quibus de rebus omnibus ſtudium, cura, diligentiaq́; mihi ueſtra uehemēter probatur: fidemq́; ueſtram facimus certe plurimi. Nam quod ad præſentem ueſtrarum rerum formam attinet; etſi exiſtimem tum Bentiuolos, tum etiam reliquos, quos commemoratis, nihil tale cogitare: ne uereri tamen queatis iſtius urbis otium et tranquillitatem mihi minori, quàm profecto debeat, curæ ſollicitudiniq́; eſſe: primum quidem Alphonſo Duci Ferrarienſium & Ioanni ac Gentili Saxatellis fratribus interminatus ſum per litteras; ne manum ullam, néue auxilium ueſtris exulibus mitterent: ſed eos modis omnibus prohiberent; ne conuellere ciuitatis ueſtræ ſtatum molirentur: quod eos facturos ſane confido. Idem etiam Guido Rangoni ſcriptis ad eum litteris mandaui: neq; uereor, quin ipſe quoq;

nobis ſit, uti debet, potius, quàm illis ſatisfacturus. Laurentium deinde Medicem fratris mei filium commonefeci; ut ſi uos Epiſcopúsue Polæ Bononiæ Magiſtratus opem ab eo Req; pub. Florentina petitum miſeritis; rebus uobis omnibus præſto ſit ſine ulla mora. Quod, ſi erit opus, facietis; atq; ad illum, tanquàm ad me mittetis. Nam is propterea, quod uobis eſt uicinus, facile iuuare uos atq; celeriter poterit. Quod ſi maiore auxilio eſſe uobis opus exiſtimabitis, meq; de eo certiorem facietis; copiæ noſtræ omnes ad uos tuendos defendendosq; mittentur: ſic enim maxime Reip. noſtraq; dignitas retinebitur. Vos autem ſingulis de rebus, quæ iſthic agētur, diligentiſſime ad nos, ut adhuc quidem feciſtis, litteras dabitis; ut uobis in tempore opitulari, cum initia rerum cognoro, facilius & exploratius poſſim. Dat. Id. Aug. MDXIIII. Anno ſecundo. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro. 20

ET *ſi exploratum nobis erat pro tuo fraterno amore ac pietate triſtem te nuncium accepturum, cum intelligeres Cardinalem Finarium fratrem tuū mortem obiiſſe: uolui tamen, ut de eo meis litteris fieres certior; ut cognoſceres te atque tuos tuáq; omnia paternæ mihi curæ, uti debent, fuiſſe. Quem ſane uirum cum propter plurimas eius eximiáſque uirtutes & diligerem, ut fratrem; & magno eſſe*

uſui

uſui in Reip. *adminiſtratione uiderem; quantum mihi moleſtiæ, quantum mœroris eius mors attulerit; exiſtimare facile ipſe per te potes.* Ego *quidem certe ſic exiſtimo; multum in eo uiro ſplendoris & præſidij* Remp.*amiſiſſe.*Noſtri *uero in ipſum amoris et beneuolẽtiæ teſtimonium id ſupremum fuit; quod omnibus profecto in rebus; quas impetrare a me uoluit, ut benefaceret ſuis; ei petenti ſatisfeci.*Ipſe *autem ita fortiter temperateq́; deceßit; ut credi par ſit,* DEVM Opt. Max.*ex hoc impuro lachrymabiliq́; hoſpitio ad cœleſtis illum patriæ iocũdißimam beatißimamq́; ſedem euocare atq; traducere uoluiſſe.* Nihil *enim eorum, quæ ad ſanctißime decedentes pertinent, prætermiſit.* Quæ *cum ita ſint; te hortor, ut eam iacturam æquo & erecto animo feras: ut uirum magnum, & ætate iam deuexa,& terrena omnia infra ſe habentem & cõtemnentem decet.*Ego *autem; ſi quid in eo ſolatij tibi eſſe poterit; polliceor tibi atque recipio, me omnibus in rebus, quæ ad te dignitatemq́; tuam pertinebunt, fratris tui clariß.[mi] uiri amoriſq́; eius erga te partes atq; munera ſubiturum, libentißimeq́; repræſentaturum & præſtaturum.* Tu *modo ad rem* Chriſtianam *iuuandam, tuaq́; cura & diligentia, ut ſoles, amplificandam a luctu atque mœrore te auoca.* Erit *id & te dignum, & tuæ anteactæ uitæ proprium, & mihi gratum & optatum.* Dat. XIII. Cal. Aug. MDXIIII. *Anno ſecundo.* Roma.

Laurentio Medici fratris filio. 21

SIGNIFICAVIT mihi Matthæus Cominus Montisferetrianus, ſe bona ſua nondum recuperauiſſe. Quod mihi quidem fuit ſane moleſtum: qui homini nobis familiæq; noſtræ in primis dedito ſatisfieri ualde cupio. Quamobrem uolo des operam; ut is in priſtinas ſuas fortunas omnes ſine mora ſinéque diſpendio reponatur. Præterea quoniam per ſuprasyndicos Cortinarum Aretij propediem creãdus eſt is, qui Camerariatus et Maſſariatus muneri præſit: erit mihi pergratum; ſi abs te curabitur, ut Matthæus ipſe a ſupraſyndicis Aretinis legatur, qui eum magiſtratum gerat. Dat. XII. Cal. Aug. Anno ſecundo. Romæ.

Franciſco Marchioni Mantuæ. 22

QVONIAM ad ſacra conficienda preceſq; diuinas celebrandas cantore mihi opus eſt, qui grauiori uoce concinat: uelim, ſi tibi incommodum non eſt, ut ad me Michaëlem Lucenſem cantorem tuum mittas: ut eo noſtris in ſacris atq; templo; quod eſt omnium celeberrimum atque ſanctiſſimum, communemq; totius orbis terrarum pietatem & lætitiam continet; uti poſſim. Dat. tertio Cal. Aug. Anno ſecundo. Romæ.

Alphonſo

Alphonſo Cardinali Senenſi. 23

SCRIPSIT ad te Iulius Medices Cardinalis meis uerbis, uelles ad me mittere eum puerum, quem habes Gallum Muſicæ artis peritum. Ex iis enim, quos e Gallia accerſiui, unus atq; is quidem, qui peritior erat uoculaq; blandiore ac flexibiliore præditus, mortem obiit. Eas litteras cum tibi arbitrer redditas non fuiſſe: nihil enim ad illas adhuc quidem reſpondiſti: has ad te alteras litteras dare uolui; quibus itẽ te hortarer; uelles de puero illo ſacris noſtris commodare: quibus in ſacris tu quoque, cum huc ueneris, pium honeſtumq; oblectamentum capies. Dat. Prid. Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 24

INTELLEXIMVS te in recenti eorum Ceſenæ oppidi ciuium tumultu; quibus priora delicta peperceramus; quiq; nobis fidem apud te dederant ſe pacta ſeruaturos, pacemq; non uiolaturos; opportune prudenterq; curaſſe, ne malum ſerpere ulterius poſſet firmata tuo præſidio ciuitate, miſsisq; illò, qui eam regerẽt; cum eius te re arbitrum feciſſemus. Quæ nobis omnia magnopere probantur. Mando autem tibi; ut in eos, qui pacta quiq; fidem nõ præſtiterunt, animaduertas; quemadmodum tibi æquum eſſe atq; opportunum uidebitur: ut cæteri; qui fidem

nobis ſuam uel iam dederũt, uel daturi poſthac ſunt; eam fallere minus audeant. Facieſq; *nos de eo, quod egeris atq; ſtatueris, quàm diligentiſsime certiores.* Dat. Prid. Cal. Aug. *Anno ſecundo.* Roma.

Internuncijs apud Regem Hiſpaniarum noſtris. 25

EXEMPLVM *litterarum, quas ad* Ferdinandum Regem *dedimus, habebitis cum his litteris: ex quo quàm mihi gratum futurum ſit; ut cum Geuenſis* Eccleſiæ Epiſcopus *defecerit; uelit ut eam* Gabrieli Archiepiſcopo Barenſi *conferamus; facile cognoſcetis.* Itaq; *uolumus, ut omnem curam diligentiamq; adhibeatis; ut ab ipſo* Rege id, *quod uolumus, conſequamur.* Dat. *quarto* Non. *Septemb.* MDXIIII. *Anno ſecundo.* Roma.

Ferdinando Hiſpaniarum Regi. 26

IOANNIS *Scotti; cuius fides & induſtria pro re* Romana *tuiſq; rebus egregia atq; mirifica bellis* Italicis *extitit; controuerſiam, quam habet cum iјs, à quibus res eius domeſtica retinetur atq; diripitur; commendo tibi maiorem in modum: petoq; abs te; ut eius cauſam cum ueterem, tum aduerſariorum artibus conturbatam explices: fautoremq; te homini forti atque prudenti præbeas.* Erit *mihi ſane quàm gratum.* Dat. Prid. Non. Sept. *Anno ſec.* Roma.

Leonardo

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 27

CONQVESTI apud me ſunt Legati Maximiliani Romanorũ Imperatoris deſig. multis & quotidianis prope querelis; Ioannem Paulum Balionem, dum is ueſtri exercitus Præfectum ageret, captum ab Hiſpano exercitu, poſtea fide data reuertendi cum iuberetur nobis petentibus dimiſſum; demum redire ſæpius iuſſum nunquàm uiæ ſe dediſſe. Quàm rem ægre moleſteq; ferre Maximilianum, ſeq; deluſum exiſtimare, ijdem mihi ſæpe Legati ſignificauerunt. Quibus cum bona ſemper uerba dediſſemus; proxime mecum egerunt longa conſtantiq; oratione; ut uel ipſum Io. Paulum ad Hiſpanorum exercitum, cuius eſt captiuus factus, remitterem: uel darem operam, ut tu Chriſtophorum Frigapanem Maximiliani exercitus item Præfectum captiuum tuum miſſum faceres illius loco: Earum rerum alterutrã niſi breui tempore confeciſſem; Maximilianum graui ſe a me affectum iniuria, irriſuiq; habitum, exiſtimaturum. Quamobrem ut ipſe uel promiſſi mei onere, uel expoſtulationis eorum moleſtia aliquando tandem ſubleuer; peto abs te etiam atq; etiam; ut quẽadmodum Maximilianus meo rogatu Ioanni Paulo Romam uenĩedi poteſtatem fecit; ita tu quoq; Chriſtophoro ſe ad nos conferendi poteſtatem facias fide ab eo accepta, ſe Roma me nolente non diſceſſurum, neq; contra te hoc toto bello arma ſumpturum. Id ſi

feceris; & me magna moleſtia liberaueris; & te illis æquũ & iuſtũ præſtiteris, qui fidem meã adhuc quidẽ deſiderant; ego uero illius quidẽ certe, ſed me hercule etiam tuam. De eo cum Legati tui *ſcriba ſum loquutus: is ad te ſermonem meum perſcribet.* Dat. *ſexto* Id. *Septemb.* Anno *ſecundo.* Roma.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 28

IACOBVM *Sadoletum ciuem tuum; cuius egregia & fideli opera ſcribendis epiſtolis quotidie utor; ob eius excellens atque præclarum ingenium, optimarumq́; artium ſingularem doctrinam, et præſtantem omni uirtutum genere animum magnopere amo; facioq́; ſane plurimi.* Eius *ſororis uir* Tadeus *Gilinus cupit impetrare abs te magiſtratum aliquẽ tuis in locis, quem triennium aut biennium exerceat: ut & honeſtius eos dies traducere, & familiam ſuã alere facilius atque commodius poſſit.* Itaque *te non ſolum hortor, ſed etiam rogo, uelis præclari hominis mihiq́; chariſſimi propinquo pudenti, ut intelligo, uiro & uirtute prædito ſatisfacere: qui tamen rem omnem deſideriumq́; ſuum tibi coram ipſemet diligentius explicabit.* Dat. *quinto* Id. *Sept.* Anno *ſecundo.* Roma.

Ludouico

Ludouico Gallorum Regi. 29

ET ſi te antea certiorem feci; me tum ad monaſteria, tum etiam ad Eccleſiam Caturcenſem, quorum & poſſeſſor & Epiſcopus Cardinalis Finarius mortem Romæ obierat, Ludouicum Carretum demortui propinquum & Franciſcum Fliſcum Cardinalem ſublegiſſe: hortatuſq; te ſum, uelles diplomata eis conficere; quibus ſignificares ea, quæ ſtatueram, probari abs te, atque ita fieri tibi placere: te tamen his etiam litteris commonefaciendum putaui; ne rem differres longius; néue in eo te duriorem & difficiliorē præberes; quàm uel meus erga te amor; uel optimi hominis tibi plane dediti, atque duorum alterius uiui, alterius nuper mortui Cardinaliū egregia atque illuſtria in te multorum annorum officia ſtudia labores etiam poſtularent. Dat. XVII. Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.

Ludouico Gallorum Regi. 30

PETRVM Nauarrum Cantabrum præſtantem in rebus bellicis uirum captiuum tuum; cuius res fortiter & præclare geſtas pro Rep. Chriſtiana egregiamq; in nos fidem & pietatem tibi notas eſſe arbitror; ualde amo: eiúsque incolumitas & ſalus mihi magnæ curæ eſt. Itaque quo maiore ſtudio poſſum, abs te peto, uelis eum aliquando tandem miſ-

ſum

ſum facere. *Qua de re* Ludouico Epiſcopo Tricari=cẽſi Legato *apud te meo per litteras*, & Ioanni Roca=caforti Legato *apud me tuo præſens ipſe mentẽ meã latius & diligentius explicui:ij ad te omnia deferẽt*. Dat. XII. Cal. Octob. Anno ſecundo. Romæ.

Petro Nauarro Cantabro. 31

PROFICISCENTI *ad te* Ferrãdo, *qui eſt ex ſocietate* Franciſcinorum *minorum*, *familiari tuo dedi ad* Ludouicum Regem *litteras: quibus litte=ris peto ab illo, te ut miſſum faciat, quod eum fa=cturum pro mea in illum uoluntate & beneuolentia ſane puto*. Itaq; *hæc ut ſcires uolui; tum ut bono a=nimo eſſes, confidereſq; me nulla in re, quæ ad ſalutẽ libertatemq; tuam pertineret, negligentem fore. Quod etiam plenius & uberius ex ipſo* Ferrãdo *co=gnoſces*. Dat. XII. Cal. Octob. Anno ſecundo. Romæ.

Municipio Firmano. 32

MAGNA *cum moleſtia percepi* Ioannẽ Fran=ciſcum Aſtuldi *filium* Aſculanum *ingẽti armatorum hominum manu ueſtro in oppido cõparata res* Aſcu=lanorum *perturbare aggreſſum fuiſſe; perductiſq; ad oppidi muros ijs militibus, quos coëgerat, pene=trare oppidum hoſtilibus adortum modis multũ tur=barum excitauiſſe; magnumq; terrorem oppidanis incuſſiſſe*.

incuſsiſſe. Quæ res cum indigniſsima ſit, quæ nobis ferenda uideatur; præſertim cum certior factus ſim Ioannis Franciſci profectioni uos ipſos fauiſſe, propterea quod is multos tum ex ijs militibus, qui tuendi iſtius oppidi cauſa apud uos merent; tum uero etiã ex ueſtris municipibus ſecum habuerit: mando uobis atq; impero, pœna decem milium numum aureorum propoſita, ſi dicto audientes non eritis; ut impetum poſthac a ueſtris hominibus quoquo modo in res & fortunas Aſculanorum eiusq; municipij temperamentum fieri ne permittatis; néue ueſtrum in oppidum Ioannem Frãciſcum Aſtuldi filium, aut ullos ex Aſculanis exulibus recipiatis: ſed eos uniuerſos ex municipio agróq; ueſtro, quoad fieri per uos poſsit, celeriter expellatis. Id ſi feceritis; harum turbarum, quibus alimenta præbuiſtis, admiſsiq; ueſtri culpa ne uobis fraudi ſit ſtatuendi, uobisq; ignoſcendi occaſio mihi aliqua fortaſſe parabitur. Sin mandata noſtra deſpexeritis; dabimus profecto operam; ne id impune feciſſe uos gloriari ullos apud homines uobis liceat. Dat. XII. Cal. Octob. Anno ſecundo. Romæ.

Heluetijs. 33

PROFICISCENTI *ad uos Ennio Epiſcopo Verulano Legato meo mandaui ut uobis plurimam ſalutem impartiret meis uerbis; uosq; magnopere laudaret de ueſtra in me obſeruantia, deq; ea cura*

ea cura & ſtudio, quod pro noſtra & Reip. dignitate maieſtateq; tuenda & geritis quidē nunc, & ſemper geſsiſtis: Hortaretur autem etiam amantiſsime; ut poſthac quoq; quo ea, quæ adhuc quidem feciſtis, conſilio, non temere feciſſe uideamini; uiam quā inſtitiſtis, in ea eodem paſſu pergeretis iter facere; talesq; uos omni tempore præſtaretis, quales & ipſa Reſp. experta non ſemel eſt; & ego, qui uirtutē ueſtram atq; conſtantiam noui, uehementer fore cōfido. Quæ præter hæc ſcire uos atq; cognoſcere uolui; ea uobis Ennius exponet. Me ſi ueſtri eſſe nominis amantiſsimum exiſtimabitis; non fallam ueſtram opinionem. Sexto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.

Heluetijs. 34

Ea; quæ in cauſa Eleutherij Ruſchi Lurcani Comitis ex nouem pagorū ſententia pro iuſtitia ſtatuiſtis; & laudabilia profecto ſunt, & nos de ijs ipſi ueſtrum ſane iudicium collaudamus. Hortamur autem uos; ut quæ etiamnum reſtant, ut res ad exitum perducatur; ea conficiatis; hominisq; bene de uobis meriti iurium in eo, quod eſt reliquū, quemadmodum adhuc quidem feciſtis; rationem habeatis. Erit id mihi admodum gratum: quod etiam Ennius Epiſcopus Verulanus Legatus meus uobis latius atq; apertius ſignificabit. Dat. quinto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.

Marco

Marco Cardinali Seduno. 35

CVM Ennius Epiſcopus Verulanus Legatus meus iſthuc proficiſceretur; ei mandaui, ut tibi ſalutem adnunciaret; oſtenderetq́; tuum ſtudium, curam, diligentiam, laborem; quem mihi Reiq́; pub. impendis; eſſe gratiſsimum, eaq́; omnia ut bene poſuiſſe te ſentias, me effecturum. Is alia etiam nonnulla, quæ te ſcire uolo, tibi ſignificabit: Valebis igitur: nosq́; diliges. Dat. ſexto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 36

EGO uero & magnopere te amo; & tibi omnibus in rebus, quod cum Dei Opt. Max. uoluntate fieri poßit, ſatisfacere ualde cupio. Itaque Latinum Iuuenalem familiarem meum ad te mitto; ut is Herculem filium tuum ſacro chriſmate perungēdum meo nomine teneat, eiq́; adſit: quod te & Lucretiā Ducem eius matrem uxorem tuam maxime cupere mihi ſignificauiſti. Qui quidem puer DEVM oro, ut patri ſit quàm ſimillimus; uel etiam te ut uirtute facile uincat atque ſuperet. Ego in eum amore atque beneuolentia parentis uicem ſecūdum te atque illam me præſtaturum polliceor: cui ſuauiolum dabis & matri ſalutem dices. Dat. quarto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.

Sebaſtiano

Sebaſtiano Ferrerio, Quæſtori Regio Galliæ Ciſalpinæ. 37

INSVLAM *& hortos, quos Romæ in Quirinali habes, emere de te ualde cupio. Itaque peto abs te, quod ſine tuo incommodo fiat, eos mihi uti uendas, quanti ipſi tibi uidebitur. Neque enim uel te puto pluris poſtulaturum; quàm poſceres, ſi uulgo uenirent: uel ipſe minoris cogito. Dat. quarto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.*

Cardinali Alberto Gallo. 38

AMORE *& beneuolentia, qua te fraterne proſequor, tuaq; ualetudine me impellente has ad te litteras dedi: quibus litteris, quemadmodum Iulius Secundus Pont. Max. tibi extra Italiam commorandi poteſtatem fecit; ita & ipſe; ut in Gallia morã ducere ſaluis legibus poſſes, tibi permiſi; quoad aliter ſtatuerem. Quod tamen ipſum non fiet, niſi cõmodo tuo: tibi enim ualetudiniq; tuæ conſultum iri maxime cupio. Quarto Cal. Octob. Anno ſecundo. Roma.*

Iano Parrhaſio. 39

CVM *id magnopere optem, ut Romanus litterarum ludus a præſtantiſsimis doctoribus exerceatur;*

tur; ut ij, qui ſe bonis artibus dediderunt, ea ex re fructus uberrimos percipiant: de tua in ſtudijs mitioribus doctrina certior factus ad ea publice docẽda Romæ *te ſublegi; ſtipemq́; tibi dari iuſsi annis ſingulis ducentorum aureorum numum.* Q*uare uolo ut ad urbem quàm primum uenias: libenti enim te animo atq; paterno uidebo.* Dat. *tertio* Cal. Octob. *Anno ſecundo.* Roma.

Claſsis Præfecto. 40

M A N D O *tibi, ut* Ioannem Roccafortem *Ludouici* Gallorum Regis Legatum *nauibus lõgis, quibus præes,* Maſsiliam, *aut quem ad* Prouinciæ *locum ipſe uoluerit, peruehas; cum primum nauigãdi tempeſtas idonea erit.* Nam *quoniam is infirma admodum & ualetudine eſt & uiribus; ualde cupio, ut tranquillo nauiget mari.* Dat. Prid. Cal. Octob. Anno *ſecũdo.* Roma.

Dauidi Regi Abiſsinorum. 41

P R O F I C I S C E N T I *ad te* Andreæ Corſalo *ciui* Florentino *mandaui, ut tibi meis uerbis plurimam ſalutem diceret; certioremq́; te faceret, pro tua in nos obſeruantia, & pro ardore tuo atque cultu in* Chriſtianam Remp. *mirifico propeq́; ſingulari, & amari te a me ſummopere, & fieri ſane plurimi.* Q*uod etiam bis ad te litteris perferri uolui; ut te*

hortarer,

hortarer, ut in iſtis remotiſsimis a Romana Eccleſia regionibus DEI Dominiq; noſtri IESV CHRISTI nomen atque gloriam, quantum poſſes maxime, propagares & extenderes. poteris autem; ſi in eo curam atque animum intendes tuum; ſemper quidem plurimum. Ipſe etiam Dominus: quē colueris; cuiq; gratum te earum, quas ab ipſo poſſides, maximarum fortunarum atq; memorem præſtiteris; te fouebit, adiuuabit, prouehet. Cæterum Andream ipſum honeſtum ſane uirum, & induſtriū hominem, & ciuem meum, & mihi ualde gratum commendo tibi maiorem in modum. Dat. ſexto Id. Octob. Anno ſecundo. Romæ.

Octauiano Genuenſium Duci, & Federico Archiepiſcopo Salernitanorum fratribus. 42

AMOR erga uos meus prope ſingularis; quem quidem uos plurimis ueſtris maximisq; uirtutibus & egregia perq; ueteri pietate fidelibusq; officijs excitauiſtis; efficit; ut tametſi de commodis ornamentisq; ueſtris ſæpe cogitem, mihi tamen quotidie magis magisq; eſſe cogitandum putem. Sed cum hoc tempore multa eſſent, quæ ad uos perferri magnopere cuperem; Auguſtinum Folietam municipē ueſtrum, familiarem meum; cuius mirificam probitatem atque uirtutem & eximiam ac prope incomparabilem in tractandis rebus conſiliorum prudentiam propenſumq; in uos ſtudium ſatis cognitū habebam;

bebam; miſi ad uos cum mandatis: ut is uos de rebus omnibus doceret. Dat. Prid. Non. Octob. Anno *ſecundo.* Roſilione.

Ludouico Regi Gallorum. 43

ARCHIEPISCOPVM *Burgenſem; quem ad nos cum mandatis miſiſti; & ipſum libenter uidi: eſt enim mihi & cognitus & probatus; & tuas litteras legi diligenter.* Ex *ijs atque* Archiepiſcopi *ſermone tuam in nos egregiam propenſionem mirificamq; uoluntatem abunde cognoui.* De *quo tametſi non ſemel neque unis* Internuncijs, *ſed multiplicibus & auctoribus & litteris certiores facti ſumus: eſt illud tamen nobis, ut ueriſsime dicam, magnopere ſemper gratum.* Eandem *enim tuam illam erga me beneuolentiam; quam quidem, ut debeo, facio plurimi; uel augeri repetitione teſtificationis tuæ, uel magis magisq; confirmari quotidie puto.* De *noſtro uero in te dignitatem amplitudinemq; tuam paterno ſenſu atq; animo; quanquàm nihil eius latere te exiſtimo; multa ſum tamen cum* Archiepiſcopo *loquutus.* Ea *te ab ipſo cognoſcere malo, quàm ex meis litteris.* Quem *quoniam mihi commendas; dabo operam, ut extet fructus commendationis tuæ.* Dat. IIII. Id. Octob. Anno *ſecundo.* Viterbio.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 44

ET legi tuas litteras; & Horatium Floridum Internuncium tuum libenter audiui; excuſationemq́; tuam accepi libentiſſime. Equidem is ſum; qui te cũ amicorum copia, tum reliquis opibus & præſidijs cupio eſſe quàm munitiſſimum: neminiq́; in te amãdo atque amplificando cedimus. Eoq́; te impenſius decet & noſtræ dignitatis & Reip. maieſtatis atque amplitudinis habere rationem. Verum de ijs deque reliquis rebus, quas te ſcire magnopere uolo, ab eodem Horatio intelliges: cui mandaui, ut ſermonem, quem cum ipſo habui, curaret ad te quàm celerrime perferendum. Dat. tertio Id. Octob. Anno ſecundo. Viterbio.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER DECIMVS.

Ioanni Neroni ciui Florentino. 1

CVM *ſtatutũ nobis ſit a curis atque laboribus, quibus aſsidue pro* Chriſtiana Rep. *nobis credita regenda atque adminiſtranda diſtinemur, auocare interdum nos ijs animi remiſsionibus, quæ aucupij & uenationis ſtudio continentur, propterea quod eiuſmodi per agros atque ſaltus peruagatio, dum in equis ſumus, ad ualetudinem uiresq́; corporis firmandas plurimum ualet; mediciq́; noſtri nobis magnopere ſuadent, ut eo motus & uectationis genere quàm creberrime utamur: moleſtum admodum nobis eſt id, quod ad nos multi perferunt; quicquid agri atque ſyluarum intra uigeſimum ab urbe lapidem quoquo uerſus iacet, ita temere uulgóque a uenatoribus aucupibusq́; frequentari; ut omni auium & ferarum genere, quarum copia eſſe maxima conſueuerat, magis magisq́; in dies ſingulos exhauriatur ſic profecto, ut earum breui tempore magna* Romæ *caritas, magna in a-*

gris inopia uideatur futura. Quamobrẽ cupiẽti mihi ne priuatorum hominũ maximeq́; uel lucri cauſa, uel quod nullam rem aliam gerunt, aucupio & uenatui ſe dedentium libidine meus & fratrum meorũ E. R. *Cardinalium, qui unà mecum ad Reip. gubernacula uigiliam exercent, eiuſmodi ſiue uſus ſiue uoluptas impediatur; uiſum eſt eius te rei miniſtrũ facere; cuius mihi & induſtria & diligentia & quidem certe probitas atq; prudentia probantur. Itaque mando tibi; ut eius tantummodo agri, qui ad decimum a porta Vaticana uillaq́; noſtra Manliana atq; ab Hoſtia totoq́; a Tiberi lapidem intra uiam Caßiã & maris littora pertinet; ſaltus ſyluasq́; omnes cuſtodias: curesq́; diligenter, ager ut is atque tractus ab incolis, ab exteris, a peregrinis, a ciuibus, denique ullis ab hominibus aucupij aut uenationis exercendæ cauſa ne adeatur: præter eos, qui auiculas uiſco & noctua capiunt. Quod ut facere commodius poßis; uolo ut tibi facultas ſit & armatos homines, quo uolueris, intra illos fines mittendi: qui retium & caßium genus omne, quod in agris atque ſyluis comportatum repererint; uenabula omnia, canem uel ad indagandas, uel ad conſequendas capiendasq́; feras idoneum, accipitrem, aquilam manu aſſuetam intercipiant: & illos, ſiue domini ſiue ſerui ſint, quos cum ijs aucupio aut uenatui operã dantes offenderint, mulctandi, quemadmodum tibi æquum & iuſtum uidebitur pro captarum uolucrum aut ferarum uaſtatarum modo. Quas quidem mulctas tibi omnes*

bi omnes remittimus, uolumusq́; tuas eſſe. Confidimus enim te in eo non tuorum commodorum aut plane lucri cuiuſpiam, ſed tantummodo noſtræ uoluntatis rationem habiturum. Volumus autem, ut cum Roma *exire nobis licebit, atque per illa, quæ dixi, loca iter facere; non ipſi modo nos, ſed* Cardinales *etiam, qui nobiſcum erunt, atque adeo multo magis, cohorsq́; noſtra omnis, & confirmare ſe aucupij & uenationis ſtudio, & exhilarare uoluptate poſſit.* Dat. Non. Octobr. *Anno ſecundo.* Viterbio.

Ludouico *Canoſſæ* Epiſc.° Tricaricenſiū Legato 2

P E T R V M *Nauarrum* Cantabrum Ludouico Gallorum Regi *per litteras perq́; eius* Legatum cōmendaui *ſane quàm diligenter.* Amo *enim magnopere hominem propter eius ſpectatam uirtutem; quod te non latet: cupioq́; ut eum* Rex *captiuum e cuſtodia, in qua prope triennium confecit, ad libertatem reſtituat, miſſumq́; faciat rogatu meo.* Eā *tu rem quanto maximo ſtudio & diligētia fieri poterit, ſi mihi uoles gratiſsimum optatiſsimumq́; facere, procurabis atq; cōficies, ita tamen, dum adhibeas in conſilium orationis tuæ lenitatē atq; prudentiam.* Dat. XII. Cal. Nouemb. *Anno ſecundo.* Cereuetere.

Vladislao Pannoniæ Regi. 3

Dedi *proximis diebus ad te litteras; quibus te de pace a* Ludouico Rege Gallorum *&* Henrico Rege Britanniæ *me auctore nuper inita certiorem feci*. Poſtea *uero & ex litteris* Thomæ Cardinalis Strigonienſis, *&* Franciſci Marſupini *eiuſdem* Cardinalis Internuncij *ſermone intellexi, te plurimis maximisq; bellorum ſumptibus iam prope exhauſtũ ad tuenda iſtius* Regni *uicina* Turcis *oppida ſolum atque a ſocijs deſtitutum, tuis tantummodo opibus & præſidijs idoneum hoc tempore non eſſe*. Itaque *rogare obſecrareq; nos; ut quoniam cum oppidorũ illorum conſeruatione tui etiam uniuerſi prope* Regni *ſalus incolumitasq; coniuncta eſt: uelimus tantum noſtræ opis tibi ſubminiſtrari; ut ea tueri atq; defendere poßis; ne* Chriſtianæ Reip. *hoſtes captis expugnatisq; ijs uires lacertosq; confirment atq; augeant; quibus, cum libuerit, in reliquas tui* Regni *partes, atque adeo in robur & pectus ipſum audacter utantur*. Habere *autem te loca & ditionẽ multis hominum milibus ad bellum aptißimorum refertißimam: ut ſi tibi ſtipendium ad eos alendos ſuppeditatum ſit; ualidißimum contra* Turcas *exercitum cogere atq; conficere facile poßis*. Itaq; *ſtatuamus, utrum* Regnum *iſtud per ſeſe firmißimum & populoſißimum gentibus inimicißimis proijcere ad ſeruitutem & ludibrium uelimus: an pro re facul-*

tatibusq;

tatibusq́; noſtris dare operam, ne hoſtes eo noſtri potiantur. Quas ad tuas poſtulationes tibi reſpondeo, Primum quidem, pro mea in te genteſq́; tuas charitate, proq́; Reip. dignitate, te tuoſq́; populos, Regnumq́; iſtud omne mihi magnæ curæ eſſe: Deinde uerſare me noctes atque dies animo non tuã modo ſalutem & incolumitatem tuam, quæ mihi chariſſima eſt; ſed etiã de amplitudine tua deq́; gloria ſæpiſſime cogitare; quoq́; te pacto iuuem, curamq́; adhibeam; ut in bello, quod tibi a Turcis nũquàm non imminet, adminiſtrãdo ipſe te poſſis apud DEVM quidem primum, deinde apud omnes homines commendare quàm maximis quamq́; pulcherrimis uirtutis atque gloriæ monumentis. Quamobrẽ ſi iuſtum exercitum conficere, atque in Turcas impetum facere ſtatueris, bellumq́; ſic adminiſtrare, ut illuſtris aliqua in illos impreſſio expugnatioq́; oppidorum conſequatur; quinquies decies mille numũ aureorum me ad id erogaturum daturumq́; tibi ſpõdeo atque recipio. Sin uero id tantummodo conſilij ſuſcipies, ut tuta ab hoſtibus reddere tua illa propinqua Turcis oppida, de quibus ſcribis, tibi ſatis futurum putes: bis decies mille numum aureorum tibi præſto ut ſint, cum me commonefeceris, curabo. Itaq; excita exſuſcitaq́; te Vladislae fili præclaras ad actiones animi magnitudine atque conſtantia ſuſcipiendas: exemploq́; maiorum tuorum maximorum atq; ampliſſimorum Regum tibi propoſito, te cum ad tui Regni populorumq́; tuorum & gentium, tum

ad Chriſtianæ Reipub. *non ſolum propugnationem, ſed etiam amplificationem para. Quod cum feceris; ſtatutum habeas uelim, meas fortunas opesq́; omnes fore in tua poteſtate.* A DEO *autẽ* Opt. Max. *cuius cauſæ patrocinium hoc quidem tempore unus omnium maxime ſuſcipies, ſecundi tibi tuorum conatuum exitus euentusq́; proſperrimi ſunt expectãdi. Quibus de rebus omnibus multo ſum latius atq; uberius cum* Marſupino *loquutus: eiq́; mandaui, ut tibi ſingula perſcriberet.* Vale *igitur, nosq́; dilige.* Dat. XI. Cal. Octob. *Anno ſecundo.* Roma.

Thomæ Cardinali Strigonienſi. 4

EXEMPLUM *litterarum, quas* Vladislao Regi *ſcribimus, erit cum his litteris.* Ex eo *mentem erga illum meam plane perſpicies: quam tu etiam meis ad illum uerbis deferes, explicabisq́; ſingula & accuratius & prolixius.* Ac *te quidem ſcire uolo, nos nihil aliud ſingulis pene horis cogitare atque proſpicere; quàm ut pacem inter omnes* Chriſtianos Principes *conficiamus: eiq́; rei neq; ſtudio, neq; diligentia, neq; labore, neque certe ardore animi contentioneq́; deerimus.* Et *quoniam in eo id, quod uolebamus, a* Galliæ *atque* Britanniæ *Regibus iam conſequuti auctore* Domino *ſumus; cæterorum etiã* Regum & Principum *cõtrouerſias placandi et terminandi, animosq́; conſociandi confido eundem mihi* Dominum *uires et facultatem ſubminiſtraturum.*

Ac fieri

Ac fieri profecto poterit, ut ad id auctoritas atque prudẽtia Regis Poloniæ Vladiſlai Regis *fratris mihi magno uſui ſit futura. Quod cum erit; ſtatim te faciam per litteras certiorem: ut nauare in eo tu quoque operam mihi tuam poßis.* Atque *ea quidem, de qua loquor, pax atque concordia* DEVM Opt. *Max. oro & quæſo, ut ſuum ad exitum nobis uiuentibus perducatur: ut reliqua, quæ reſtant multo meo quidem iudicio opinione quàm re maiora, contra eius nominis hoſtes perpetuos communi omnium cõſenſu & uoluntate aliquando moliamur. Sed & hæc & alia; quæ in eum ſermonem conieci, quem quidem proxime habui cum* Franciſco *Marſupino procuratore tuo homine in primis diligente; ipſe ad te perſcribet: cui mandaui, ut tibi ſalutem adſcriberet.* Dat. XI. *Cal. Octob.* Anno *ſecundo.* Roma.

Maximiliano Imperatori *deſig.* 5

AVDITA *ea uictoria, quam ingentem & maximam* Turcarum Rex *Selinus contra Iſmaelem Sophim* Perſiæ Regem *de menſe* Auguſti *proſperrimo ſucceſſu eſt cõſequutus; fratribus meis* E.R. Car*dinalibus ſtatim adhibitis, diligentiq́; conſilio ea de re habito, uiſum eſt nobis ad omnes* Chriſtianos Re*ges eſſe litteras dandas: quibus litteris & eos certiores tanta de re faceremus; & hortaremur, ut imminenti uniuerſæ rei* Chriſtianæ *periculo communi conſenſu atque ſententia ire obuiam uellent. Quorum*

quidem

quidem Regum cum tu primus & dignitate & au-ſtoritate ſis; id mihi tecum primum atque potiſsimum eſſe agendum exiſtimaui. Itaque *exemplum Selini litterarum ad* Epidaurenſes, *quibus uictoriæ ſumma ſeriesq; continetur, ad te mitto: quo perlecto pro tua ſingulari prudentia facile perſpicies; auerſus a noſtris moribus atque ſacris homo efferus ab ineunte ætate bello exercitibusq; ductandis aſſuetus; qui ſe regnandi libidine contra patrem ſenem armauerit, eumq;* Regno *expulerit ad mortemq; cōpulerit; per fratrum & propinquorum aliam ſuper aliam coaceruatas cædes ad maximum orbis terrarū* Imperium *euectus, eo demum in* Aſia *Rege deuicto, cuius unius maxime opes atque potentiam uerebatur, eiusq;* Regno *capto, quid ſit facturus: cum illo integro ſuperſtitibusq; fratre atque fratris filio, qui ei dubium paterni auitiq;* Regni *ſceptrum faciebant, perturbare tamen nos exercitibus in* Pannoniam *miſsis oppidisq; aliquot ui captis anno proximo ſit aggreſſus.* Nemini *profecto dubium eſſe debet, qui modo recte minus etiam quàm mediocriter ſentiat; poſtea quàm is eum hoſtem perdomuit, a quo ſibi uno ab altero* Regni *ſui latere* Aſia *uidelicet ſuperiore eſſe timendum uidebat; quin ſit in illos, quos ad* Europam *habet, exercitum uictorem ſuum, omnesq; ſuas* Imperijq; *ſui uires, ipſamq; illam tot ſecūdis ſucceſsibus tam crebris tamq; illuſtribus uictorijs ſibi blandientem fortunam ſuam quàm celerrime conuerſurus: qui quidē & maiori odio illi ſunt pro-*

pter

pter alienam ſacrorum rationem totiusq; uitæ ſtu=
dia; & maiorem ei curam incutiunt propterea quod
nos multo ſe potentiores eſſe multoq; rebus omnibus
ad bellum terra mariq; adminiſtrandum paratiores
homo minime demens intelligit. Itaque primum om=
nium debilitare nos cogitat ea ſocietate, Pannoniãq;
ſuam facere: quæ tametſi eſt ipſa quidem per ſe fir=
mißima atque bellicoſißima; ſuſtinere tamen tantos
impetus una non poterit. Id cum fuerit aſſequutus;
quid erit amplius, quod illius animum ad te atq; nos
oppugnandos unum tantummodo diem cohercere at=
que continere poßit? Niſi forte, qui propinquis,
qui fratribus, qui parenti regnandi cupiditate non
pepercerit; eum uolumus credere a nobis unis, qui
& moribus illi & certe uoluntate hoſtes ſumus, ani=
mi facilitate atque adeo lenitudine temperaturum.
Huic tam præſenti malo atque periculo nobis reme=
dium medicinamq; adhibere ſedulo quærẽtibus unum
illud ſeſe offert multo ante iam a me & prouiſum,
& tibi reliquisq; Regibus & Principibus Chriſtia=
nis propoſitum: ut pace atque concordia inter illos
omnes teq; in primis tuosq; hoſtes conciliata, depo=
ſitisq; priuatis inimicitijs publice communiq; cõſen=
ſu hoſti uictori ac fortunæ dulcedine ebrio opes ui=
resq; noſtras omnes coniunctas atque cõſociatas op=
ponamus. Atque id quidem nos ſi ſæpe aliàs, ut di=
xi, & tibi & reliquis Regibus fruſtra & ſine ullo
uſu propoſuimus: eſt certe ea re tarditateq; noſtra
factum; ut idem Turca & antea non unos ſuos ho=
ſtes,

ſtes, & nunc Iſmaëlem ipſum, qui unus ei ex non Chriſtianis imminebat eratq; reliquus, debellare atque proterere, Imperijq́; ſui fines longe lateq; promouere, opesq́; ſuas multo & firmiores ad ſe defendendum, & ad nos aggrediendos explicatiores paratioresq; reddere ſane potuerit. Qui nobis rerum euentus quàm ſit formidabilis, nemo non uidet. Quod ſi nunc etiam non audiemur; aut potius ſi liberator noſter CHRISTVS, *qui uos per uicariũ ſuũ alloquitur, atque ad populos Remq; pub. ſuam tuẽdam impellit, non audietur; dicámne, an taceam? locus iam iamq; tot peccata noſtra corrigẽdi ſegnitiemq; ſarciẽdi nullus dabitur: unusq́; omnes exitus, una clades atque interitus manebit. Gliſcit nanque malum ſerpitq; in dies latius; & uires horis prope ſingulis ita ſumit; ut ſi paululum præterea præſtolabimur, ac noſmet ipſos, quemadmodum adhuc quidem fecimus, noſtris ipſorum uiribus conteremus; ſpes iam nobis auxilij atq; præſidij nulla reliqua ſit futura. Quamobrem per illam te baptiſmatis tui ſacram ſalutaremq; undam, qua te Chriſtianum es profeſſus; perq́; tuum Imperatoris nomen, quod te apud omnes nationes uere magnum & uenerandum facit; oro, abs teq; precibus omnibus peto & quæſo; ut quãdo tu omnium Chriſtianorũ Regum Principem geris; primus etiam odia inimicitiasq́; tuas, quas cum Chriſtianis populis exerces, deponas: proq́; animi tui magnitudine pacem, ſi non qua utilius, certe qua facilius fieri poteſt cõditione cum tuis hoſtibus*

ſtibus ineas: omnesq́; moræ cauſas plane reijcias; ne per te cuipiam ſtetiſſe uideri poßit; quominus Chriſtianæ Reip. Turcarum gladijs ac furori propoſitæ in tẽpore ſuccurratur. Id uel officij tui, propter quod Reip. Chriſtianæ plus quàm cæteri debes; uel tui regni cauſa facere te oportet; ne tuos etiam aliquando populos, ſi obdormieris ea ipſa imminens omnibus illuuies atq; pernities trahat: Deinde tuo ut nomini atque gloriæ conſulas; ne te eum locum tenente, quem tenes, ulla inſignis Chriſtianæ Reip. nota atque calamitas inuratur: Demum etiam ut reliqui tuo ſe exemplo Reges ad id faciliores præbeant: Nõ enim uereor; cum tu unus noſtris fidelibus monitis obtemperaueris; quiſquàm omnino ut ſit Eccleſiæ ſenatusq́; conſilijs hac in re communiq; periculo aduerſaturus: ut noſtra hæc in Turcas profectio; quã dies ac noctes cogitamus, neceßitasq́; ipſa nobis ſuadet; parari celerius atque commodius poßit. Quemadmodum quidẽ te facturum; quæ tua ſemper fuit pietas atque prudentia; ſane confido. Reliquum eſt, ut ualetudini tuæ ſeruias: a qua tibi non recte eſſe permoleſte tuli. Quanquàm quidem cum has litteras dabam, ſperabam te conualuiſſe: iam enim erat febricula illa leuior, qua tentabare. Saluebis igitur a nobis omnibus, & ualebis. Dat. Non. Nouemb. MDXIIII. Anno ſecundo. Romæ.

Laurentio

Laurentio Epiſcopo Feltrinorum Legato. 6

Ea quæ ſcribimus Maximiliano Imp. deſig. de pace cum ſuis hoſtibus ineunda, ut imminenti Reip. noſtræ periculo ire obuiam poſſimus; ab earum litterarum exemplo his concluſo litteris cognoſces. Mando autem tibi; ut ad eas litteras etiã uim adiungas orationis tuæ: quam tibi cauſæ ratio facile ſubminiſtrabit: adiuuesq́; quantum poteris, ſermone tuo conſilium & ſententiam noſtram. Quod cum feceris; litteras ad me de rebus omnibus dabis quàm celerrime quamq́; diligentiſſime. Dat. Non. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro. 7

Et ſi te exiſtimo de recenti Turcarum Regis uictoria Sophianiq́; belli exitu ante quã nos intellexiſſe: tamen cum id ipſum ex me etiam ut ſcires uolui, litterisq́; ijs, quæ erunt infraſcriptæ; quibus tota rerum ſeries explicatur; tum illud in primis quod tibi uiro optimo & rei Chriſtianæ ſtudioſiſſimo fore pergratum puto: me ſcilicet ad omnes Chriſtianos Principes dediſſe litteras; quibus eos quãto maximo ſtudio & contentione potui, hortatus obteſtatusq́; ſum, ut pacem inter ſe quàm primum reiectis priuatis inimicitijs conficerent: ut nos ad illam iam diu a me, ut ſcis, inſtitutam animo, & ipſis propoſitam,

propoſitam, nunc uero etiam neceſſario ſuſcipiendã in Turcas profectionem atq; bellum accingere comparareq; poſſemus. Quæ ut pax conficiatur, ſcire te uolo, me omnem meam curam, uigilantiam, auctoritatem adhibiturum, omnem lapidem, ut eſt in prouerbio, conuerſurum: ſperoq; pro Domini, cuius res agitur, clementia non fruſtra eum me laborem ſuſcipere. Te autem & hortor, & plane rogo; ut quando uicinus illis es, quid agant, quid moliantur, quid etiam cogitent, perquiras diligentiſſime; faciasq; me in dies ſingulos de rebus omnibus certiorem: ut prorſus nequid ignoretur: quo facilius quid agendum nobis ſit, ſtatuere in tempore poßimus. Erit id & tui officij tuæq; diligentiæ propriũ, & nobis peropportunum perq; gratum. Dat. Prid. Id. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.

Sebaſtiano Ferrerio, Quæſtori Regio Galliæ Ciſalpinæ. 8

ET litteras tuas; quibus me de lætitia, quam de meis familiæq; meæ proſperis rebus percipis, deq; tuis pro mea meorumq; incolumitate decretis ſupplicationibus certiorem facis; libenter legi: & Ioãnis Laſcaris de ea re ſermonem audiui excepiq; libentiſſime: Volo autem ut exiſtimes te tuosq; omnes chariſſimos mihi eſſe: idq; me, quotieſcunque ſe occaſio dederit, re comprobaturum. Cæterum excuſatio, quam affers, quod des ad me minus ſæpe litteras,

litteras, mihi probatur. Ea de re, deq; reliquis rebus omnibus ad ipſius Laſcaris litteras te reijcio: qui ad te ſingula perſcribet. Dat. tertio Non. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.

Franciſco Gherino ciui Florentino. 9

GRAVITER *ac permoleſte tuli, proximis te comitijs in nouis iſtius Reip. magiſtratibus creandis præteritum fuiſſe. Scire enim debes paucos meorum ciuium mihi te iocundiores eſſe, paucos a me pluris fieri. Et quoniam ea in re uoluntatem erga te meam atq; beneuolentiam perſpicere facile potuiſti: te hortor, æquo ut animo, quæ euenerunt, feras. Dabo enim apud iſtam Remp. operam efficiamq; profecto; ut dolor, quem ex ea reiectione cepiſti, alicuius tibi potioris uel honoris uel commodi uoluptate celeriter ſarciatur. Dat. Prid. Non. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.*

Bartholomeo Liuiano, Venetorum exercitui Præfecto. 10

SCIRE *te arbitror Ludouicum Canoſſam Tricaricenſium Epiſcopum propter plurimas ſuas maximasq; uirtutes & magnopere a me diligi, & meũ Legatum apud Galliæ Regem agere. Eius fratrum germanorum bona & fortunæ omnes atq; prouẽtus, quos è fundis ſuis colligunt, ſunt in uilla Garzani, quæ*

quæ eſt in agro Veronenſi & ampla & luculenta. Quare peto abs te, des operam, ut ſi tuus exercitus in ea loca peruenerit, ea bona tuis a militibus ne diripiātur; ſed tuta prorſus ab omni tuorum militum incurſione ſint. Quod etiā Legato Veneto, qui tuis in caſtris eſt, meo nomine ſignificabis. Id erit mihi tam gratum, quàm quod gratiſsimum. Dat. ſexto Id. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.

Vito Fruſto Præfecto Mutinæ. 11

E T *mihi et Maximiliano Imp. deſig. fœdus initum eſt, pactiq́; ſumus; ut is Mutinæ oppidi eiusq́; agri ius omne mihi cederet atque remitteret: quemadmodum ex diplomate, quod ea de re confectum eſt, poteris cognoſcere. Tametſi id te ſcire iam arbitror; litterasq́; a Maximiliano, quæ tibi eam rem ſignificarint, accepiſſe. Quare uelim ut Fabiano Lippo familiari meo uiro probo & mihi probato, quem ad te his cum litteris miſi, ius & poſſeßionem oppidi Mutinæ, cui præes, eiusq́; arcis, agri, uicorum omnium des tradasq́; liberaliter. Dat. Prid. Id. Nouemb. Anno ſecundo. Roma.*

Maximiliano Mariæ Inſubrum Duci. 12

E T *ſi cum ſuperioribus diebus nobis renunciatum eſſet Nicolaum Scottum ſeſe ad Venetos, ut apud illos contra Maximilianum Imp. deſig. ſtipendia fa-*

ceret, contuliſſe, ſane quàm pro eo, ac res poſtulabat, grauiter moleſteq; tuli; tam temerarium tamq; audacem eum fuiſſe; ut non ſolum ignorantibus nobis, ſed contra omnino quàm uolebamus; proficiſci ad illos non dubitarit: tamen cum nuper certior ſim factus eum Crema proficiſcentem interceptũ ab hoſtibus Mediolanumq; perductum eſſe; non potui nõ dolere; quod uir fortis et bello egregius gentiſq; ſuæ facile princeps in manus hoſtium incidiſſet. Itaque tametſi pro ea tam inſigni temeritate hoc quidem certe mereri uidebatur, ut alieniori nunc eſſe nos in ſeſe animo ſuo in periculo experiretur: tamen quoniam exemplo illius, cuius uicarium in terris gerimus, mites eſſe clementésque nos maxime omnium conuenit; has ad te litteras ſtatim dedi: quibus; etſi te pro animi tui magnitudine nihil in eum grauius, quàm in captiuos milites ſtatuere homines magni ſolent, quáquem conſuetudo militiæ ac ius quaſi quoddam belli fieri permittit, eſſe facturum arbitrarer: tamen abs te peterem; ut quando is multo in me uerius Romanamq; Remp. cuius eſt ipſe ſocius, quàm in te deliquit; Nicolaum ad nos remitteres: ut in eum ſtatuere pro more noſtro poſſemus. Erit id cum ad gloriam tui nominis augendam aptius; tũ nobis uehementer gratum. Dat. decimo Cal. Decemb. Anno ſecundo. Roma.

Duci

Duci & Magiſtratui Genuenſium. 13

MAGNA me lætitia is nuncius affecit; quo certior factus ſum, quietis ueſtræ hoſtes, qui contra uos contraq; præſentem ueſtræ urbis ſtatum animis infenſißimis ſe armauerant; irritos conatus ſuos effudiſſe; uosq; eis fortiter repugnantes magna cum ueſtra laude & gloria dignitatem ueſtram fuiſſe tutatos. Itaque ea de re uobiſcum uere atque ex animo gratulor. Sic enim exiſtimo DEVM Opt. Max. qui rectas hominum bene uiuentium proborumq; uirorum uoluntates facile perſpicit, acta ueſtra atque cōſilia probauiſſe; ſtatuiſſeq; ne uobis noceri ab iniquis atque improbis poſſet. Veruntamen quoniam de Federico Archiepiſcopo Salernitano Legato ueſtro intellexi eoſdem illos hoſtes nihil dum de ſua in uos improbitate uoluntateq; remiſiſſe: atque aliqua etiamnum moliri; egi cum Florētinorum Magiſtratibus Laurentioq; Medice fratris mei filio, mandarent eis equitibus atque militibus, qui Piſis ſunt; ut ad uos tuendos defendendosq; contenderent, uobisq; præſto eſſent, quo tempore quoq; loco iußiſſetis. Quod ſi uobis erit opus maiori auxilio; Florentinorum equites militesq;, quotquot habent, & noſtræ copiæ omnes ad uos ſtatumq; ueſtrum & dignitatem retinendam atque oppidum conſeruandum et confirmandum celeriter traijcientur. Volo enim omnes homines intelligere me pro ueſtra ſalute non minus,

quàm pro meis patriæq; meæ fortunis laribus inco=lumitate laborare. Quemadmodum cum Federico ipſo ſum loquutus: qui uobis reliqua perſcribet. Dat. ſeptimo Id. Ianuar. Anno ſecundo. Romæ.

Heluetijs. 14

Ex Ennij Epiſcopi Verulani et Gori Gherij Le=gatorum meorũ litteris intellexi, uos in fœdere me=cum quidem prorogando, cum Florentinis autem & cum mea gente atque familia ineundo non nihil eſſe ſuſpenſos; non quod dubium ulli ſit, quin, quo ardo=re animi hoc Imperium Romanosq; Pontifices ante=hac ſemper coluiſtis, eorumq; auſpicijs multa egre=gia præclaraq; facinora geſsiſtis, eodem quoque eſ=ſe in poſterum ſtatueritis: nam id quidem inter o=mnes iam prope cõſtare ſignificant: ſed quia de ra=tione capitũ, quæ in fœdere ſcribendo firmari opor=tet, inter uos nõ conuenit; & multi multa afferunt; plura immutant; aliqua nec recipiunt quidem; eo tardiores uos ad rem conficiendam quotidie fieri ad=ſcribunt. Qua in re nihil uobis præſcribere debeo; quos tam diligo, quàm qui maxime; tam cõiunctos eſſe nobiſcum puto, ut ueſtra ipſorum commoda mi=hi eſſe uſui exiſtimem. Puto etiam uos ijs in rebus at=que ſententijs optimo conſilio duci. Illud dico, no=ſtra utrorunque maxime intereſſe, uos in hoc fœde=re ſiue confirmando ſiue ſanciendo non eſſe lentiſsi=mos. Imminet enim nobis omnibus hoſtis efferus at=

que

que præpotens Turca: quem quidem tot proſperrimis ſucceßibus atque uictorijs exultantem niſi retuderimus; iam iámque aderit noſtris in iugulis ſuos gladios cruentaturus; quos modo é neceſſariorum, quos é propinquorum, quos é fratrum ſuorum abſcißis ceruicibus ac prope patris ſui cano corpore atque tremulo eduxit. Nam & magnos comparare illum exercitus, & ingentem claſſem ornare atque inſtruere ad nos perferunt, qui Bizantio ueniũt: quibus utriſque rebus ſimul uti niſi contra nos plane nõ poteſt. Id ueritus rem pulcherrimam illam quidem maximeq; ſalutarem, ſed implicatam ac perdifficilem & cogito dudum, et paro; ut pacem inter Chriſtianos Reges omnes atque populos conficiam: ſperoq; DEI Opt. Max. benignitate atque munere non fruſtra me laborare: modo uos uni ueſtram mihi operam nauetis. Id erit: ſi quàm celerrime hæc, quæ inſtant, fœdera ſancietis: quibus cõſtitutis maior mihi erit apud reliquos Reges auctoritas; ſi uobis ſocijs eos commonefecero; ut pace atq; concordia cum ſuis hoſtibus inita ad profectionẽ ſe in Turcas comparent. Itaque a uobis quanto maiore ſtudio poſſum, peto; ut quemadmodum adhuc quidem maximarum rerum geſtarum Romanis Pontificibus auctores extitiſtis; ita nũc etiam nobiſcum tã exoptatæ pacis initium & quaſi fundamẽta iaciatis: ut reliqua, quæ reſtãt, multo quidẽ et laudabiliora et magis ſalutaria, aggredi unà atque ad exitum perducere poßimus. Sed & hæc & alia quæ oportet, mei

uobis Legati explicabunt. DEVM *oro; ut qualem nobis mentem erga uos dedit, talem uobis eſſe uelit erga nos ad ea celeriter communi conſilio conſtituenda; quibus eius maxime nomen gloria cultus pietas augeatur*. Dat. ſexto Cal. Febr. MDXV. Anno ſecundo. De uilla Seueriana.

Franciſco Regi Galliæ. 15

GRATISSIMAE *mihi tuæ litteræ fuerunt: quibus oſtendis aſſentiri te, ut de* Narbonenſi Epiſcopatu; *quẽ conferre* Iulio Cardinali *fratri patrueli meo cupiebam; quæ uellem, ſtatuerem: omnesq́; cauſas & rationes; quas quidem plurimas neque leuiſſimas colligis; quibus aliorſum trahebare; deſiderio meo te adſcribis poſthabuiſſe*. Quod *tamẽ ipſum etiam ex* Epiſcopi Tricaricenſis *Legati mei litteris intellexi: qui de tuo propẽſo & liberali erga me* Cardinalemq́; *ipſum animo ad nos multa perſcripſit*. Ea *res præter quàm quod illum tibi magnopere deuinxit, ita mihi grata atque optata accidit; ut ſtudium, quo tenebamur, ut te, qui quidem plane adoleſcens ad omniũ ampliſſimi nobiliſſimiq́;* Re*gni gubernaculum acceſſiſti, et beneuolentia complecteremur, & auctoritate noſtra confoueremus; non parum mediusfidius auxerit*. Itaque *intellecta uolũtate tua de fratrum meorum* E. R. Cardinalium *ſententia eam illi* Eccleſiam *hodie contuli*. Te *autem, quod ſupereſt, hortor, eadem animi liberalitate cures, ut*

res, ut ſine ullo uel impedimento uel mora negotium conficiatur. Eo & officium erga me Cardinalemq́; ipſum tuũ, et illius erga te ſtudium, & mea ſane charitas augebitur. Dat. tertio Non. Feb. M D X V. Anno ſecundo. Roma.

Aloiſiæ Regis Gallorum matri. 16

Ex Legati mei litteris intellexi, quanto ſtudio cum Franciſco Rege filio tuo egeris, ut is uellet, ut de Epiſcopatu Narbonenſi, cui præficere Iuliũ Medicem Cardinalem fratrem patruelem meum cupiebam, pro noſtra uoluntate ſtatueremus. Quæ res ita mihi atque illi grata atque iocunda accidit; ut; quanquàm tu in eo huius Reipub. quæ tibi quidẽ pro tua pietate chariſſima debet eſſe, dignitatem & auctoritatem es tutata, officiumq́; præſtitiſti optimæ & præſtantiſſimæ mulieris; plurimum tamen ex eo tibi debere uterque noſtrum facile præ ſe ferat: eoq́; magis; quod Rex non paucis neque uulgaribus ſane cauſis, quæ in alia ipſum impellebant, deſiderium noſtrum prætulit. Quamobrem ſcire te plane uolo, eo te officio & Cardinalem tibi tuoq́; filio deuinxiſſe; & meam in illum beneuolentiam auxiſſe: Quemadmodum ab eodem Legato meo latius intelliges. Dat. tertio Non. Febr. Anno ſecundo. Roma.

Matthæo Cardinali Seduno Heluetio. 17

Moleste ſane tulimus Maximilianum Mariam Inſubrum Ducē haberi in cuſtodia iuſsiſſe Ioannem Petrum Moronum ciuem Mediolanenſem Federici Cardinalis ſancti Angeli procuratorē ea de cauſa; ut fructus monaſterij Morimundi, quos is Cardinali debet, quiq; apud ipſum ſunt, ab eo per uim atq; iniuriam extorqueantur: eiuſq; te rei auctorem fuiſſe; quem minime quidem decuit, minimeq; opus fuit. Eo de genere toto iniuriarum tametſi proxime ad te litteras dedimus; quibus te hortabamur, uelles inferendis Cardinali detrimentis modum aliquem aliquando tandem ſtatuere: tamen quia non ſolum eæ te litteræ nihil mouerunt; ſed poſt eas multo etiā, quàm antea, grauius atq; iracundius te geſsiſti: has ad te alteras dare litteras uolui; ut te diligentius cōmonefacerem; meminiſſes, Federicum & eſſe Cardinalem, & haberi; noſq; id Romanamq; Rempub. ſtatuiſſe: neq; eſſe Regem aut populum Chriſtianum ullum, qui non ipſum eo nomine appellet. Hæc quāti tibi facienda ſint, ſi neſcis; cur te fieri Cardinalem appetieris, non intelligo. Si ſcis, & magni æſtimas iſtam dignitatem; uide, ne quod tibi amplum putas, in altero te minimi facere, non tam ullius uitium redarguat; quàm ſit tuum. Quod ſi reliquæ cauſæ omnes parum apud te quidem ualent; tui te ordinis & dignitatis ratio ab eiuſmodi conſilio reuocare certe

debet:

debet: ne tuo exẽplo quilibet laceſſere reliquos etiã Cardinales ordinemq́; ipſum auguſtiſsimum audeat: unumq́; ueſtrum male habendi licẽtia ad cæteros facile contemnendos emanet. Hæc ſcripſi impulſus nõ magis Federici cauſa, quàm amore in te meo mutuaq́; noſtra beneuolentia. Tu ſi offenſionum iracũdiæq́; tuæ finem feceris, & illum frui monaſterij ſui fructibus & penſionibus paſſus fueris; profecto & reliquis Cardinalibus tibiq́; ipſe conſules; & huius Reip. dignitati uidebere tuas rationes poſthabuiſſe, & mea mandata non deſpexiſſe. Dat. XVI. Cal. Martias. Anno ſecundo. Romæ.

Magiſtratui Parmæ. 18

VENIT iſthuc meo iuſſu Iacobus Corregius; ut in Caſtri Gibelli poſſeſsione nobis tradenda curet agatq́; meo nomine, ut res ſine armis ex uoluntate noſtra tranſigatur. Quamobrem curabis; ut quoad ipſe adire ad eos, quorum intereſt, tractareq́; rem poſsit; omnia ſuſpendantur, pacataq́; ſint: eiq́; fidem habebis ijs in rebus, quas ad te meis uerbis deferet. Dat. XV. Cal. Martias. Anno ſecundo. Romæ.

Ioanni Iordano Vrſino. 19

INTELLEXIMVS inter Aldobrandinum Archiepiſcopum Nicoſienſium & Ludouicum Petiliani comitem germanos fratres diſceptationem quandam

ſuper

ſuper Fiani oppido rebusq; alijs magno animorum ardore ſuſceptam exerceri; timeriq; ab eorum propinquis; ne breui ad acerbiſsimas contentiones atq; ad arma proſiliant. Quare te hortor, atq; abs te, tanquàm ab homine Vrſinæ gentis facile principe, diligenter peto; cures quàm primum desq; operam tua prudentia, ut ea controuerſia cōponatur: Quod ſi perficere non poteris, utriq; eorum meo nomine uolo mandes, ab altercatione ut abſtineant; quoad ipſi te audito ſtatuere, quæ æqua erunt, poſsimus. Dat. XV. Cal. Mart. Anno ſecundo. Romæ.

Laurentio Tuccio ciui Florentino. 20

GRATAE nobis tuæ litteræ fuerunt; quibus tuam in nos mirificam obſeruātiam ueteremq; in familiam noſtram cultum multo quidem antea nobis & perſpectum & cognitum facile oſtendiſti. Itaq; uolo exiſtimes, nos in tua commoda eſſe propenſos; teq;, ſi Romam ueneris, libenter uiſuros: ita tamē; dum id itineris ſenectutis ualetudinisq; tuæ incommodo ne ſuſcipias. Dat. Prid. Cal. Mart. Anno ſecundo. Romæ.

Maximiliano Rom. Imper. deſig. 21

SI unquàm alias ulla in re concupiuimus impetrare abs te optatos exitus noſtræ petitionis; hæc una eſt, in qua id per te conſequi maxime omnium

expeto; ut Marco Cornelio Cardinali aliquando tādem remittas atq; reſtituas fructus Eccleſiæ Veronēſis, cui præeſt, reliquorúmque ſacerdotiorum, quæ is in tua ditione habet. Qua de re non hortor te ſolum, ſed etiam magnopere & uehementer rogo ijs de cauſis; de quibus ad Thomam Epiſcopum Feltrinorum des. Legatum meum ſcripſi; cuius ad ſermonem, ne bis in ſcribendo ſim longior; te reijcio. His autem litteris te rogo, ita mihi reſpondeas; ut ſingulas petitionis meæ cauſas & amanter & prudenter te appareat conſideraviſſe. Dat. Octauo Id. Mart. MDXV. Anno ſecundo. Romæ.

Thomæ Epiſcopo Feltrinorum Legato. 22

EA, quæ ad Maximilianum Imper. deſig. de fructibus Eccleſiæ Veronenſis & reliquorum ſacerdotiorum M. Cornelio Cardinali reſtituendis breuiter ſcripſi, ab exemplo mearum ad illum litterarū, quas ad te mitto, quod erit cum his litteris, cognoſces. Quoniam autem magnopere mihi eſt cordi; neq; ſolum cordi eſt, ſed mea etiam intereſt, ut res ad optatū exitū perducatur; uolo captes obſeruesq; tempus id, quo tempore nihil te ab eo non impetraturum poſsis confidere, litteras meas ei reddendi: ijsq; redditis petitionem meam tuis tum uerbis tum precibus quantum maxime poteris, accurate atque appoſite ſubſequare. Cuius tui cum illo ſermonis illud ſit caput: me pro Cardinali Cornelio non tantopere

topere laborare ſolummodo, quia Cardinalis ſit: quanquàm id quidem & me mouet maxime, & illius etiam animum mouere et flectere ſane debet: uel quia fratrum meorum E. R. Cardinalium uniuerſus ſenatus precibus omnibus expoſtulationibus contẽtionibus prope quotidie hac de re nos appellet; atq; ut eius ordinis iura auctoritatemq́; ne prodamus, a nobis non tam petat, quàm etiam exigat: quibus quidem tam aßidue tantoq; opere æqua præſertim petentibus deeſſe nullo pacto poſſum: ſed etiam propterea, quod eſt ipſe quidem de me optime ampliſſimeq; promeritus; & quod & maiorem huius mei Pontificatus partem ſane debeo. Ea enim is in nobis Reip. præficiendis egit cura ſtudio diligentia labore animiq; ſui motibus omnibus et ſenſibus; ut illi multo maximam eius rei gratiam habeamus. Quanquàm quidem, ut pergam ad reliqua, diu eſt; quod cum illo, tanquàm cum fratre optimo atque iocundißimo uiuo: omniaq; fraterna germanaq; beneuolentiæ ſtudia atque officia inter nos exercentur. Nunc autem ad priorem ueteremq́; noſtram neceßitudinem amoremq́; mutuum additis ingẽtibus illius meritis ita eſt mihi animoq; meo gratus; nihil ut addi poſſe ad noſtram coniunctionem uideatur. Itaque meo a latere fere nunquàm diſcedit. Quoniam autem ademptis ei diſtractisq; ijs, quos dixi, fructibus, alere ſeſe ipſe non poteſt; alo eum ego atq; ſuſtento impenſa mea. Quod etſi libentißime facio; eſt tamen mihi, ut uerißime dicam, permoleſta perq; grauis eius impenſæ cauſa:

ſæ cauſa: præſertim cum eius rei is ſit auctor; a quo ſubleuari me in rebus etiam dubie iuſtis pro meo in illum ſingulari amore atque beneuolentia æquiſſimũ profecto eſſet, nedum in hac; in qua certe ipſa rectus mos, conſuetudo, ius omne, æquitas omnis, pudor ipſe, pietasq́; ineſt; debeam. Neq; enim obeſſe Cardinali debet, quod Venetus natione ſit: cum ipſe ita moderate omnibus in rebus quæ ad Maximilianum pertineant, ita temperate, ita non ambitioſe ſemper ſe geſſerit; ut indigniſſimum plane ſit; cũ ipſe in illum nihil omnino agat, nihil cogitet, debitum etiam illi cultum & obſeruantiam præ ſe ferat; ſuæ ſe uitæ atque uictus alimenta atq; præſidia, quoniam ab illo intercipiantur, deſiderare. Quàm indignitatem reliqui Cardinales omnes periniquo animo cum ferant; ea de re ita apud me contendunt, ut dixi, prope quotidie; ut quilibet ſuã ſe cauſam agere in Cardinalis cauſa, quilibet pro ſeipſo laborare atque niti exiſtimet. Timent enim & uerentur maxime; ſibi quoque aliquãdo idem ne accidat alijs ab Regibus; ſi Cardinalis Cornelij dignitas cum Reip. dignitate coniuncta per nos hac in re atq; cauſa negligatur. Itaque quod initio dixeram, non tam moueri me cæterorum Cardinalium cauſa & precibus ad fructus Cornelianos procurandos: nũc mehercule, ut iam liberius dicam, quod ſentio, non moueri modo fateor ea me re & concuti; ſed plane etiam conuelli magnopereq́; perturbari. Neque enim ſuſtinere illos iam, meq́; ab eorum & iuſtis & quotidianis

dianis querelis tueri poſſum. His omnibus de cauſis petere te ab illo meis uerbis atque precibus uolo, ut me quidem hac animi ſollicitudine, his impenſis atque onere; ſe uero ea calumnia, atque etiam hac moleſtia liberet: neq; enim ab incepto poſſum, niſi re impetrata deſiſtere. Itaq; remittat aliquando tandem Cardinali Cornelio eos, de quibus loquimur, fructus, uel iuſtitiæ, quam unus omnium maxime atq; ſanctißime omni tempore coluit; uel ſacri Cardinalium ordinis & collegij, quod apud omnes homines auguſtißimum ſemper fuit, uel huius Reip. dignitatis, quam tueri ipſe in primis debet; uel mea demum cauſa, qui illum tantopere amo tantiq; facio; uel ſimul omnium. Atq; mea quidem certe cauſa nõ eo modo, quo illi atq; alijs Regibus commendare ſæpe multos ſoleo; ſed quo agerem; ſi pro Iuliano Medice fratre germano meo, uel etiam ſi pro ipſo me, quanquàm & pro me ago, hac in re atque cauſa laborarem. Id ſi fecerit; confirmabit ille quidem in omnium hominum mentibus atque ſermonibus exiſtimationem, quam alit, liberalißimi Regis atq; iuſtißimi: De Cardinali Cornelio autem deq; cæteris Cardinalibus optime merebitur: Ego uero id eo loci apud meum animum atq; memoriæ ſenſum reponã; ut eius in rebus & poſtulationibus; ſi quid acciderit, in quo me quoque ipſe uelit ſibi petenti ſatisfacere; ut ſunt omnium rerum uices; facile appareat; mihi ſe in eo feciſſe gratißimum, Ex is uerbis potes facile perſpicere; quantum prudentiæ, ſtudij, diligentiæ

gentiæ ſit abs te adhibēdum, ut res ex ſententia trāſigatur. Itaque non erimus longiores. Vnum addā; quanti me facis; tantundem hoc in negotio & procurando & conficiendo tute labora. Dat. octauo Id. Mart. M D X V. Anno ſecundo. Romæ.

Vladislao Regi Pannoniæ. 23

CVM & Reip. Chriſtianæ dignitas, & tui Regni atq; populorum ſalus in eo mihi uerſari hoc tēpore maxime uideretur; ſi certa in Illyrico atque Croacia municipia Turcis expoſita loci natura ſatis ad reſiſtendum idonea, etiam hominum opibus atq; præſidijs munirentur: Vincentio Ototienſium Epiſcopo & Iulio Cortonenſi procuratoribus meis mandaui, ut eam curam ſuſciperent, eoq; ſe conferrent, quàm celerrime fieri poſſet. Eis magnum tritici numerum, magnum ordei illò comportādum iuſſi dari; pulueriſq; perfecti ad tormenta impellenda libras mille: ſulphuris præterea libras decies mille: ſalis nitri quinquies mille: quibus ex rebus puluis, ſi eſſet opus, confici poſſet: Tormenta etiam uarij generis aliquot. Atq; ijs quidem rebus omnibus curatæ pecuniæ adieci numos aureos uicies cētum: qua pecunia quibusq; rebus ex Epiſcopi Veſprimienſium Croaciæ præfecti ſententia & conſilio uterentur. Audio autem operæpretium eſſe maxime quidē certe ut mœnia eorum oppidorum reficiantur, & uallo ac foſſa præcingātur, ſed ſi quid eſſet aliud; quod

uel ædificari, uel muniri oporteret; id eos ita iuſsi procurare, ſi Epiſcopus *Veſprimienſium mandauiſſet.* Te *autem magnopere hortor; ut quam ad te pecuniam ex* Reip. *propediem ærario ſum miſſurus; quæ quidem erit ad uicies mille aureorum numum; eius multo maximam inſumas partem illis in locis et municipijs & firmandis & communiendis.* Hæc *cũ me uideas pro tua tuorumq; incolumitate laborare; quid te ipſum facere* Vladislae *oporteat, facile iudicabis.* Itaq; *non ero longior.* Dat. *tertio* Cal. April. MDXV. Anno *tertio.* Roma.

Epiſcopo Veſprimienſium Præfecto Croaciæ. 24

DEDI *ad* Vladislaum Pannoniæ Regem Vincentio Ototienſium Epiſcopo *&* Ghilio Cortonenſi *interpretibus & procuratoribus meis litteras: quos ad certa* Illyrici Croaciæq; *municipia, ut ſcis, & firmanda & munienda ad* Turcarum *impetus ſuſtinendos mitto petente maxime et monente te: quibus ex litteris quantos labores, quantas etiam impenſas ſuſceperim; facile intelliges.* Nunc *te hortor; ut quãdo in eam procurationem atq; curam te auctore ſum ingreſſus; cuius prudentiæ atq; in rebus gerendis experientiæ plurimum tribuo: quibuſcunque in rebus eſſe illis uſui poterit uirtus auctoritasq; tua, eos iuues,* Ghiliumq; *præſertim; cui mandaui, tuo ut cõſilio muniendis illis oppidis, & bello; ſi forte in aliquem tumultum eorum aduentus incideret, adminiſtrando*

ſtrando & ducendo uteretur. Id *facere te oportet cum* Reip. *Chriſtianæ, cuius res agitur, cauſa; tum tua, quo impulſore uſus ſum; tum uero etiam mea: qui te ſecundum* Regem *tanti facio, ut tibi tota iſta in regione latißima atque populoſißima præferam neminem*. Dat. tertio Cal. April. MDXV. Anno *tertio*. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 25

MITTO *ad certa Illyrici Croaciæq; oppida Turcarum incurſionibus expoſita* Vincentium Epi*ſcopũ* Ototienſium *&* Ghilium Cortonenſem *procuratores meos cum commeatu armamentisq́; ut ea bene atq; celeriter muniant: ijsq́; mandaui, ut omnẽ diligentiam adhiberent, néquid illis in locis detrimenti* Res Chriſtiana *pub. acciperet*. Quare *te hortor, mandes quàm primum tuis* Magiſtratibus, *quos in* Illyrico *habes; ut quibuſcunq; in rebus ferre opem meis procuratoribus poterunt, ut mandata noſtra facilius atq; celerius conficiant; illis præſto ſint: maximeq; in calce reliquaq; materia atq; operis ad foſſas, uallum, mœnia uel ſarcienda, uel exædificanda ſubminiſtrãdis: recipiantq́; ac ſeruent ea omnia fideliter; quæ ij a nobis ſecum ferent; quoad illa ulterius deportari opus ſit*: Demum ita *ſe gerant; ut ea cura, quam ad communem* Chriſti *populorum utilitatem ſuſcipio, quantum maxime poteſt, proficiat; & illos appareat miniſtros eſſe* Principis *optimi ſummaq́;*

mi ſummaq́; religione prædìti. Dat. tertio Cal. April. MDXV. Anno tertio. Romæ.

Emerico Pannoniæ Palatino Principi. 26

LEGI tuas litteras; quibus & tuam in nos mirificam uoluntatem & in Romanam Remp. ſingularem cultum pietatemq́; præ te fers. Quarum duarum rerum animiq́; tui propenſionum & induſtionum quæ ad me pertinet, ualde mihi grata eſt; quæ ad Remp. ea etiam ſancta & uehementer probata & mihi eſſe debet & bonis omnibus. Itaq; de utraq; ualde te amo. Quod ut etiam apertius ſcire poſsis; exemplum litterarum, quas ad Vladislaum Regem dedi, tibi deſcribi iuſsi, tum ut quam curam pro Chriſtianæ Reip. dignitate tuenda ſuſcepi, ea ne te lateret: tum etiam ut te hortarer; ut communem cauſam apud Regem ipſum iuuares auctoritate tua & gratia: ut quas impenſas feciſſem pro iſtius regni maxime ſalute atq; gloria; eæ quàm fructuoſiſſimæ eſſent futuræ. Cæterum quod ad Epiſcopatum Varadienſium attinet; cui poſtulas ut filium tuum uelim præficere; eſt illius quidẽ certe ætas ad id põderis ſuſtinendum imbecillior: ſed quia te, ut dixi, ualde amo; dabo operam; ut quanto aptius & citius pro noſtra dignitate fieri poſsit, ſatis appareat tuã apud me auctoritatem plurimum ualuiſſe. Dat. Cal. April. MDXV. Anno tertio. Romæ.

Nicolao

Nicolao Leoniceno. 27

LITTERAS *tuas; quibus litteris egregiã & ſingularem tuam in me obſeruantiam docte ſane luculenterq́; oſtendiſti; legi libentiſſime: tuúmque ſtudium mihi operam nauãdi, ſi qua in re uti uellem, in illis agnoui: quod mihi gratiſſimum fuit.* Te ue*ro & amaui profecto omni tempore, multiplicemq́; & excellentem in optimarum artium ſtudijs doctrinam tuam magni, ut debui, feci: & nunc etiam* Pe*tri* Bembi *ſcribæ a latinis mei; qui te mirifice diligit; &* Ferrari*æ in* Prodomin*atu patris ſui admodum adoleſcens cum eſſet, de tuo pleno fonte hauſiſſe ſe præcepta philoſophiæ dictitat, riuulumq́; duxiſſe; apud me habito multa cum tua laude ſermone facile adducor; ut ad priorem meam in te beneuolentiam magno addito cumulo unice te complectar & proſequar: cupidusq́; ſim ornandi tui meritis et præmijs & laudibus.* Id *te ſcire uolui; ut ſi quid eſſet; in quo tibi & uſui et ornamẽto eſſe poſſet amor erga te meus; conſideres te a me omnia, quæ uelles, poſſe conſequi.* Dat. *quarto* Non. April. Anno *tertio.* Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 28

EGREGIA *ſingularisq́; probitas, prudentia, uirtus, atque in agendis tractandisq́; rebus iſtius*

Reipub. ſumma cum lenitate coniuncta tum grauitas tum etiam diligentia Petri Landi *Legati tui cū nobis magnopere commendarunt.* Itaque *& hoc tempore toto, quo eum apud me eſſe uoluiſti, magno amore hominem ſum cōplexus; & uidi atque audiui uſquequaque libentiſsime: & nunc ad te atq; ad patriam iuſſu tuo reuertētem his proſequi litteris uolui, tanquâm teſtibus & noſtræ in illum uoluntatis, & muneris non ſolum prudenter, ſed etiam præſtāti modeſtia, integritate, ſtudio acti ab illo cum magna tua ſemper tuæq;* Reip. *&* Senatus *iſtius laude ac dignitate.* Quæ *quidem res officijq; perfunctio chariorem tibi illum reddere ſane debet.* Ipſum *autem redire nunc ad te eo nobis minus moleſtum eſt; quo aliquot iam menſes ſunt, cum is* Romæ *incommoda ualetudine utitur.* Sperat *autem ſe, cum iſthuc atque ad ſuos redierit, facile conualiturum.* Quæ *ſpes ne eum fallat,* DEVM Opt. Max. *precor.* Tibi *uero illum* Senatuiq; *iſti, non quod exiſtimem ciuem ueſtrum optimum hominem et prudentem uirum déque uobis optime meritum apud uos commēdatione mea egere; ſed ut mihi ipſe charitatique in illū meæ morem geram, ſummopere atq; diligentiſsime commendo.* Dat. *Octauo* Id. April. *Anno tertio.* Romæ.

Maximiliano

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci. 29

ALTERIS meis litteris hortatus te ſum; ut Paulæ Gonzagæ id, quod ratione dotis ei debetur, dari iuberes uel æquitatis cauſa, cuius eſſe miniſter in primis debes; uel mea, qui eius fratrem clarum & præſtãtem uirum unice diligo: ut ſe ſuſtentare, & celibatum, in quo aliquot iam annos eſt, ducere honeſtius atq; commodius poßit. Quod quidem te facturum uel propterea confidebã; quod nihil eſſe prope intelligebam fauore atq; tutela maximorum hominum & uirorum principum dignius uiduis mulieribus; quibus ſane omnium gentium leges mores cõſuetudines plurimum tribuunt. Verum cum præter ſpem expectationémque noſtram nihil abs te curatum, nihil mandatum ea in re adhuc quidem ſit, credo, quod occupationes magnæ tuæ cogitationem tibi illam eripuerint: non enim arbitror nihil te tribuere meis commendationibus uoluiſſe: iterum te et hortor, & plane rogo, uelis dare operam, ut mulieri ſatisfiat. Omnino eam rem ita tibi commendo; ut etiam cupiam te in ea procuranda diligentiorem eſſe, quàm cauſa ipſa poſtulat: ut oſtendas me a te pluris, quàm cætera, fieri. Dat. XII. Cal. Maias. Anno tertio. Romæ.

Philippo Gualterotto ciui Florentino. 30

ALLATVM ad nos eſt te apud animum tuum propoſuiſſe, unicam filiam tuam Rafaëli Medici gẽtili meo nuptui uelle tradere: quod mihi admodum iocundum fuit. Nam & Rafaëlem ipſum ualde diligo; & te facio, uti debeo, plurimi. Quare tua hæc uoluntas mihi uehementer probatur: ſcireq́; te uolo, nuptias iſtas ſi confeceris, eum me nuncium libentiſſime auditurum. DEVM autem in primis precor; ut quæ tibi & filiæ domuiq́; tuæ, atque illi nobisq́; omnibus uſui et uoluptati futura ſint; ea per te hoc in negotio tranſigantur. Dat. Cal. Maijs. Anno tertio. Roma.

Latino Iuuenali familiari meo. 31

CVM magnopere cupiam; ut ſimultates ac belli ſemina inter Maximilianum Mariam Mediolanẽſium Ducem & Octauianum Ducem Genuẽſium populumq́; Heluetiorum exorta iam atq; iactata pro communi bono atque ipſarum partium ſtatu per me adiutore Domino quàm celerrime ſopiantur & aboleantur: mando tibi; cuius fidei atq; in agendis rebus experientiæ magnopere confido; ut magnis itineribus ad Maximilianum quidem primum, deinde ad Heluetiorum eos pagos, qui militiam in Italia faciunt, demum Genuam te conferas: omneq́; tuum

ſtudium

ſtudium, diligentiam, curam, laborem adhibeas; ut pacem inter illos omnes firmare atq; conficere poſſis. Pro qua conficienda rebusq́; conſtituendis ſi quid meis te uerbis promittere atq; recipere ſiue uni, ſiue alteri eorum, ſiue plane omnibus oportebit: id omne, quod promiſeris quodq́; receperis, ratum & gratum me habiturum, fidemq́; tuam in eo præſtaturum, omniaq́; illa, quæ tu egeris, probaturum, hoc meo chirographo polliceor et ſpondeo. Dat decimoquinto Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Octauiano Duci Genuenſium & Federico Archiepiſcopo Salernitanorum fratribus. 32

QVA de cauſa Latinum Iuuenalem familiarē meum adoleſcentem probitate atq; uirtutibus præditum ad uos miſerim; ipſe uobis exponet. Quoniā autem ſimultates odijq́; ſemina, quæ inter uos & Ducem Mediolanenſium populumq́; Heluetiorum nimis iam & diu & acriter iactantur, ſine graui & ueſtræ urbis et totius Italiæ incōmodo ulterius progredi exerceriq́; non poſſunt: pro mea in uos charitate etiam atq; etiam a uobis peto; animū & mentem inducatis ad ea ſtatuēda; quæ mihi; qui propterea quod abſum ab earum rerum culpa longius, iudicare recte poſſum; fore uobis & uſui & dignitati & certe otio magnopere uidentur. Non enim, ut bene uobis atq; feliciter ſit, minus laboro; quàm ſi uel pro patria ipſa mea, uel hoc pro Imperio Romanáque

naq; Rep. eam curam ſuſcepiſſem. Dat. x v Cal. Iun. Anno tertio. Romæ.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 33

NON uni ad me nuncij, rumor etiam ipſe attulit, eſſe quoſdam, qui in huius Reipub. ditionem inuadere armis cogitent; Parmamq; atq; Placentiam in primis. Quod etſi non queo credere: recta enim ſentio de omnibus: tamen ne prorſus imparati offendamur; ſi quiſpiã erit, qui male cogitata exequi cupiat; peto a te; cuius in me Remq; hanc publicam pietatem animiq; magnitudinem neq; paucis & grauiſsimis in rebus ſum expertus; uelis Iacobo Gambaro; quem ea de cauſa ad te uenire iuſsi, eam militum tuorum manũ tradere ed ea municipia munienda; quam is a te requiret. Pluribus uerbis non utar cum propterea quod te eius ſceleris, quod paratur; ſi modo quiſquam eſt, qui tantum ad ſcelus ſe comparet; ipſa indignitate permotũ excitari per tete atq; ardere animo puto: tum quia tota de re Bernardus Bibiena Cardinalis meo iuſſu litteras ad te dabat, cum hæc ſcriberem. Dat. v I. Cal. Iun. Anno tertio. Romæ.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro. 34

CLEMENS Rhodius metropolites tũ tua, tum uero maxime Ioannis Laſcaris familiaris mei docti hominis

hominis cõmendatione & gratus mihi eſt & probatus ſic; ut eum item tibi ipſe eiusq; res commẽdare facile ſtatuerim. Nota tibi eſſe *arbitror; quæ a me proxime conceſſa & condonata illi fuerunt.* Ea *ne ipſi abrogari ullis ab hominibus, néue iniuriam fieri permittas; abs te peto.* Dat. tertio. Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Octauiano Duci Genuenſium & Federico Archiepiſcopo Salernitanorum fratribus. 35

QVONIAM *quod tantopere cupiebam, de pace nihil eſſe adhuc confectum & conſtitutum uideo: has ad uos litteras dedi; ne ea de cauſa rem poſſe confici diffideretis; aliaq; cogitanda uobis eſſe atque ſtatuenda exiſtimaretis.* Nam *& ea in re nihil prætermittam uel ſtudij uel diligentiæ uel laboris, tentaboq; omnia & moliar: in quo nihil dum etiam eiuſmodi uideo, prorſus ut ſit deſperandum: & ſi erit is meus inanis atq; irritus de pace labor & cogitatio; tum illud aggrediar; quod quidem mihi præripere ueſtrorum inimicorum nullus poterit: atq; ad uos oppidúmque & dignitatem ueſtram tuendam et conſeruandam omnes meas, omnes* Florẽtinorum *copias, quæ quidem ſunt paratiſsimæ, ſtatim mittam: oſtendámque omnibus hominibus, quanti uos unos faciam; quique ſit meus erga uos ſenſus ſtudium beneuolentia.* Q*uare uolo bono uos atq; magno animo eſſe.* Q*uin etiam ut cogitationes meas omnes clarius atque*

atq; plenius intelligeretis; Ioannem Veſpuccium familiarē meum magnis ad uos itineribus his cum literis uenire iuſsi; qui mentem uobis noſtram explicaret. Dat. tertio Cal. Iun. Anno tertio. Romæ.

Ioanni Blaſsiæ triremium Præfecto. 36

MANDAVI *Ioanni Veſpuccio; quem ad Octauianum Genuenſium Ducem & Federicum Archiepiſcopum Salernitanorum fratres miſi; ut ad te ſermonem meum, quem cum eo habui, perferret, ijs de rebus, quas te ſcire magnopere cupio. Cuius illud caput eſt; ut hanc ad oram littoraq; noſtra a pyratis & purganda & munienda cum ijs noſtris triremibus, quas nunc quidem tecum habes, Centumcellas nauigatione non intermiſſa te conferas. Dat. tertio Cal. Iunias. Anno tertio. Romæ.*

Sigiſmundo Trotto Ferrarienſi. 37

QVAM *ad me ſcriptam probe ſane & multa muſicæ artis ſuauitate atq; dulcedine aſperſam cantilenam attulit Vincētius Mutinenſis miſſam abs te mihi; ea me reliquosq;, quos habeo multos, ut ſcis, ea in re doctos homines oblectauit tenuitq; plurimum. Mirifice enim placuit; uiſaq; eſt eiuſmodi; ut nihil ei ad aurium delectationem animosq; permulcendos prope deeſſet. Ita uocum inflexione, uarietate, concinnitate, artificio deniq; omni & temperamento*

peramento continebatur. Qua in re & tuam in me obſeruantiam, & optimum ijs in rebus ſenſum & iudicium animi ingenijq; tui profecto agnoui. Itaq; iſta tua diligentia cum de ueteribus tuis miſsis ad me ſcriptis cantibus, tum de hoc nouo, mihi ualde grata eſt. Quod te ſcire uolui; ut conſideres, me de te & remunerando & ornando cogitare. Dat. *quinto* Id. *Iun.* MDXV. *Anno tertio.* Romæ.

Florentinis. 38

VALDE *mihi opus eſt eis libris; quos* An*gelus* Politianus *a perueteribus illis, qui a uobis publice aſſeruantur,* Iuſtinianarum *legum & digeſtorum libris, quos* Pandectas *uocant, ſua ipſe manu deſcripſit. Qui quoniam apud uos ſunt; uos hortor; ut eos* Laurentio Medici *fratris mei filio mihi mittẽdos dari iubeatis.* Eos *uobis, cum uſus fuero, ſtatim remittam.* Dat. XV. Cal. Iul. *Anno tertio.* Romæ.

Laurentio Medici. 39

PROFICISCENTI Florentiam Frãciſco Sal*uiato deeſſe nolui; quo minus ſcriberem ad te; dares operam; ut a ſuis creditoribus inſigni aliqua moleſtia ne afficeretur: maximeq; eam ob cauſam; nequid ex ſuis fortunis rebusq; ijs, quæ moueri ſolo nequeunt, ſiue inſulam, ſiue fundum, uendere atque*

diſtrahere

diſtrahere cogeretur. Itaq; erit mihi ſane quàm gratum; ualde enim hominem diligo; ut facilitate prudentiaq́; tua eius cum creditoribus ita agas; ut malum malo ne addant; contentiq́; ſint, ut eius rei modus aliquis & ratio amice ineatur: quemadmodum tibi eſſe aptius expeditiusq́; uidebitur. Quod quidem creditores uelle ipſi cum propterea debebunt, quod eſt Franciſcus plane ſoluendo; tum etiam, quod ipſe adiumento illi eſſe, eamq́; ſolutionem mea pecunia explicatiorem facere cogito. Dat. XII. Cal. Iul. Anno tertio. Roma.

Ludouico Areoſto Ferrarienſi. 40

SINGVLARIS *tua perq́; uetus erga me familiamq́; meam beneuolentia, egregiaq́; bonarum artium litterarũ doctrina atq; in ſtudijs mitioribus præſertimq́; poëtices elegãs ac præclarum ingenium iure prope ſuo expoſcere uidentur; ut quæ tibi uſui futura ſunt, iuſta præſertim & honeſta petenti; ea tibi a me non libenter modo, ſed etiam liberaliter concedantur. Quare cum libros uernaculo ſermone et carmine de geſtis errantium, quos appellant, equitum ludicro more, longo tamen ſtudio & multorum annorum cura uigilijsq́; confeceris; eosq́; conductis abs te impreſſoribus edere in manus hominum ſtatueris; ut ea tua diligentia probiores exeant; tum ut ſi quis fructus ea ex re percipi poteſt, is ad te potius, qui conficiendi poëmatis laborem es perpeſſus,*

quàm

quàm ad alienos deferatur: edico & mando; nequis te uiuente eos tuos libros imprimere, aut impreſſos uenundare, ullis in locis audeat ſine tuo iuſſu & uoluntate. Qui contra mandatum hoc noſtrum fecerit, admiſerit; is uniuerſæ DEI *Eccleſiæ toto orbe terrarum expers eſto.* Dat. XII. Cal. Iul. *Anno tertio.* Roma.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 41

IOANNI *Mariæ Mutinenſi* Internuncio tuo *mandaui, ageret tecum, tuas ut copias eſſe paratas ad profectionem iuberes; efficeresq; ut eſſent quàm optime quámque celerrime inſtructæ.* Eúmque *ad te uenire iuſſi tum hac de cauſa; tum ut te de meo beneuolo in te paternóque animo & uoluntate coram certiorem faceret. Quare te hortor; ut & charitatem erga te meam & hominum de te ſpem, quam excitaſti, fide cura diligentiáque tua in* Reip. *negotijs adminiſtrandis mandatisque meis explicandis et conficiendis hac in iuuenili tua ſurgentique adhuc ætate atq; florenti non confirmes modo, ſed etiam augeas.* Decimo Cal. Iul. *Anno tertio.* Roma.

Antonio Sanctæ Crucis. 42

CVM *de tua in bellicis rebus uirtute et fide magnopere poſſe me confidere exiſtimem; ut libentius cum res exigat, mihi præſto ſis;* ornatiorq; *te, quo eris*

eris iuſſus, conferas: ſexcentorum numum aureorū penſionem in annos ſingulos ſtipendij nomine tibi ut dent ærarij Quæſtoribus mādo ita quidem; ut quarto quoq; mēſe tibi uel tuis procuratoribus eius ſummæ tertiam partem perſoluant. Dat. Decimo Cal. Iul. *Anno tertio.* Roma.

Populoniæ Domino. 43

ET *tuam fortitudinem bellis exercendis, & uigilantiam atq; ſolertiam adminiſtrandis, & fidem animiq; tui ſenſum uel ardorem potius nobis & colendis & obſeruandis plurimi ſane facio.* Id *ut clarius atq; apertius intelligas; atq; etiam ut mihi maiori eſſe uſui, cum opus erit, poßis; ad quinquies mille numorum aureorum penſionem annis tibi ſingulis ab ærarij Quæſtoribus iubeo dari.* Tu *uero ita te geres; ut facile oſtendas te magnam curam exercere; ut & ſanguinis propinquitati, qua nobiſcum es coniunctus, & tuæ dignitati, & expectationi noſtræ maxime ſatisfacias.* Dat. XII. Cal. Iul. Anno *tertio.* Roma.

Bernardo Bibienæ Cardinali. 44

CVM *omnium, quas in* Pontificatu *curas geſsimus, ea non poſtrema ſit, ut* Mariæ *ſemper uirginis* Dominiq; *noſtri matris* Lauretanæ *phanū auguſtißimum; quod magnis ſumptibus atque impenſa multos*

ſa multos iam annos a Romanis Pontificibus conſtruitur; qua maxime conuenit diligentia & ſtudio conficiatur; eiuſq; phani prouentus probe cuſtodiãtur; reliquaq; omnia, quæ ad ipſius Virginis matris cultum lociq; religionem non ſolum retinendam, ſed longe etiam, ſi fieri poßit, adaugendam atq; amplificandam pertinent, recte adminiſtrentur: ipſius te Lauretani templi, ædium, domus, loci, prouentuum omnis generis, eiuſq; templi exædificationis, cultus, curationis, miniſtrorum, operumq; omnium procuratorem facio. De tua enim in Diuam pietate, in rem Romanam ſtudio, in me autem; cui quidem familiæq; meæ omnia pene uſq; a puero ſummæ cum integritatis & fidei, tum uero curæ atq; diligẽtiæ egregia & præclara officia præſtitiſti; peruetere obſeruantia uoluntateq; admonitus; nihil eſt rerum omnium, quod tibi recte mandari credique poſſe non exiſtimem. Itaq; tibi in eo procurationis munere obeundo eandem poteſtatem idémque ius largior in téque transfero agendi omnia, mandandi, ſtatuendi; quæ poteſtas quódque ius mihi, idem ſi agerem, mandarem, ſtatuerem, profecto eſſet. Quare tuũ erit; qui uirtute atq; ingenio ſic abũdas, nemo tibi in utriſq; ut præferatur, in ſingulis æquẽtur pauci; eum magiſtratum ita gerere; ut & phanum illud apud omnes homines plus in dies uenerationis et celebritatis acquirat; & mihi extet fructus laboris & induſtriæ tuæ. Dat. Cal. Iul. MDXV. Anno tertio. Romæ.

Leonardo

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 45

Cvm exiſtimarem propter ea, quæ tibi fœdera cum Turcarum Rege ſunt, non poſſe te aperte quicquam atq; palam cõtra illos moliri: eorum autem latrocinijs & incurſionibus, quas creberrimas faciunt; per me ipſe ire obuiam; oppoſitaq; illis loca noſtra communire atq; defendere cuperem: ſtatui triremes aliquot, quæ Anconi fabricatæ ſunt, deducere & ornare eam ob cauſam. Quare abs te peto; ut tormenta bellica, cæteraq; armamenta, quæ ad naues eas inſtruendas ſatis ſint; mihi commodes. Ea de re Auguſtinum Beatianum familiarem meum & ciuem tuum probum ipſum uirum & ingenio doctrinaq; præſtantem ad te mitto: qui tibi mentem meam latius explicabit. Cui etiam mandaui, ut certos Græcorum libros, quibus egeo, Venetijs perquireret: Ea in re ſi illum iuueris; erit mihi gratum. Dat. tertio Non. Iulias. Anno tertio. Roma.

Rafaello Petrutio, Epiſcopo Groſſetanorũ, Romanæ arcis Præfecto. 46

Vt amoris erga te mei atq; beneuolentiæ, & eius curæ; quam in Romana arce cuſtodienda mihi impendis; fructum aliquem iam nunc percipias: Carrantianam domum meam cum hortis, quæ ad portã Vaticanam egreßis urbem prima omnium ſeſe oſtentat; tibi

tat; tibi dono do, trado: eamq́; domum cum hortis tuam eſſe uolo; ita tamen; ut hæredes tuos ne ſequatur. Dat. XIII. *Cal.* Aug. Anno *tertio.* Romæ.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 47

DEDI *ad* M. Antonium Columnam *meum* P*ræfectam equitum litteras; quibus ei mando, ut cũ ſuis equitibus* CL. *tot enim ſunt;* Veronam *ſe quàm celerrime conferat.* Quamobrem *te hortor; ut eos equites; qui* Veronæ *ſunt, quorũ præfecturas* Mu*tius* Columna & Troilus Sabellus *gerunt, proficiſci* Parmam *atque* Placentiam *iubeas per* Mantuanum *agrum, aut qua ſecurius poſſe eos iter facere intelliges: ſed ita; ut omnem profectionis opportunitatem in celeritate poſitam exiſtiment.* Dat. VII. Id. Aug. MDXV. *Anno tertio.* Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 48

GVISIAE *Dominum conſiliarium tuum prudentem ſane hominem & grauem ac eloquentem uirum ad nos cum mandatis abs te miſſum libenter uidimus horas aliquot. Cui ad te redire feſtinanti bonum reditum ſum precatus.* Eorum, *quæ me rogas, quantam tibi partem conceſſerim; ab ipſo intelliges.* Equidem *omni tempore paternam tui curam & rationem habui: ſumq́; poſthac honeſta præſertim po*

XX *ſtulantis*

ſtulantis & quibus Reip.*dignitas coniuncta ſit; quæ quidem mihi mea uita eſt charior; ſic habiturus; ut facile cognoſci poßit, nullius apud me hominis auctoritatem plus ualere, quàm tuam.* Dat. *ſeptimo* Id. Aug. *Anno tertio.* Roma.

Franciſco Mariæ Metaurenſium Duci. 49

ETSI *in dubium mihi non uenit pro tua in me uoluntate animiq́; tui magnitudine; quin omnem ſis celeritatem adhibiturus; ut quemadmodum tibi mãdaui,* Internunciusq́; *tuus te facturum mihi recepit, cum tua manu quàm primum* Placentiam *te conferas: tamen magnitudo rei facit; ut etiam atq; etiam te de eo & monendum & hortandum putem.* Itaq; *ſummopere tibi præcipio, ut quantis maxime potes itineribus eò te conferas.* Nam *cum maximi quidem intereſt te cum tuis copijs ibi præſto eſſe: tum uero in tua tuorumq́; celeritate totius rei põdus atque ſummam eſſe poſitam debes exiſtimare.* Quare *maiorem in modum contẽdendum tibi eſt; ut de aduentu illuc tuo; quemadmodum quidem res poſtulat, quàm primum certior fieri poßim.* Dat. *quarto* Id. Aug. *Anno tertio.* Roma.

Prolegato Vmbriæ. 50

RVMOR *eſt, ex tua prouincia multos quotidie proficiſci, ut cum exteris* Regulis *militiam faciant.*

Quo

Quo cum nihil eſſe poßit indignius: pertinet enim ad maieſtatem huius Imperij, *ſuos homines atq; milites ſibi potius, quàm alienis nationibus uſui eſſe; mando tibi, eam profectionem prohibeas ſtudio diligentiaq; tua: edicasq; ne quiſpiam ad militiã exercendam alio ſe conferat.* Qui *ſecus fecerit; ei læſæ maieſtatis pœna eſto.* Quod *ſi erunt poſthac in tua prouincia, qui abitum parent; dabis operam ut capiantur & puniantur.* Dat. *decimoſeptimo* Cal. *Septemb.* Anno *tertio.* Roma.

Raſaello Vrbinati. 51

CVM *ad* Principis Apoſtolorum Phanum Ro*manum exædificandum maxime interſit; ut lapidum marmorisq; copia, qua abundare nos oportet, domi potius habeatur, quàm peregre aduehatur: exploratum autem mihi ſit magnam eius rei facultatem urbis ruinas ſuppeditare; effodiq; paßim omnis generis ſaxa fere ab omnibus; qui* Romæ, *quiq; etiam prope* Romam *ædificare aliquid, uel omnino terram uertere parumper moliũtur:* Te; *quo magiſtro eius ædificationis utor; marmorum et lapidum omnium: qui* Romæ, *quiq; extra* Romam *denum milium paſſuum ſpatio poſthac eruentur; præfectum facio ea de cauſa; ut quæ ad eius phani ædificationem idonea erunt, mihi emas.* Quare *mando omnibus hominibus mediocribus ſummis infimis; quæ poſthac marmora quæq; ſaxa omnis generis intra eum, quem di-*

xi, loci ſpatium eruent, effodient; ut te earum rerum præfectum de ſingulis erutis effoßisue quã primum certiorem faciant. Id *qui triduo non fecerit; ei a centum uſque ad trecentum numum aureorum quæ tibi uidebitur mulcta eſto.* Præterea *quoniam certior ſum factus multum antiqui marmoris et ſaxi litteris monumentisq; inciſi; quæ quidem ſæpe monumenta notam aliquam egregiam præ ſe ferunt, quæq; ſeruari operæpretium eſſet ad cultum litterarum* Ro*mánique ſermonis elegantiam excolendam; a fabris marmorarijs eo pro materia utentibus temere ſecari ita, ut inſcriptiones aboleantur: mando omnibus; qui cædendi marmoris artem* Romæ *exercent; ut ſine tuo iuſſu aut permiſſu lapidem ullum inſcriptum cædere ſecareue ne audeant, eadem illi mulcta adhibita, qui ſecus atque iubeo fecerit.* Dat. *ſexto* Cal. *Septemb.* Anno *tertio.* Roma.

Ferdinando Hiſpaniæ Regi. 52

Excvsationem, *quam affers, cur* Epiſco*pus* Malacitanus *uenire ad me hoc tempore non poſſit; libenter accipio.* Eſtq; *id, quod ſcribis, uerum.* Nam *ſi quo ei tempore per litteras mandaui, ut* Ro*mam ſe conferret, ſcire potuiſſem te illi munus aliquod mandauiſſe, ipſumq; in* Regni *tui tractandis adminiſtrandisq; rebus occupatum uerſari; eiuſmodi ad eum litteras profecto nõ dediſſem.* Præter *enim quàm quod ea, quæ tibi negotium aliquod aut in-*

commodum afferunt, mihi eſſe uſui nequaquàm poſſunt: hominem etiam ualde diligo: eſtq́; mihi cum illo conſuetudo ſane peruetus: ut gratum mihi atque iocundum ſit intellexiſſe eius te opera magnis in rebus uti. Itaque hoc illi uiæ atque itineris duplici de cauſa æquo animo remitto; & quod ei bene atque honorifice apud te eſſe mihi gratum eſt; & quod tibi, ut ſcribis, eius eſt & opera & induſtria domi cum iocunda, tum fructuoſa. Dat. *quinto* Cal. *Sept. Anno tertio.* Roma.

Heluetijs. 53

HANNIBALEM Rangonium Præfectum Prætorianorum *equitũ eiusq́; cohortis, qua tota ex ueſtris militibus utimur, & præſtantis animi iuuenẽ, & mihi in primis gratum, uenire ad uos ea de cauſa uolui; ut & uos meis uerbis ſalutaret; et mea in ueſtram fortiſſimam inuictiſſimamq́; nationem ſtudia beneuolentiamq́; oſtenderet: certioresq́; uos faceret, quãtæ mihi curæ eſſet ſalus dignitas gloriaq́; ueſtra.* Nam *cum is meo a latere fere nunquã diſcedat; qualis in uos animus mensq́; noſtra ſit, optime omniũ nouit.* Ei *etiam mandaui: ut & forti uos animo atq́; conſtanti eſſe ad rem communem tuendam & conſeruandam iuberet; quo & fuiſſe adhuc quidem uos plane cognoui, & poſthac futuros magnopere confido: & me nulla in re; quæ ad uos fouendos atque ornandos pertineret; defuturum polliceretur, pla-*

neq; reciperet. Quæ quidem ei ad uos mandata noſtra perferenda eo libẽtius dedi; quo ipſum ſcio animo eſſe in ueſtram nationem beneuolentiſsimo; ueſtramq́; uirtutem atq; in bellicis rebus præſtantiam magnopere & mente ſuſpicere, & oratione laudare. Sed & hæc & reliqua ab illo. Ego certe & *ut amiciſsimi hominis in uos officia præſtitiſſe me omni tẽpore profiteri prædicareq́; poßitis; libẽtißime procurabo: &* DEVM Opt. Max. *ut uos in ueſtra fortiter conſtanterq́; agendi conſuetudine cõtineat; ſuppliciter rogabo.* Dat. tertio Cal. *Septemb.* Anno tertio. Romæ.

Reip. Florentinorum. 54

QVONIAM *ad exædificandum* Principis *Apoſtolorum phanum* Romanum; *cui quidem rei, ut ſcitis, omnem meam curam & diligentiam adhibeo; arboribus ad conſtructiones idoneis nunc etiam deficimur: hortor uos, quod etiam anno ſuperiore ſum hortatus, ut pro rei pietate & ueſtra religione eam abietum uim cædi ab eius phani procuratoribus ueſtris in montibus permittatis; quam ipſi a uobis petent; ut facilius atq; celerius tam laudabilis tãq́; uenerãda omnibus hominibus ædificatio ueſtra ope ſurgere conficiq́; poßit.* Dat. tertio Cal. Septẽb. *Anno tertio.* Romæ.

Enrico

Enrico Nolæ Comiti. 55

Et audiui Traianum Nolanum Internuncium tuum: & tuas poſtulationes cõfeciſſem; ſi quo modo facere potuiſſem. Sed quoniam Ludouicus Petiliani Comes patruus tuus mea cauſa domo eſt profectus; eaq; eſt horum temporum natura, ut nulla pacis & concordiæ ſtudia exerceri poſſe commode uideantur: te hortor, ut pro meo in te amore duos aut tres ad ſummum menſes nihil moueas, cauſamq; ita ſe habere, quemadmodum nunc ſe habet, ſinas. Cõfido enim interea occaſionem mihi datum iri, rem ita, ut uolumus, maximeq; conuenit, inter uos communi concordia ſtatuendi. Quemadmodum ab ipſo Traiano cum his ad te litteris reuertente clarius intelliges. Dat. Prid. Cal. Septemb. Anno tertio. Romæ.

Heluetijs. 56

Ex litteris Marci Cardinalis Seduni de ueſtro in præſentibus rebus forti atque ad omnia difficilia ſuperanda fidenti alacriq; animo ea; quæ a ueſtra ſane uirtute expectari maxime poterant; intellexi: quæq; mihi magnam ſpem attulerunt, incepta noſtra cum DEI Opt. Max. nutu eos, quos uolumus, exitus habitura. Itaq; cum magnam uerißimamq; uobis laudem ea de re tribuendam puto: tum uos hortor;

etiam ſi minus neceſſe eſt id me facere: quid eſt enim uobis omnibus ad uiriliter agendum uel conſtantius uel omnino ardentius? ſed tamen uos hortor; ut eoſdem animos, fortitudinẽ, alacritatem adhibeatis usq; eo; dum res quam aggreſſi eſtis, auctore me uel Domino potius, explicata ſoluta confectaq; ſit. Quod quidem uos facturos multorum ueſtrorum antea recte præclareq; factorum recordatione non dubito. Quod ad me attinet; dabo certe operã, ut uobis omnibus in rebus, quæ ad ueſtra uel commoda uel ornamenta pertinebunt, pro Reip. uiribus dignitate adhibita, quàm uobis eſſe chariſſimam uideo, ſatisfiat. Dat. Prid. Cal. Septemb. M D X V. Anno tertio.

Vincentio Granatæ. 57

QVAE ad me de Conſalui Ferrandi Magni et uoluntate in nos, & pietate ſcripſiſti; ea mihi plane notiſſima perſpectiſſimaq; ſunt. Bene autem in eo ſe res habet: Nam illum item ego & unice atq; ſummopere amo; & facio, uti debeo, maximi. Virum enim pluribus uirtutibus præditum, bellicisq; in rebus clariorem hominem ætas noſtra non habet: atq; haud ſcio an etiam parentum auorumq; noſtrorum ætates habuerint. Reſpondere tibi autem ad reliquas partes epiſtolæ tuæ, ut te cupere uideo, plane non poſſum. Hæc enim tempora aliam rationem poſtulant. Reliquum eſt, ut ſcias tuum mihi ſtudium ualde gratum

de gratum eſſe. Dat. Prid. Cal. *Septemb*. MDXV. Anno tertio. Roma.

N 58

AD XII Cal. *Septembris quas ad me litteras dediſtis; eæ diligentiam mihi ueſtram oſtenderunt; qua uſi eſtis, ut me de Aſiaticis rebus certiorem faceretis*. Itaq; *quoniam uideo uos adhibere operam, néquid eorum a nobis ignoretur; in ea ueſtra diligẽtia atque officio plurimum conquieſcam*. Curabo *autem quod uos peruelle intelligo, néquid emanet; ne officium ueſtrum uobis noceat*. Vos *modo pergite, ut facitis; litterasq́; ad me omnibus illis de rebus date quàm creberrimas quàmq́; pleniſſimas*. Erit *id mihi uehementiſſime gratum*. Dat. *quarto* Non. *Sept*. Anno tertio. Roma.

Franciſco *Mariæ Metaurenſium* Duci. 59

ETSI *prioribus meis unis atq; alteris litteris hortatus te ſum; ut quanto celerius fieri poſſet, cum tua manu* Placentiam *accederes: idq́; curare te omni diligẽtia exiſtimo: tamen quoniam permagni intereſt quàm primum te illic eſſe: etiam atq; etiam te commonefacio; ut diligẽtiæ tuæ celeritatem; celeritati etiam alas, quod aiunt, addas; ut id, quod uolumus, abs te tuisq́; copijs citius atque temporius fiat*. In *quo ſi nihil prætermiſeris uel curæ, uel operæ, uel*

ræ, uel laboris; nihil erit tam magnum tâmque amplum; quod non tibi a me deberi facile ſim exiſtimaturus. Dat. *decimoſeptimo* Cal. *Sept.* Anno *tertio.* Roma.

Marco Antonio *Columnæ.* 60

Etsi *exiſtimem ante quàm hæ tibi noſtræ litteræ reddãtur, intellecturum te de* Iulio Medice *Cardinali* Legato, *quid te facere oporteat: ad tuas tamen litteras* Prid. Id. *Auguſti datas tibi reſpondeo; mihi placere, ut te quàm primum cum tuis equitibus* Veronam *conferas; ut celerius, quemadmodum quidem ualde opus eſt,* Raimundus Neapolis *Prorex eiusq́; equites* Verona *diſcedere, & quo expedit proficiſci poßint. Quæ ad tuendum id oppidum pertinent; ea tibi a* Prorege *parabuntur. Cæterum de tuis rebus uel admonitus a tuis ea faciam, quæ uolent ipſi; uel quod per me exiſtimare potero uelle te, non prætermittam: ut facile intelligas, me tui abſentis commodorum & dignitatis rationem habuiſſe.* Dat. XVII. Cal. *Septemb.* Anno *tertio.* Roma.

Franciſco *Gallorum* Regi. 61

Gratissima *mihi uoluntas tua fuit; quam in* Bernardum Bibienam *Cardinalem oſtẽdiſti ijs litteris; quibus mihi ſignificaſti cupere te; ut, ſi* Fe-

dericus

dericus Cardinalis ſancti Angeli mortem obiret, Eccleſiæ illum Maleacẽſi præficerem. Nam cum is propter ſuas plurimas excellenteſq; uirtutes, uitæq; cõſuetudinem mecum & cum meis omnibus prope usque a puero actæ, laboreſq;, quos quidem maximos adminiſtranda mecum Rep. ſuſtinet; ita mihi gratus probatuſq; ſit, ut neminem plus amem: nihil mihi accidere iocundius potuit; quàm te perſpicere in eius fortunis, quæ quidem perexiguæ perq; tenues ſunt, pro dignitatis ratione amplificandis pene nobiſcum certare. Itaq; cum tibi ea de re magnopere debeo: tũ uolo te ſcire, homini tibi deditiſsimo tuiq; ſtudioſiſsimo, atq; in primis beneficiorum plane memori & uehementer grato te fauiſſe; cuius ipſius in te obſeruantiæ & ſtudiorũ ipſi optimi teſtes ſumus. Verum quod ad Eccleſiam Maleacẽſem attinet; quoniam ei Petrum Cardinalem Anconitanum uirũ doctum ac bene de me deq; Rep. meritum iam præfeci; non queo aliter ea de re ſtatuere. Tibi tamen neque ipſe Bernardus Cardinalis minus debet, quàm ſi eam eſſet Eccleſiam conſequutus; neq; beneuolentia in illum liberalitaſq; tua minus mihi grata atq; iocunda eſt; quàm ſi ei Eccleſiam ipſam tua in tempore intellecta uoluntate contuliſſem. Itaq; exiſtimare plane potes; quantum ad animum utriuſq; noſtrum attinet; nihil omnino ea in re de tuo beneficio fortunã detraxiſſe. Quo te magis hortor; ut hanc ipſam egregiam in illum animi tui propenſionem uel retineas in poſterum, uel etiam augeas: quãdo ipſe hac illius

illius oſtenſione abs te facta ſuam in te beneuolentiã magis magisq; in dies omnibus eſt officiorum generibus illuſtraturus. Dat. V I I. Cal. *Sept.* Anno *tertio.* Roma.

PETRI

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER VNDECIMVS.

Franciſco Gallorum Regi. 1

CAPITA *fœderis inter te atq; me* Remq́; *hanc* P. *ſanciendi ab* Epiſcopo Tricaricẽſi *Legato meo allata* Romam, *tanquàm primordia & quaſi fundamenta uoluntatis utriusq; noſtrum, quod magnopere concupiui, conſociandæ libentiſsime uidi. Libentius autem ipſum* Epiſcopum *audiui. Plura enim mihi & clariora de tuo optimo in* DEI Eccleſiam *atq; nos animo egregiaq́; uoluntate narrauit. Quæ ſi uera ſunt, quemadmodũ quidem puto; cum te de hac tua pietate atq; mente uehementer laudo: nihil enim potes te dignius atq; præclarius facere; quàm nihil committere; quo te male gratum appellare* Dominus *tam in te largus tamq́; beneficus poſsit: tum ſpero fore ut hoc uirtutum tuarum ſpecimen, quod quidem in tam tenera ætate nobis das, cum ijs opibus, quas maximas atq; ampliſsimas habes, coniunctum & conſociatũ uniuerſæ* Reip. Chriſtianæ *magnũ breui adiu-*

mentum

mentum atq; ornamentum afferat. Itaq; eiuſmodi tuæ & uirtuti & pietati omnem noſtram & Reip. dignitatem tuendam ſtatui permittere: ut exiſtimare plane poßis, mihi te & eſſe iam charißimum, & ſemper fore. Neq; enim uereor; cum uideas te a me plurimi fieri; quin ſtatuas, hoc in fœdere ſanciendo honorem meum abs te neglectum iri non oportere. Quemadmodum ab ipſo Epiſcopo; quem quidem ad te eadē celeritate, qua eſt ad me profectus, intra biduum, aut ſummum triduum remittam; clarius omnia atq; apertius intelliges. Vale; noſq; dilige. Dat. quinto Cal. Octob. MDXV. Anno tertio. Roma.

Magno Galliæ Magiſtro. 2

INTELLEXIMUS ab Epiſcopo Tricaricenſi, quanto ſtudio, quantaq; pietate noſtras Eccleſiæq; res omni tempore iuueris; quamq; te noſtri obſeruantem ſemper oſtenderis. Quod quidem mihi gratißimum ſane fuit. Meam enim de tuis plurimis maximisq; uirtutibus illuſtriq; probitate tua, quam omnes homines prædicant, ſpem expectationemq; egregie confirmauit. Itaq; ea de re cum te uehemēter laudo: tum tibi polliceor, me tuæ operæ & ſtudij memoriam nunquam abiecturum. Reliqua ex eodem Epiſcopo ad Regem tuum propediem reuerſuro cognoſces. Dat. V. Cal. Octob. Anno tertio. Roma.

Duci

Duci Allobrogum. 3

STVDIVM & officium apud Franciſcum Gallorum Regem pro mea Reiq; p. dignitate tuenda adhibitũ tuum plurima me uoluptate affecit: de quo ſum ab Epiſcopo Tricaricẽſi coram admonitus: qui mihi ſumma cum tua laude multa narrauit, quãobrem meam dignitatem tibi fuiſſe chariſsimam cognoſcerem: attulitq; capita fœderis inter Regẽ atq; me ſanciendi tuo labore diligentiaq; confecta: quæ quidem mihi magna ex parte magnopere probãtur. Verum quod ad illa attinet; idem Epiſcopus, qui ſe ad Regem celeriter referet, mentem tibi meam explicabit; méque eius tui officij fore bene memorem pollicebitur. Te interea hortor; ut quod reliquum eſt, in eo eandem curam habeas noſtræ dignitatis: quæ tibi etiam ornamento eſſe poterit. Vale. Dat. quinto Cal. Octob. Anno tertio. Roma.

Iuliano Medici fratri. 4

NARRAVIT mihi Ioannes Veſpuccius familiaris tuus de ualetudine tua quotidie tibi melius eſſe, ſperaréque ſe breui te conualiturum: quo nihil mihi potuit afferri gratius, nihil iocundius. Neque enim in uita quicquàm habeo te uno charius. Quare te hortor ut reiectis alijs cogitationibus omnibus unum illud cures; te ut quàm primum confirmes, reſtituasq;

ſtituasq; tum priſtinæ ualetudini, tum nobis; tibiq; perſuadeas nos tui abſentis tuarumq; rerum omnium eandem curam habituros; quàm haberemus, tu ſi hic eſſes, atque a latere meo nunquàm diſcederes. Proinde optime & ſuauiſsime frater, ſi me amas ipſe; ſi te a me amari exiſtimas, bono fac animo, hoc eſt læto atq; uacuo ſis; ac nihil cogites præter hoc unũ, ut cito te ualentem & confirmatum habeamus. Dat. Cal. Octob. Anno tertio. Romæ.

Franciſco Gallorum Regi. 5

VENIT ad te Ioannes Laſcaris Conſtantinopolitanus obſeruantiſsimus & ſtudioſiſsimus tui, uir & genere apud Græcos admodum illuſtri, & doctrinæ optimarumq; artium & litterarum præſtantia & agendis rebus experientia, & morum probitate omnisq; uitæ comitate plane inſignis. Eum his tot tantisq; de cauſis & amaui omni tempore; & in Pontificatu prope quotidie ita eius uirtute ſum uſus; ut nemo illo mihi charior ſit; nemo iocundior. Neq; ſolum nos; ſed uniuerſa domus noſtra, atq; in primis Laurentius pater meus quotidiano prope in conuictu illum habuit; hominisq; familiaritate & conſuetudine mirifice eſt delectatus. Quare gratiſſimum mihi erit; ſi præter quàm quod is tuo in ære iampridem eſt; quodq; ualde dignus eſt, qui abs te diligatur; mea etiam cauſa arctius benignitate illum tua & liberalitate fueris complexus; oſtenderisq; ei meam

Digitized by Google

meam apud te commendationem plurimum ualuiſſe. Dat. Non. Octob. Anno tertio. Romæ.

Marco Antonio Columnæ. 6

GRATVM mihi admodum & optatum fuit id, quod tuis ad nos litteris eſt allatum, Maximilianum Rom. Imperat. deſig. ſui te exercitus Legatum feciſſe. Omnis enim tuæ dignitatis acceßio pro meo in te amore magnam mihi uoluptatem affert. Quarè quod ad meam uoluntatem attinet, ſine cuius ſignificatione ſcribis nolle te eam legationē accipere; libenti animo titulos tuos ut augeas, idq́; muneris obeas, tibi permitto. In quo ut magno illi uſui eſſe poßis; tibi erit enitendum non ſolum ut quod te decet facias; ſed etiam ut tibi uiam munias ad reliquos honorum & dignitatis gradus capeſſendos; quos quidem magnis atq; fortibus uiris & diligentibus tuiq; ſimillimis hominibus uirtus atq; induſtria patefacit. Dat. Non. Octob. Anno tertio. Romæ.

Magiſtratui Spoleti. 7

POST LXIII uirorum creationem, quam ex omni ciuitate fieri iußi ijs litteris, quas Non. Iulijs dedi; qui quidem pro iſtius oppidi ſtatu conſeruando munia publica procurarent; intellexi facile accidere poſſe, ut ciuitatis quieti conduceret, ut is numerus uel augeretur, uel ſubtraheretur; tū ali-

quorum iam declaratorum loco alij ſubrogarentur, ipſi eijcerentur. Itaq; *quoniam omni ex parte iſtorum ciuium paci & commodo conſulere magnopere cupio, nihilq́; prætermittere eorum, quæ iuuare eam rem poßint; uolo ut tibi; cuius prudentiam maximis in rebus & perſpexi ſæpe & probaui; poteſtas facultasq́; ſit eum, quem dixi,* LXIII *uirum numerum augendi, ſubducendi, antiquandi, reponendi; quæq́; tibi eſſe uſui ea in re uidebuntur, iubendi & ſtatuendi.* Quare *te hortor; ut omnem curam adhibeas; ut quam de te ſpem habeo fore, municipium ut iſtud optime abs te regatur; ea ne deſerar.* Dat. XIIII. Cal. Nouemb. Anno tertio. Thuſcanella.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 8

ALLATVM *eſt ad me* Picentes *exules, quos quidem de nobis male meritos eſſe omnes homines intelligunt, confidere ſeſe ab exercitu tuo* Regnũ Neapolitanum *per agrum* Picenum *petente reſtitutum iri; auxiliaq́; eis iri præbitum; quibus auxilijs eorum municipiorum ſtatum conturbare atq; conuellere, deq́; aduerſæ ſibi factionis ciuibus, qui de nobis bene merentur, uindictam ſumere pro libidine poßint.* Id *tametſi mihi; qui te prudentiamq́; tuam & probitatem noui, credibile non eſt: uolui tamen te & hortari & impenſius commonefacere, nolles eiuſmodi poſtulationibus* Picẽtium *exulum præbere*

tuas

tuas aures; neue quid eis concederes, quo moliri quippiam contra eius prouinciæ quietem noſtramq́; uoluntatem audeant. Nibil enim fere mihi grauius poſſet atq; moleſtius accidere; quàm ſi contingeret res illas ab eo, in quo nunc ſunt, ſtatu & temperatione diuelli & prorui. Dat. XIIII. Cal. Nouemb. Anno tertio. Thuſcanella.

Cardinalibus abſentibus ſingulatim. 9

ACCEPIT quemadmodum DEO Opt. Max. placuit Frāciſcus Gallorum Rex eas pacis conditiones, quas ei dedimus; libentiq́; animo nobiſcnm fœdus inijt: quam quidem pacem non ſolum huic urbi atq; Imperio, ſed uniuerſæ etiam Chriſtianæ Reip. confidimus maxime utilem & ſalutarem futuram. Nunc autem cum exiſtimem ad eiuſdem Reip. dignitatem magnopere pertinere, ut tota de re te reliquosq́; fratres meos B. R. Cardinales quàm primum conſulam; ut quæ agenda nobis ſint, communi omnium ſententia conſtituantur: peto abs te; ut omni mora poſthabita, quod commodo tuo fiat, Viterbium ad nos te conferas: quam ad urbem ad tertium Cal. Nouemb. erimus. Dat. XI. Cal. Nouemb. Anno tertio. Grauiſcis.

Franciſco Gallorum Regi. 10

MANDAVIMVS *Nicolao Fliſco & Iulio Me=dici Cardinalibus Legatis noſtris; ut tibi Bononiam ad nos uenienti obuiam proficiſcerentur; teq́; no=ſtro nomine exciperent; beneq́; tibi precarẽtur meis uerbis: & cum de lætitia, quam ex aduentu tuo ca=pio, tum alijs de rebus te certiorem facerent. Quæ ad te propterea ſcripſi; ut & ipſis fidem haberes te alloquẽtibus; & ſcires magnæ mihi curæ eſſe digni=tatẽ tuã.*Dat. IIII Non.Dec. *Anno* III. *Florẽtia.*

Dominico Cardinali Iacobatio, Legato Romæ re=licto. 11

QVONIAM *in hoc Franciſci Gallorum Regis ad nos aduentu cupio, ut is a me præclarum aliquod piumq́; munus habeat:* Volo *ut ſanctæ Crucis phanũ, quod in* Hieruſalem *dicitur, caſte atque perſancte adeas; capiasq́; tantum de Crucis* Dominicæ *truncu=lo, qui ibi aſſeruatur; quantum formæ cauſa hac in membranula ſcriptum atque depictum conſpicies.* Id *ubi feceris; eam ligni partem bene obſignatam per celerem tabellarium ad nos mittito cũ eius facti teſtificatione tua manu ſcripta; quæ* Regi *unà cũ li=gno tradatur.*Hæc *diligẽter curabis, & ualebis.* Dat. III Non. *Decemb. Anno tertio.* De *uilla Caſagio=li agri Florentini.*

Aloiſiæ

Aloiſiæ Franciſci Regis Gallorum matri. 12

QVEMADMODVM ei, qui cum uult atque ubi uult ſpirat, ſane placuit; Franciſcus Gallorum Rex filius tuus hodie Bononiam ad me ueniens clarum atque illuſtre mihi obſequij obſeruantiæq; munus præſtitit, ea pietate & religione; ut libentiſsime illum amantiſsimeq; obortis prope paterna lætitia lachrymis complecterer; ageremq; DEO Opt. Max. gratias; qui mihi filij ſui uicarium in terris gerenti dederit; ut huius Reip. maiorē dignitate & auctoritate filium tantum Regem, tantis opibus, tāta potentia præditū, omnibus animi corporisq; dotibus perornatum florentē ætate, eidē Reip. ſe tā pie coniungentē addicentem ſubmittentemq; conſpicerē. Valde enim confido fore; ut ea res uniuerſæ Chriſtianæ Reip. maximā & utilitatem et gloriā pariat. Quanquàm hoc quidē noſtrum tam mirificum gaudium ea etiā lætitia eſt conſequuta; quod cum illum ſubpoſtea priuato in congreſſu haberemus; ſpē expectationemq;, quā nobis primo aſpectu atque intuitu, primisq; illis habitis a ſe uerbis excitauit; pleno religionis & prudentiæ ſermone, ſuiq; in iuuanda Chriſtiana re atque populis erecti propenſiq; animi, déque nobis benemerendi cupidi oſtenſione etiam atque etiā auxit. Itaque has ad te quàm primū litteras dedi; quibus meā ex eius aduentu conceptam tecum lætitiam communicarem; ſignificarémque tibi nulla

eum ex parte, nulla ex re mihi non egregie, non amplititer, non cumulatiſsime ſatisfeciſſe; hortarérque te, ageres ipſa etiam Domino *gratias; qui te nõ ſolum tam potentis atque magni, ſed etiam tam pij, tam prudentis, tam alti animi* Regis, *tam tui, quod quidem perſpexiſſe mihi uideor, obſeruantis eſſe matrem uoluerit; quodq́; ipſa tuum in eo educando & inſtituendo ſtudium diligentiam laborẽ bene poſitum plane iã uideas; magnosq́; ex eo atq; optatiſsimos fructus capias; confidas etiam te in dies longe quidẽ maiores atq; uberiores percepturã.* Nõ *enim uereor quin exiſtimes; qui tibi neque dum plane adoleſcens &, ut uerius dicam, puer matri filius ſatisfacit, impletq́; cupidũ ſemper animum; eundem eſſe etiã deinceps annis pariter cum uirtute creſcẽtibus firmiores tibi de ſeſe iocunditates plenioremq́; lætitiam allaturum.* Q*uod ad me attinet; ſcire te plane uolo, nullum te in nobis erga illum boni patris officiũ ullo tempore deſideraturã.* Ne*q; enim ullam* Regis *ornãdi et dignitatis illius amplificandæ occaſionem prætermittã; ut ſe mihi ſentiat eſſe quàm chariſsimum.* Pergat *modo ipſe: quodq́; ſpecimen ueræ pietatis ac timentis* DEVM *animi cæterarumq́; uirtutũ tua in primis cura tuisq́; prudentibus conſilijs fultus iã dedit; id in poſterum tueatur, uel etiam exaugeat.* Q*uod ut facere melius atq; facilius poſsit; etſi currentem, ut credimus, incitatura ſis; tuas tamen maternas amantiſsimasq́; hortationes ipſa ne intermittito: adoleſcentemq́; bene inſtitutũ tibiq́; in primis*

parentem

parētem in eodē DEI *cultu & Reipub. obſeruātia, a qua ſibi ſperare omnia ornamenta poteſt, magis magisq́; in dies tuis præceptis tuisq́; monitis confirma & contine.* Dat. tertio Id. Dec. Anno tertio. Bononiæ.

Maximiliano Romanorum Imp. deſig. 13

EGIDIVM *ordinis Auguſtinianorū Eremitarum magiſtrum meū ad te Legatum mitto; ut tecum non ſane pauca utriusq; noſtrū ad munus, officium, dignitatē,* Reiq́; *pub. Chriſtianæ utilitatē magnopere ſpectantia cõmunicet meis uerbis; apud téque ſit, quoad illa tractabuntur & terminabuntur.* Is *quoniā eſt eximia integritate, religione, doctrina; omniúmque prope linguarum, quæ nunc quidem excoluntur, uſum atque ſcientiam, omnium bonarum artium diſciplinas cognitas & explicatas habet, te hortor; ut eū liberaliter excipias cū mea, tum ipſius etiam cauſa.* Hominē *egregium & tua clientela digniſsimum cognoſces.* Dat. Id. Dec. Anno tertio. Bononiæ.

Matthæo Cardinali Gurcenſi. 14

EGIDIO *ordinis Auguſtinianorum Eremitarum magiſtro ad* Maximilianū Imper. *deſignatum proficiſcenti, ut* Legatum *meum apud illum ageret, in primis mandaui; ut tibi ſalutem plurimam diceret;*

ret; quæq; a me diſcedens ad Maximilianum *mandata habuit, ea tibi omnia nota faceret; utereturq; in ijs tractandis maxime omnium conſilio tuo.* Itaque *quoniam exploratum mihi eſt, pro tua prudentia & auctoritate quantum adiumenti tuus illi fauor ſit allaturus: peto abs te; ut rem non magis illam quidem meam, quàm huius* Reipub. *atq; tuam, uel potius, ut uerißime dicam, omnibus* Chriſtia*nis populis communem, quantũ poteris iuues:* Egi*diumq; ipſum; quem quidem pro ſingulari eius humanarum diuinarumq; rerum ſcientia, bonarumq; artium omnium & litterarum doctrina, probitate, religione ita diligo, ut neminem eius ordinis æque charum habeam; & libenter uideas; & ei quaſi dux & moderator ſis earum rerum, quas tractabit: désque operam ut ipſe tibi plurimum debeat.* Mihi *certe nihil gratius facere poteris: idq; ut facias abs te peto.* Dat. Id. Decemb. *Anno tertio.* Bo*nonia.*

Vincentio Martinæ Luſitano *nauium* Præfecto. 15

C V M *propediem ad* Italiam *atq; ad urbem duas naues ſis adducturus; uolumus ut* Aluarum Rodri*gium &* Garſiam Reberum Luſitanos*; qui nuper ab* Hebraica *ſecta recedentes* Chriſtianæ Reip. *baptiſmatisq; ſacramento ſe addixerunt; cum ijs, qui unà cum ipſis uolent conſcendere, tuis nauibus imponas; ad* Italiamq; *perducas omni cum eorum ſupellectili,*

qua cum

quæ cum tranſmiſſuri te adierint. Quibus omnibus; ſi mihi gratiſsimum facere uis; cura atque effice, néqua moleſtia ullo ab hominum genere adhibeatur: ut, quod in te erit, incolumes ſe Romam conferāt. Dat. XVIII. Cal. Ianuar. Anno tertio. Bononiæ.

Ludouico Comiti sācti Bonifacij a cubiculo meo. 16

PETIIT a me Ioannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus multis precibus, uellem eius filiolum, quo proxime auctus eſt, ad ſacrum baptiſmatis fontem meo nomine admoueri. Quare te, cuius ſedulitas & ſtudium mihi probantur, interpretem & Internuncium eam ad rem meum facio: mandoq́; tibi, Mirandulam te ut conferas; Piciq́; & uxoris eius nuper editum filium, qui lauandus eſt, tuis ipſe manibus teneas; uicariumq́; meum geras; omniaq́; dicas atq; agas; quæ agi, quæq́; dici conſueuere in eiuſmodi celebritate ab ijs; qui compatrum nomine atq; uinculo colligandi ſunt cum infantium lauandorum parentibus. Infanti autem, cum lotus erit, bene dices, beneq́; precabere meis uerbis. Dat. XVIII. Cal. Ianuar. Anno tertio. Bononiæ.

Regi Luſitaniæ. 17

CVM nobiſcum per litteras & per Internuncios diligenter egiſſet Franciſcus Gallorum Rex, ut ſe ad

ſe ad nos accedere uellemus; intellexiſſemusq́; de illius recto in nos atq; in Remp. *uniuerſam propenſo animo multa; quæ ſpem nobis faciebant, ſi ſe is ad nos contuliſſet, fore, ut eiuſmodi congreſſus noſter aliquid certe in cõmunem utilitatem boni pareret; libenti animo ei permiſi, ut ad me* Bononiam *accederet.* Itaq; *ille ad tertium* Id. Decemb. Bononiam *cum ueniſſet; ita omnes boni & pij* Remq́; *pub. atque nos obſeruantis ac uere* Regis *partes impleuit; ut nihil neque a me, neque ab ullo meorum fratrum* Cardinalium, *qui pene omnes mecum erant, deſideraretur.* Secretioribus *uero in ſermonibus colloquutionibusq́; noſtris cum illius animum atq; mentem diligentius pertentarem; ſtudia cogitationesq́; eius omnes ad rem* Chriſtianam *tuendam iuuandam amplificandam mirifice conuerſas atq; directas cognoui: ipſum autem cum & probum, & ut illa ætas fert, etiam prudentem & alto ac magno animo præditum; tum etiam facilem ad curas ſuas deſideria ſpes conatusq́; omnes remittendos perſpexi; dum illud tam pium, tam iuſtum, tam ſane etiam neceſſarium in* Turcas *bellum non uerbis & litteris, ut ſæpe aliàs; ſed re atq; opera unanimi conſenſu conſpirationeq́; ſuſciperetur.* Quæ *cum uidiſſem;* Regiúmque *animum, quaſi quod manu tangitur, tenuiſſem: eſt enim plane bonus; hoc eſt aperto ingenio ac perliberali: egi quidem primum* DEO Opt. Max. *plurimas genibus innixus gratias: qui mihi eius filij uicario in terris dederit; ut tantum* Regem, *tanta uirtute,*

tute, tanto gerendarum rerum initio, ea ætate, ijs opibus, ad eam profectionem ſuſcipiendam tam alacrem, tam nobiſcum coniunctum & conſociatum, quaſi de cœlo miſſum aſpicerem. Deinde *has ad te litteras dare uolui; tum ut tibi omnia ſignificarem; quæ quidem tibi pro tua religione & pietate, proq; tuis* Reip. *Chriſtianæ cauſa multa impenſa, ſingulari perſeuerantia, incredibili labore, nouis inuſitatisq; ac prope inauditis antea ſuſceptis peregrinationibus & bellis fore tibi gratiſsima nõ dubitaui: tum ut te hortarer, abs teq; etiam atq; etiam peterem; quando imminere noſtris ceruicibus* Turcarum *Regem acerrimum atq; bellicoſiſsimum uides; te ut nobiſcum hoc ad bellum pares; atq; ita quidem pares; ut reiectis reliquis conſilijs tuis omnibus nihil cogites, niſi hoc, quod dixi, unum: quod quidem maxime omnium cogitandum aggrediẽdum explicandũq; eſt. Spero enim in ipſo, cuius cauſam agimus,* DEO; *ſi ad noſtram* Regisq; Gallorum *copulatam uoluntatem tuam etiam uolũtatem, tuam prudentiam auctoritatem, tuas opes alacri magnoq; animo adiunxeris; fore; ut quæ alij omnes multorum ſæculorum* Reges *uix optare auſi ſunt; ea nos ſumma cum Chriſtianæ* Reip. *tuaq; in primis laude celeriter atque facillime conſequamur.* Nullus *enim reliquorum* Chriſtianorum Regum *atq;* Principum *erit; modo uere Chriſtianus ſit; qui cum nos ad id coniunctos animatosq; uiderit, non ſe etiam comparet ad bene de Chriſtiano nomine pro uirili parte*

communi in re atq; cauſa promerendum. Quemadmodum omnibus his de rebus cum Legato *tuo ſumus loquuti*. Accinge *itaq; te cum* DEI *auſpicio & nomine ad rem cogitationemq; tam præclarã ſuſcipiẽdã: &* Domino*, qui tibi tantũ* Regnorũ *dedit; eorundẽ* Regnorũ *opes prome: ut recuperare amiſſa turpiter a maioribus noſtris ea, in quibus ipſe naſci uerſariq; inter mortales, demũ etiam pro ſalute noſtra obire mortẽ uoluit, loca terramq; plane ſanctã poßimus*. Vt *qui te illi gratum* Chriſtianæ *ditionis fines ultimo in orbe terrisq; ignotis tua tantum uirtute, nullis ſocijs nulloq; adiutore longe lateq; promouendo præſtitiſti; idem te media in* Europa *atq;* Aſia *una nobiſcum recuperanda gratum etiam præbeas; poßisque ad tuam propriam priſtinamq; gloriam communis quoque gloriæ cumulum adiungere; ſisq; omnium pariter & gratißimus & uera ſolidaque laude cumulatißimus*. Dat. XIX. Cal. Ianuar. MDXV. *Anno tertio*. Bononiæ.

Heluetijs fœderis Griſii. 18

PRO *mea in uos ueſtráque commoda libenti paternáque uoluntate, próque ea coniunctione & fœdere, quod inter me atq; uos ſanctum firmatúmque eſt; certiores uos facio; me,cum* Franciſcum Gallorum *Regem ad huius* Reip.*uniuerſæque rei* Chriſtianæ *dignitatem tuendam atq; amplificandam propenſum animatúmque cognouiſſem; cũ illo fœdus inijſſe: quo*

ſe: quo in fœdere unum eſt caput; quo capite eũ ditionémque eius defendere contra omnes bellum Regi molientes teneor. Itaq; hoc uobis cognitum eſſe uolui; cum ut ſciretis unà cum Reip. maieſtate coniunctã eſſe Gallorum Regis amplitudinẽ atq; potentiã: tum ut; quoniam intelligo eſſe quoſdam, qui armis inuadere in eius ditionem cogitent; illos in eo cognoſceretis non ſolum contra Regem, ſed etiã contra me eſſe facturos: idq; me quidem nihilo ſecus, ac ſi tantummodo in me arma ſumpſiſſent, eſſe exiſtimaturum. Dat. quinto Cal. Ianuar. MDXV. Anno tertio. Florentia.

Franciſco Gallorum Regi. 19

CONSTANTIAM Varambonam Philibertæ fratris mei uxoris, materteræq; tuæ familiarem lectiſſimam fœminam paterna charitate ſane proſequor; eiusq; cauſa cupio omnia. Quare te hortor, ut in re dotis ei iampridem debitæ; cuius dotis Maximilianus Sfortia ſeſe prædem conſtituerat; mandes ut mulieri ſatisfiat: neque permittas probam nobilemq; fœminam ſua dote ſpoliatam iacere tãdiu, fruſtraq; implorare auxilium pietatis & liberalitatis tuæ. Egit tecum proxime, Bononiæ cum eſſes, hac ipſa de re matertera eadem tua per ſeſe; agitque nunc etiam, ut intelligo, per internuncios: quæ quidem pro ſua excellenti uirtute & ueſtra propinquitate digna eſt, quæ a te talia impetret, præſertim

ſertim nobis commendantibus. Itaq; non agam tecum pluribus. Vnum dicam: ſi Conſtantiæ ſatisfieri celeriter iuſſeris; id mihi per quàm gratum fore. Dat. tertio Non. Ian. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Magiſtratui Viterbienſi. 20

MANDAVIMVS Ioanni Iordano Vrſino propinquo noſtro; ut controuerſias inter hæredes Bartholomei Aluiani nuper exortas auctoritate ſua cōponeret; eáſque quo celerius poſſet, omni ſtudio et diligentia ſedaret. Id cum Iordanus facere ſeſe poſſe plane diffidat; nobiſque ſignificet, per alteros eorum ſtare, quo minus res, ut uolumus, conficiatur; qui honeſtati & quieti ſeſe dare nequaquàm uolunt; cum alteri imperata facere paratiſſimi ſint: mando tibi, ut tui muneris atq; officij partes ea in re atq; cauſa poſthac præſtes: omniáque agas & efficias; quæ tibi & Iordano ipſi agenda eſſe uidebuntur: cui ſcimus æqua & honeſta & utriſque commoda & ſalutaria uehementer probari. Dat. Id. Ianuar. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 21

VOLVMVS, ut naues ſale onuſtæ uſque ad numerum quinque nauium; quas Leonardus Lauredanus Venetiarum Princpes Pado amne Bergomum mittit;

mittit; libere & ſine ulla portorij mora per tuam ditionem iter faciant. Dat. *ſexto* Cal. Febr. *Anno tertio.* Florentia.

Epiſcopo Foroliuiẽſium in Hiſpania Internũcio. 22

MISSVS *iſthuc a* Iuliano Medice *fratre meo ad* Hiſpanos *equos aliquot emendos ad nosq́; perducendos is, qui has tibi litteras reddidit; certiores nos fecit, eos ſeſe equos emiſſe quidem iam; exiſtimaréque ea ſe nobis emptione ſatisfacturum. Verum ex iſta eos prouincia educendi impetrare ſe facultatem non potuiſſe a* Regijs *miniſtris. Quare mando tibi, ut* Regem *adeas ea de re; petásque mandet ſuis; ut equi illi; qui quidem ad decem ſunt; educi ex eius* Regno *poſſint, ad nósque perduci: ut ſi eorum aliquis ad nos uectandos erit idoneus; eo utamur.* Dat. *quarto* Cal. Febr. *Anno tertio.* Florentia.

Antonio Abbati *ſancti* Bertini. 23

IMAGO *diui Chriſtophori; quam nobis dono miſiſti; pro mea in te ſingulari pérque uetere beneuolẽtia mihi ſane gratiſſima fuit; nõ quod ea mihi ad tui memoriam, ut ſcribis, excitandam uti neceſſe ſit: cuius ob oculos ex eo, quo te uidimus, ualde quidem longinquo tempore ſatis crebro amantiſſime ſuauiſſiméque uerſaris: ſed quia ea omnia, quæ abs te proficiſcuntur, uti ab homine mihi chariſſimo*

iocundiſſimóque

iocundiſſimóque miſſa mirifice me delectant. Reliquum eſt; *ut te conſerues; ſenectámque iſtam tuam & ualentem et firmam cura diligentiáque tua quàm lõgiſſime protrahas:exiſtimésque te a me et ſummopere amari, & fieri plurimi.* Dat. Cal. Febr. Anno *tertio*. Florentia.

Maximiliano Rom.Imper.*deſig*. 24

ETSI *exiſtimo eius te rei nuncium iam accepiſſe, qua de re graui cum dolore ad te ſcribo: uel magnitudo tamen ipſius, uel mea in te beneuolentiã facit; ut ſtatuerim de ea te certiorem fieri meis etiã litteris oportere*. Itaq; *ſcies meos in* Hiſpania Internuucios *ſcribere*, Ferdinandum Regem *ea nocte,quæ nox diem* x i. Cal. Febr. *eſt conſequuta,uitam cum morte commutauiſſe*. Equidem *ſatis commemorare non queo, quantum nobis moleſtiæ, quantum mœroris tam grauis, tam prudẽtis,tam noſtri &* Reip. *obſeruantis, tam bello & pace præclari excellentiſq;* Regis *mors atq; interitus attulerit, exiſtimãtibus multum nobis, multum* Romanæ *rei, multum etiam* Chriſtianæ *publicæ eo extincto* Rege *tũ præſidij tum ornamenti eſſe ſublatum*. Quas *ad cauſas tot atq; tantas doloris mei illud etiam accedit; quod te ſcio eius uiri obitum grauiter et moleſte laturum, quippe,qui magno ſapiẽtiſſimoq;* Rege *& tui amãtiſſimo tecumq; coniunctiſſimo te deiectum & ſpoliatum intelliges*. Quamobrẽ *uti de cõmuni utriusque*

que noſtrum, aut etiam uniuerſæ Chriſtianæ rei dãno atq; iactura grauiter atq; magnopere doleo; animiq; mei uberrimum tecum mœrorem & ægrimoniam partior. Quod cum facio; tum DEVM *oro quæſoq;, ut te eſſe apud homines eo diutius uelit; quo Ferdinando Rege optimo atque maximo noſtri homines ſpoliati auctoritatis, prudentiæ, temperantiæ, conſiliorumq; tuorum impẽſius indigebunt. Dat. quinto Id. Febr. Anno tertio. Florentia.*

Vladislao Pannoniæ Boëmiæq; Regi. 25

LECTIS *tuis ad nos litteris, quibus cum litteris erat exemplum earum litterarum, quas Turcarum Rex de pace tecum ſancienda, aut ſaltem de inducijs ſtatuẽdis ad te ſcripſerat; quibus me litteris ſuper ea re conſulis; petiſq; a me, uelim, quid tibi agendum ſit, mature conſtituere, ad teq; perſcribere: Viſum eſt mihi faciendum; ut adhibitis ſtatim meis fratribus* S. R. *Cardinalibus tanta de re inter nos ſententiæ dicerentur. Quod cum eſſet agitatum; tandem omnium conſilio atq; ſententia decreuimus ad te ſcribi oportere, nullo ut pacto non ſolum pacem, ſed ne inducias quidem ullas cum Turcarũ Rege faceres: nec tuã illi fidem, qui nulla fide obſtringitur, obligares: neue cauſam dares eo fœdere perpetuis noſtris hoſtibus rem Chriſtianam pub. commodius atq; facilius perturbandi. Nõ enim Rex pacem tecum uult ullius boni cauſa; ſed tantummodo*

gnopere uoluiſſe. Quare te hortor; ut eius ſacerdotij poſſeßionem ita ei liberaliter mandes dari; ut cognoſci facile poßit, qui mihi charißimi ſunt, eos etiam abs te diligi: id, quod ego quidem in tuos & feci ſæpe, & facio quotidie: ut quos mihi commẽdas ipſe, eos ſic ornem; ut tibi non uel chariores eſſe uideantur, uel coniunctiores; quàm mihi. Id ſi tu quoque hoc in homine feceris, ut uideare eius ornandi cauſa mecum quaſi certare uoluiſſe; erit mihi ſupra quàm dici poßit, gratum: utq; facias; etiam atq; etiam abs te peto. Dat. Prid. Non. Febr. Anno tertio. Florentia.

Epiſcopo Veſprimienſi. 27

CVM intellexiſſem Turcarum Regem ab Vladiſlao Pannoniæ Boëmiæq; Rege per Legatum ſuum petere; ut uel pacem ſecum, uel inducias triennales conficeret: de fratrum meorum S. R. Cardinalium ſentẽtia dedi ad eum litteras; quibus ab eo magnopere petij, nihil eorum, quæ poſtulabantur, faceret; neq; ſe cum hoſte ſuo noſtroq; ulla conditione coniungeret. Pollicitus autem ei ſum, daturũ me operam, ut communi Regum omnium & Principum Chriſtianorum pecuniæ collatione iuuetur; ut ſe ſuosq; populos tueri, atq; propellere hoſtem poßit: ſcripſiq; ad ſingulos ea de re diligentißime. Quorum qui uicinus nobis erat, Franciſcus Gallorum Rex mihi amantißime reſcripſit, omnia, quæ uellem,

uellem, libentiſſime ſe facturum. Itaq; confidimus, ut maxime opus eſt, ita fore: reliquosq; Reges omnes idem reſponſuros, idemq; facturos. Quod cum erit ab ipſis cōfectum; omnem illorum ſtipem mea cum ſtipe, quanta maxima fieri poterit, per meos homines magnis itineribus iſtò mittam. Quibus de rebus omnibus te certiorem facere uolui; ut ſpem haberes, Vladislaum Regem & ipſum & eius populos non ſolum, qua ſe tueri; ſed etiam qua, ſi uolent, offendere hoſtem poßint, propediem habituros. Dum hæc autem interea comparantur; ſi tibi ad tuenda auxilijsq; munienda Illyrici municipia operæpretium erit commeatus is, quem in oppido Sibinico Gilius cortonenſis meo nomine aſſeruandum reliquit: permitto tibi; ut eo uniuerſo, quemadmodum tibi uidebitur, ſic utare. Hortor autem te; ut ſtudium diligentiamq; tuam, curam, laborem, animiq; tui fortitudinem mihi plane iam, uel omnibus potius hominibus cognitam ijs in rebus adminiſtrandis ita exerceas; ut, quod ſpero, & Reipub. Chriſtianæ dignitas per te retineatur; & tui gloria nominis augeatur; & tibi ipſe magis magisq; debeam. Dat. XVII. Cal. Martias. Anno tertio. Florentia.

Heluetijs pagorum octo. 28

GRATISSIMAE mihi ueſtræ litteræ fuerunt: quibus me certiorem feciſtis, uos meis hortationi-

bus impulſos cum Franciſco Rege Gallorum *amicitiam contraxiſſe, fœdusq́; percußiſſe: eaq́; de re ueſtram in me pietatem, quam pulcherrime oſtendiſtis, & propenſos ad pacis ſtudia concordiamq́; ueſtros animos uehementer probo, efferoq́; magnis & uerißimis laudibus. Spero enim fore, ut ueſtra ea cum* Rege *illo inita beneuolentia & coniunctione admoniti reliqui noſtri* Reges *ad communem pacem, quam uelle omnes atq; optare tantopere debemus, conciliandam faciliores & lubentiores conueniant; eaq́; ſtatuant, quæ ex uſu dignitateq́;* Reip. *maximopere ſint futura.* Hortor *autem uos, amantißimeq́; commonefacio; in eam curam cogitationemq́; incumbatis; id enitamini; ut reliqui etiam ueſtræ nationis populi eandem pacem, idem fœdus cõficiant; conglutinentq́; cum uobiſcum quidem ſeſe ſuosq́; animos: ne dum eiuſdem corporis partes atq; membra contraria inter ſe pugnantiaq́; tendunt eſſe; exiſtimationem apud omnes homines ueſtram incredibili uirtute partam imminuant; & opes ipſæ uiresq́; ueſtræ diſcretæ atq; diſſociatæ debilitentur: tum certe etiam cum* Romana *re atq; nobiſcum: ut quam antehac* DEI Opt. Max. *Eccleſiæ maieſtatẽ contra labefactare illam atq; proterere impudenter aggreſſos ueſtro ſanguini non parcentes ſæpenumero protexiſtis; eadem in poſterum per diſcordiam dißidiaq́; ueſtra nullam a ſuis hoſtibus offenſionem, nullam inſignem notam accipiat: uosq́; omnes et ueſtra natio uniuerſa tam præclara, tam fortis, tam*

ſemper

ſemper huius certe Imperij Romanorúmque Pontificum ſtudioſa, conſentiens ſecum ipſa atque unanimis in eiſdem ſtudijs maneat: quæ quidē ſtudia multum uobis dignitatis, multum auctoritatis & pepererunt iam; et ſunt profecto; ſi neq; in ueſtris inter uos ſententijs, neq; in huius Reip. obſeruantia infirmi labantesq́; eritis; etiam deinceps paritura. Cæterum quod ad Cardinalem Sedunum attinet; ita illi ſcribimus; ut ſperandum uobis ſit, ipſum quidem amantiſſimis noſtris & conſilijs et precibus permotum ueſtra poſthac concordiæ ſtudia non impediturum. Nihil autem eorum prætermittam tum hac ipſa, tum cæteris in rebus; quæ ad ueſtros animos cōiungendos & conſociandos eſſe uſui uel ipſe per me cognoro, uel a uobis admonebor. Quod ut faciatis, litterasq́; ad me quàm creberrimas omnibus de rebus mittatis; ſane peruelim. Dat. XVI. Cal. Mart. *Anno tertio.* MDXVI. Florentia.

Marco Cardinali Seduno. 29

CERTIORES *nos per litteras fecerunt* Heluetiorum Legati *uicorum octo nobiſcum fœderatorū, qui in oppido* Bergenſi *conuenerant; ſe, quo facilius nos communem omnium* Chriſtianorum *concordiam inire, neceſſariamq́; in* Turcas *profectionem parare atque conficere poſſemus; ſuas cum* Franciſco Rege Gallorum *ſimultates atque inimicitiam depoſuiſſe: neque dubitare, quin conſentientes ſtatim unà cum*

ipſis futuri ea in re fuiſſent reliqui eorum fœderis ſocij: niſi tu eis impedimẽto fuiſſes; tuisq; eos ſtudijs a propoſito retraxiſſes. Deq; eo *grauiter apud nos ſunt conqueſti: utpote qui præuideant; ſi, quæ optas, quæq; conaris, effeceris; nouos bellorum in* Chriſtiana Rep. *motus, magna inter ipſorum ſocietates diſſidia, grauiſſimasq; breui tempore diſſenſiones futuras.* Quæ *quidem nobis omnia incredibilem moleſtiam attulerunt, fortiſſimæ illius nationis conſenſum atq; concordiam, et* Chriſtianorum Principum *unanimem præclarum illud ad bellum conſpirationem ſummo iampridem ſtudio deſiderãtibus atque ſpectantibus.* Quamobrem *has ad te ſtatim literas duxi dandas: quibus te commonefacerem atque hortarer ab incepto deſiſteres: quietiq; potius & tranquillitati; quàm bellorum & diſcordiarum fouendis initijs incendendisq; animis tete dares: cogitaresq;, quàm te deceat cum a nobis diſſentire atq; in alia omnia diſcedere; qui pro tua dignitate una nobiſcum* Romanæ Reip. *curam ſuſtines; tum* Heluetiorum *nationem tam egregiam, ex qua oriundus es, concordiæ præſertim cupidam uelle diſſociare atque dirimere.* Quod *ſi tu uel priuatus omnino, uel alienus homo eſſes; deberes tamen & cum* Reip. *uoluntate* Romaniq; Pontificis *ſtudijs conſociare ſtudia et uoluntatem tuam; & uelle fortem præclaramq; gẽtem illam & populos concordes potius inter ſeſe eſſe; quàm bellis inteſtinis laborare:* Nihil *eſt enim tam alienum a boni uiri prudentisq; hominis conſilijs;*

lijs; quàm, quæ coniuncta pacis & beneuolentiæ ſtudijs præſtat eſſe, ea cupere dareq́; operam, ut bellis & diſſenſionibus conterantur. Cum uerò & unus ſis ex meis ipſis fratribus E. R. *Cardinalibus, & in* Heluetiorum *terra* Heluetijs *parentibus atq; maioribus genitus; uide, quam de te hominum opinionem ſis excitaturus; cum & a nobis atq; a* Rep. *diſſentias; & ea tractes, quibus* Heluetiorum *natio, quæ te progenuit, a pace atq; concordia ad arma ſeditioneſq́; concitetur.* Quanquàm *id quidem etiam mouere te plurimum debet:* Quod *in eo uniuerſæ rei* Chriſtianæ *p. male conſulis: quæ quidem maxime in* Heluetiorum *& inter ſe concordia, & cum re* Romana *coniunctione, tanquàm in optimo totius ſpei rerum bene gerendarum fundamento atq; initio, nititur.* Neq; *a me illud quoq; ſilebitur; amorem erga te meum, quo te ſemper fraterne colui, ueterémque beneuolentiam mereri; ut ne noſtris conatibus, præſertim cum omnium* Chriſtianorum *bono atque ſalute coniunctis ad pacem otiumq́; tẽdentibus ire obuiam ſtatuas, aduerſariumq́; te pares.* Quod *ne perg as facere; atq; ut uerborum* Domini *memor, qui pacem nobis diſcedens commendauit, pacem & cõcordiam nationis tuæ iniri cœptam ne impedias; per huiuſce* Reip. *dignitatem; cuius eſſe propugnator in primis debes, & mehercule conſueſti; perq́; eam, qua* Chriſtianus *es, religionem, abs te magnopere quæſo & poſtulo.* Id *ſi feceris; & ipſe tuorum in me officiorum & plurimorum neque ſane leuiſſimorum*

rum memoriam nũquàm proijciam: & dignitas tua principem apud me curam locumq́; ſemper obtinebit: et facies quidem ex uſu cum omnium hominum, tum tuorum maxime ciuium, ſed certe atq; in primis tuo. Dat. XVI. Cal. Mart. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Ioanni Franciſco Pico Mirandulæ domino. 30

EGIT mecum per Internuncium ſuum Franciſca Triultia, quæ Ludouici fratris tui uxor fuit, grauiſsimis mehercule querelis: cum ſe diceret intolerabilibus a te iniurijs quotidie affici: qui bona et fortunas ad ſe ſuumq́; filium ſpectantes intercipias ruptis ſpretiſq́; ſtipulationibus; quas utrique Matthæum Cardinalem Gurcenſem auctorẽ ſequuti probaſtis. Itaque precibus omnibus petijt; ut ſe uiduam mulierem ſuumq́; filium pupillum fratris tui filium abs te ſpoliatum iri ludibrioq́; eſſe ne permitterem. His auditis cum Internũcium item tuum admiſiſſem; is apud me de Franciſca ijſdem fere uerbis eſt conqueſtus: atque ab illa tum intercipi fortunas tuas; tum non ſtari pactis Gurcenſianis longa conſtantiq́; oratione diſſeruit; opemq́; meam atq; auxilium implorauit. Ego quidem; cui familia ſane ueſtra magnæ curæ ſemper fuit, ægerrimeq́; fero diſceptationes eiuſmodi atque diſsidia inter uos exerceri; te; quem quidem; cum uir ſis, & bonarum artium ſacrarumq́; litterarum excellas ſtudijs; decet etiam

fœminis

ſœminis & prudentiorem eſſe, & ab inferendis iniurijs alieniorem; primum atque præcipue hortor; ſi lapſus in aliquo es, pactaq́; illa ueſtra læſa abs te præteritaq́; ſunt; uelis meo rogatu & ablata reſtituere, & in poſterum curare, né quis eo nomine conqueri de te iure poßit. Quid enim facere illos oportet, qui obſcuri & ſine nomine ſineq́; ullo cultu litterarum ſunt: cum doctos & philoſophia diuinarumq́; rerum ſcientia præditos homines, & præclaros ac perilluſtres uiros uideant tam turpiter labi tamq́; acerbe delinquere nõ in alienos, ſed in ſuos? Hoc autem; quod te hortor, quodq́; te facere eſt æquißimum; ut libentius facias; ſcire te uolo hæc me omnia per litteras a Franciſca ipſa petere; quæ his abs te litteris peto. Quare tuum erit dare operam atque efficere; ne nos quicquàm abs te eiuſmodi fruſtra petijſſe uideamur: neue cogamur aſperius aliquid in te, quàm uellemus quàmq́; conſuetudo noſtra fert, eo nomine ſtatuere. Dat. ſexto Cal. intercalares priores. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Franciſcæ Triultiæ Concordiæ dominæ. 31

ET longum apud me ſermonem, & plenũ querelarum grauißimarum habui Ioannis Franciſci Pici Mirandulæ, qui uiri tui frater fuit, procurator ijſdem fere uerbis; quibus antea Internuncius apud me tuus cauſam tuam egerat: ſe ſcilicet non unis a te neq; leuibus contumelijs eſſe uexatum: dum ea, quæ

ſui iuris

ſertim nobis commendantibus. Itaq; non agam te=cum pluribus. Vnum dicam: ſi Conſtantiæ ſatisfie=ri celeriter iuſſeris; id mihi per quàm gratum fore. Dat. tertio Non. Ian. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Magiſtratui Viterbienſi. 20

MANDAVIMVS Ioanni Iordáno Vrſino pro=pinquo noſtro; ut controuerſias inter hæredes Bar=tholomei Aluiani nuper exortas auctoritate ſua cõ=poneret; eásque quo celerius poſſet, omni ſtudio et diligentia ſedaret. Id cum Iordanus facere ſeſe poſſe plane diffidat; nobiſque ſignificet, per alteros eo=rum ſtare, quo minus res, ut uolumus, conficia=tur; qui honeſtati & quieti ſeſe dare nequaquàm uo=lunt; cum alteri imperata facere paratiſsimi ſint: mando tibi, ut tui muneris atq; officij partes ea in re atq; cauſa poſthac præſtes: omniáque agas & efficias; quæ tibi & Iordano ipſi agenda eſſe uide=buntur: cui ſcimus æqua & honeſta & utriſque commoda & ſalutaria uehementer probari. Dat. Id. Ianuar. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Alphonſo Duci Ferrarienſium. 21

VOLVMVS, ut naues ſale onuſtæ uſque ad nu=merum quinque nauium; quas Leonardus Laureda=nus Venetiarum Princpes Pado amne Bergomum mittit;

mittit; libere & ſine ulla portorij mora per tuam ditionem iter faciant. Dat. *ſexto* Cal. Febr. *Anno tertio.* Florentia.

Epiſcopo Foroliuiẽſium in Hiſpania Internũcio. 22

Missvs *iſthuc a* Iuliano Medice *fratre meo ad* Hiſpanos *equos aliquot emendos ad nosq́; perducendos is, qui has tibi litteras reddidit; certiores nos fecit, eos ſeſe equos emiſſe quidem iam; exiſtimaréque ea ſe nobis emptione ſatisfacturum. Verum ex iſta eos prouincia educendi impetrare ſe facultatem non potuiſſe a* Regijs *miniſtris. Quare mando tibi, ut* Regem *adeas ea de re; petásque mandet ſuis; ut equi illi; qui quidem ad decem ſunt; educi ex eius* Regno *poßint, ad nósque perduci: ut ſi eorum aliquis ad nos uectandos erit idoneus; eo utamur.* Dat. *quarto* Cal. Febr. *Anno tertio.* Florentia.

Antonio Abbati *ſancti* Bertini. 23

Imago *diui* Chriſtophori; *quam nobis dono miſiſti; pro mea in te ſingulari pérque uetere beneuolẽtia mihi ſane gratißima fuit; nõ quod ea mihi ad tui memoriam, ut ſcribis, excitandam uti neceſſe ſit: cuius ob oculos ex eo, quo te uidimus, ualde quidem longinquo tempore ſatis crebro amantiſſime ſuauißiméque uerſaris: ſed quia ea omnia, quæ abs te proficiſcuntur, uti ab homine mihi charißimo*

iocundißimóque

iocundiſsimóque miſſa mirifice me delectant. Reliquum eſt; ut te conſerues; ſenectámque iſtam tuam & ualentem et firmam cura diligentiáque tua quàm lōgiſsime protrabas: exiſtimésque te a me et ſummopere amari, & fieri plurimi. Dat. Cal. Febr. Anno tertio. Florentiæ.

Maximiliano Rom. Imper. deſig. 24

ETSI exiſtimo eius te rei nuncium iam accepiſſe, qua de re graui cum dolore ad te ſcribo: uel magnitudo tamen ipſius, uel mea in te beneuolentiā facit; ut ſtatuerim de ea te certiorem fieri meis etiā litteris oportere. Itaq; ſcies meos in Hiſpania Internuucios ſcribere, Ferdinandum Regem ea nocte, quæ nox diem XI. Cal. Febr. eſt conſequuta, uitam cum morte commutauiſſe. Equidem ſatis commemorare non queo, quantum nobis moleſtiæ, quantum mœroris tam grauis, tam prudētis, tam noſtri & Reip. obſeruantis, tam bello & pace præclari excellentiſq; Regis mors atq; interitus attulerit, exiſtimātibus multum nobis, multum Romanæ rei, multum etiam Chriſtianæ publicæ eo extincto Rege tū præſidij tum ornamenti eſſe ſublatum. Quas ad cauſas tot atq; tantas doloris mei illud etiam accedit; quod te ſcio eius uiri obitum grauiter et moleſte laturum, quippe, qui magno ſapiētiſsimoq; Rege & tui amātiſsimo tecumq; coniunctiſsimo te deiectum & ſpoliatum intelliges. Quamobrē uti de cōmuni utriusque

que noſtrum, aut etiam uniuerſæ Chriſtianæ rei dã-
no atq; iactura grauiter atq; magnopere doleo; ani-
miq; mei uberrimum tecum mœrorem & ægrimo-
niam partior. Quod cum facio; tum DEVM oro
quæſoq;, ut te eſſe apud homines eo diutius uelit;
quo Ferdinando Rege optimo atque maximo noſtri
homines ſpoliati auctoritatis, prudentiæ, temperan-
tiæ, conſiliorumq; tuorum impẽſius indigebunt. Dat.
quinto Id. Febr. Anno tertio. Florentia.

Vladislao Pannoniæ Boëmiæq; Regi. 25

LECTIS tuis ad nos litteris; quibus cum lit-
teris erat exemplum earum litterarum, quas Tur-
carum Rex de pace tecum ſancienda, aut ſaltem de
inducijs ſtatuẽdis ad te ſcripſerat; quibus me litte-
ris ſuper ea re conſulis; petiſq; a me, uelim, quid ti-
bi agendum ſit, mature conſtituere, ad teq; perſcri-
bere: Viſum eſt mihi faciendum; ut adhibitis ſtatim
meis fratribus E. R. Cardinalibus tanta de re inter
nos ſententiæ dicerentur. Quod cum eſſet agitatum;
tandem omnium conſilio atq; ſententia decreuimus
ad te ſcribi oportere, nullo ut pacto non ſolum pa-
cem; ſed ne inducias quidem ullas cum Turcarũ Re-
ge faceres: nec tuã illi fidem, qui nulla fide obſtrin-
gitur, obligares: neue cauſam dares eo fœdere per-
petuis noſtris hoſtibus rem Chriſtianam pub. com-
modius atq; facilius perturbandi. Nõ enim Rex pa-
cem tecum uult ullius boni cauſa; ſed tantummodo

ZZ te ut

te ut conſopiat, quieſcereq́; faciat; dum ipſe cæteros ſuos hoſtes expugnet: ut poſtea ab ijs, qui ei nūc imminent, hoſtibus ſecurus, & fortior robuſtiorq́; factus te tuaq́; Regna cum prima rei bene gerendæ occaſione aggrediatur atq; opprimat. Quamobrem nō te quidem pax iſta tutum a Turcis reddet, otiúmque tibi comparabit; ſed te quidē ipſe primum tuaq́; Regna ea pace inita, deinde etiam Chriſtianam Rēp. opportuniorem illi obijcies ad debellandum; et quaſi de manu, quantum in te eſt, trades. Quod quàm tibi committēdum ſit, ſtatues ipſe; & puto ſtatues ex tua maiorumq́; tuorum dignitate. Veruntamen quoniam exploratum nobis eſt ſine noſtro cæterorumq́; Chriſtianorum Regum et uirorum principum auxilio non poſſe te a Turcarum impetu Regna tua tueri atq; defendere externis præſertim inteſtinisq́; bellis defeſſa iam prope ac debilitata: dedi Regibus ſingulis & Principibus litteras; quibus petij diligētiſsime ab ijs, te ut pecunia una nobiſcum iuuarent. Quod eos omnes libenter facturos puto. Quare bono animo es. Confido enim tantum tibi pecuniæ in tempore communiter ſubminiſtratum iri; ut nihil tibi uerendum ſit, ne repellere hoſtem poßis, tuosq́; fines facile tueri. Quod cum ita ſit; ſummopere te hortor, abs teq́; pro tua religione & pietate uehementer quæſo; ne te ullo pacis aut induciarum genere cum Turcis coniungas. Quanquàm quidem non id peto; ut eorum poſtulationes iam nūc reſpuas atque reijcias: ſed potius ut eis uerba des, tempusq́;

interpoſita

interpoſita ſpe teras: quemadmodum ipſi tecum fecerūt; qui Legatum tuum ad ſe profectum ante biēnium non admiſerunt: dum quid mihi a Chriſtianis Regibus reſpondebitur, ſcire poßis: Quod ut celeriter fiat, omnem operam adhibebo; incumbámque in eam rem, ut in te defendendo nullum a me paternæ charitatis et beneuolentiæ munus atque officium prætermittatur. Vale, nosq; dilige. Dat. ſexto Cal. Febr. MDXVI. Anno tertio. Florentiæ.

Carolo Hiſpaniarum Regi. 26

SACERDOTIVM ſancti Iacobi Ventoſilianum; quod nuper Conſalui Ferdinandi magni morte uacuum factum eſt; Galeatio Butrigario meo in Hiſpania Internuntio contuli: Quemadmodum meis ex litteris, quas ea de re ſcribi iußi, cognoſces. Mouit autem me ad hominem eo & dignitatis & beneficij genere honeſtandum cum ipſius uirtus, probitas, induſtria; mitis elegansq; natura; tum mea in illum mirifica uoluntas plurimis eius & ueteribus et recentibus officijs excitata: cum nihil ei defuerit meis in rebus procurandis uel ad prudentiam, uel ad diligentiam, uel ad fidem. Itaq; & opinionem; quam de eo pridem cepi, cum minorem dignitatem gererem; non ſuſtinuit ſolum: ſed etiam auxit: & indies ſuis meritis factus eſt mihi quidem charior. Hæc autem eo ſpectant, ut intelligas & debuiſſe nos Galeatio omni tempore bene facere; & nunc ma-

gnopere uoluiſſe. Quare te hortor; ut eius ſacerdotij poſſeßionem ita ei liberaliter mandes dari; ut cognoſci facile poßit, qui mihi charißimi ſunt, eos etiam abs te diligi: id, quod ego quidem in tuos & feci ſæpe, & facio quotidie: ut quos mihi commẽdas ipſe, eos ſic ornem; ut tibi non uel chariores eſſe uideantur, uel coniunctiores, quàm mihi. Id ſi tu quoque hoc in homine feceris, ut uideare eius ornandi cauſa mecum quaſi certare uoluiſſe; erit mihi ſupra quàm dici poßit, gratum: utq; facias; etiam atq; etiam abs te peto. Dat. Prid. Non. Febr. Anno tertio. Florentia.

Epiſcopo Veſprimienſi. 27

CVM intellexiſſem Turcarum Regem ab Vladiſlao Pannoniæ Boëmiæq; Rege per Legatum ſuum petere; ut uel pacem ſecum, uel inducias triennales conficeret: de fratrum meorum B. R. Cardinalium ſentẽtia dedi ad eum litteras; quibus ab eo magnopere petij, nihil eorum, quæ poſtulabantur, faceret; neq; ſe cum hoſte ſuo noſtroq; ulla conditione coniungeret. Pollicitus autem ei ſum, daturũ me operam, ut communi Regum omnium & Principum Chriſtianorum pecuniæ collatione iuuetur; ut ſe ſuoſq; populos tueri, atq; propellere hoſtem poßit: ſcripſiq; ad ſingulos ea de re diligentißime. Quorum qui uicinus nobis erat, Franciſcus Gallorum Rex mihi amantißime reſcripſit, omnia, quæ

uellem,

uellem, libentiſsime ſe facturum. Itaq; *confidimus, ut maxime opus eſt, ita fore: reliquosq́;* Reges *omnes idem reſponſuros, idemq́; facturos.* Quod *cum erit ab ipſis cōfectum; omnem illorum ſtipem mea cum ſtipe, quanta maxima fieri poterit, per meos homines magnis itineribus iſtò mittam.* Quibus *de rebus omnibus te certiorem facere uolui; ut ſpem haberes,* Vladislaum Regem *& ipſum & eius populos non ſolum, qua ſe tueri; ſed etiam qua, ſi uolent, offendere hoſtem poſsint, propediem habituros.* Dum *hæc autem interea comparantur; ſi tibi ad tuenda auxilijsq́; munienda* Illyrici *municipia operæpretium erit commeatus is, quem in oppido* Sibinico Gilius cortonenſis *meo nomine aſſeruandum reliquit: permitto tibi; ut eo uniuerſo, quemadmodum tibi uidebitur, ſic utare.* Hortor *autem te; ut ſtudium diligentiamq́; tuam, curam, laborem, animiq́; tui fortitudinem mihi plane iam, uel omnibus potius hominibus cognitam ijs in rebus adminiſtrandis ita exerceas; ut, quod ſpero, &* Reipub. Chriſtianæ *dignitas per te retineatur; & tui gloria nominis augeatur; & tibi ipſe magis magisq́; debeam.* Dat. XVII. Cal. *Martias.* Anno *tertio.* Florentia.

Heluetijs pagorum octo. 28

Gratissimae *mihi ueſtræ litteræ fuerunt: quibus me certiorem feciſtis, uos meis hortationi-*

bus impulſos cum Franciſco Rege Gallorum amicitiam contraxiſſe, fœdusq; percuſsiſſe: eaq; de re ueſtram in me pietatem, quam pulcherrime oſtendiſtis, & propenſos ad pacis ſtudia concordiamq; ueſtros animos uehementer probo, efferoq; magnis & uerißimis laudibus. Spero enim fore; ut ueſtra ea cum Rege illo inita beneuolentia & coniunctione admoniti reliqui noſtri Reges ad communem pacem, quam uelle omnes atq; optare tantopere debemus, conciliandam faciliores & lubentiores conueniant; eaq; ſtatuant, quæ ex uſu dignitateq; Reip. maximopere ſint futura. Hortor autem uos, amantißimeq; commonefacio; in eam curam cogitationemq; incumbatis; id enitamini; ut reliqui etiam ueſtræ nationis populi eandem pacem, idem fœdus cōficiant; conglutinentq; cum uobiſcum quidem ſeſe ſuosq; animos: ne dum eiuſdem corporis partes atq; membra contraria inter ſe pugnantiaq; tendunt eſſe; exiſtimationem apud omnes homines ueſtram incredibili uirtute partam imminuant; & opes ipſæ uiresq; ueſtræ diſcretæ atq; diſſociatæ debilitentur: tum certe etiam cum Romana re atq; nobiſcum: ut quam antehac DEI Opt. Max. Eccleſiæ maieſtatē contra labefactare illam atq; proterere impudenter aggreſſos ueſtro ſanguini non parcentes ſæpenumero protexiſtis; eadem in poſterum per diſcordiam dißidiaq; ueſtra nullam a ſuis hoſtibus offenſionem, nullam inſignem notam accipiat: uosq; omnes et ueſtra natio uniuerſa tam præclara, tam fortis, tam

 ſemper

ſemper huius certe Imperij Romanorúmque Pontifi-cum ſtudioſa, conſentiens ſecum ipſa atque unanimis in eiſdem ſtudijs maneat: quæ quidē ſtudia multum uobis dignitatis, multum auctoritatis & pepererunt iam; et ſunt profecto; ſi neq; in ueſtris inter uos ſententijs, neq; in huius Reip. obſeruantia infirmi labantesq; eritis; etiam deinceps paritura. Cæterum quod ad Cardinalem Sedunum attinet; ita illi ſcribimus; ut ſperandum uobis ſit, ipſum quidem amantiſsimis noſtris & conſilijs et precibus permotum ueſtra poſthac concordiæ ſtudia non impediturum. Nihil autem eorum prætermittam tum hac ipſa, tum cæteris in rebus; quæ ad ueſtros animos cōiungendos & conſociandos eſſe uſui uel ipſe per me cognoro, uel a uobis admonebor. Quod ut faciatis, litterasq; ad me quàm creberrimas omnibus de rebus mittatis; ſane peruelim. Dat. XVI. Cal. Mart. Anno tertio. MDXVI. Florentia.

Marco Cardinali Seduno. 29

CERTIORES nos per litteras fecerunt Heluetiorum Legati uicorum octo nobiſcum fœderatorū, qui in oppido Bergenſi conuenerant; ſe, quo facilius nos communem omnium Chriſtianorum concordiam inire, neceſſariamq; in Turcas profectionem parare atque conficere poſſemus; ſuas cum Franciſco Rege Gallorum ſimultates atque inimicitiam depoſuiſſe: neque dubitare, quin conſentientes ſtatim unà cum

ipſis futuri ea in re fuiſſent reliqui eorum fœderis ſocij: niſi tu eis impedimēto fuiſſes; tuiſq; eos ſtudijs a propoſito retraxiſſes. Deq; eo grauiter apud nos ſunt conqueſti: utpote qui præuideant; ſi, quæ optas, quæq; conaris, effeceris; nouos bellorum in Chriſtiana Rep. motus, magna inter ipſorum ſocietates diſſidia, grauiſſimasq; breui tempore diſſenſiones futuras. Quæ quidem nobis omnia incredibilem moleſtiam attulerunt, fortiſſimæ illius nationis conſenſum atq; concordiam, et Chriſtianorum Principum unanimem præclarum illud ad bellum conſpirationem ſummo iampridem ſtudio deſiderātibus atque ſpectantibus. Quamobrem has ad te ſtatim literas duxi dandas: quibus te commonefacerem atque hortarer ab incepto deſiſteres: quietiq; potius & tranquillitati; quàm bellorum & diſcordiarum fouendis initijs incendendiſq; animis tete dares: cogitaresq;, quàm te deceat cum a nobis diſſentire atq; in alia omnia diſcedere; qui pro tua dignitate una nobiſcum Romanæ Reip. curam ſuſtines; tum Heluetiorum nationem tam egregiam, ex qua oriundus es, concordiæ præſertim cupidam uelle diſſociare atque dirimere. Quod ſi tu uel priuatus omnino, uel alienus homo eſſes; deberes tamen & cum Reip. uoluntate Romaniq; Pontificis ſtudijs conſociare ſtudia et uoluntatem tuam; & uelle fortem præclaramq; gētem illam & populos concordes potius inter ſeſe eſſe; quàm bellis inteſtinis laborare: Nihil eſt enim tam alienum a boni uiri prudentiſq; hominis conſilijs;

lijs; quàm, quæ coniuncta pacis & beneuolentiæ ſtudijs præſtat eſſe, ea cupere dareq́; operam, ut bellis & diſſenſionibus conterantur. Cum uerò *& unus ſis ex meis ipſis fratribus* R. R. Cardinalibus, *& in* Heluetiorum *terra* Heluetijs *parentibus atq; maioribus genitus; uide, quam de te hominum opinionem ſis excitaturus; cum & a nobis atq; a* Rep. *diſſentias; & ea tractes, quibus* Heluetiorum *natio; quæ te progenuit, a pace atq; concordia ad arma ſeditionesq́; concitetur.* Quanquàm *id quidem etiam mouere te plurimum debet:* Quod *in eo uniuerſæ rei* Chriſtianæ *p. male conſulis: quæ quidem maxime in* Heluetiorum *& inter ſe concordia, & cum re* Romana *coniunctione, tanquàm in optimo totius ſpei rerum bene gerendarum fundamento atq; initio, nititur.* Neq; *a me illud quoq; ſilebitur; amorem erga te meum, quo te ſemper fraterne colui, ueterémque beneuolentiam mereri; ut ne noſtris conatibus, præſertim cum omnium* Chriſtianorum *bono atque ſalute coniunctis ad pacem otiumq́; tēdentibus ire obuiam ſtatuas, aduerſariumq́; te pares.* Quod *ne pergas facere; atq; ut uerborum* Domini *memor, qui pacem nobis diſcedens commendauit, pacem & cōcordiam nationis tuæ iniri cœptam ne impedias; per huiuſce* Reip. *dignitatem; cuius eſſe propugnator in primis debes, & mehercule conſueſti; perq́; eam, qua* Chriſtianus *es, religionem, abs te magnopere quæſo & poſtulo.* Id *ſi feceris; & ipſe tuorum in me officiorum & plurimorum neque ſane leuiſſimorum*

rum memoriam nūquam proijciam: & dignitas tua principem apud me curam locumq; ſemper obtinebit: et facies quidem ex uſu cum omnium hominum, tum tuorum maxime ciuium, ſed certe atq; in primis tuo. Dat. XVI. Cal. Mart. MDXVI. Anno tertio. Florentia.

Ioanni Franciſco Pico Mirandulæ domino. 30

EGIT mecum per Internuncium ſuum Franciſca Triultia, quæ Ludouici fratris tui uxor fuit, grauiſsimis mehercule querelis: cum ſe diceret intolerabilibus a te iniurijs quotidie affici: qui bona et fortunas ad ſe ſuumq; filium ſpectantes intercipias ruptis ſpretisq; ſtipulationibus; quas utrique Matthæum Cardinalem Gurcenſem auctorē ſequuti probaſtis. Itaque precibus omnibus petijt; ut ſe uiduam mulierem ſuumq; filium pupillum fratris tui filium abs te ſpoliatum iri ludibrioq; eſſe ne permitterem. His auditis cum Internūcium item tuum admiſiſſem; is apud me de Franciſca ijſdem fere uerbis eſt conqueſtus: atque ab illa tum intercipi fortunas tuas; tum non ſtari pactis Gurcenſianis longa conſtantiq; oratione diſſeruit; opemq; meam atq; auxilium implorauit. Ego quidem; cui familia ſane ueſtra magnæ curæ ſemper fuit, ægerrimeq; fero diſceptationes eiuſmodi atque diſsidia inter uos exerceri; te; quem quidem; cum uir ſis, & bonarum artium ſacrarumq; litterarum excellas ſtudijs; decet etiam

fœminis

Digitized by Google

ſœminis & prudentiorem eſſe, & ab inferendis iniurijs alieniorem; primum atque præcipue hortor; ſi lapſus in aliquo es, pactaq; illa ueſtra læſa abs te præteritaq; ſunt; uelis meo rogatu & ablata reſtituere, & in poſterum curare, né quis eo nomine conqueri de te iure poßit. Quid enim facere illos oportet, qui obſcuri & ſine nomine ſineq; ullo cultu litterarum ſunt: cum doctos & philoſophiæ diuinarumq; rerum ſcientia præditos homines, & præclaros ac perilluſtres uiros uideant tam turpiter labi tamq; acerbe delinquere nõ in alienos, ſed in ſuos? Hoc autem; quod te hortor, quodq; te facere eſt æquißimum; ut libentius facias; ſcire te uolo hæc me omnia per litteras a Franciſca ipſa petere; quæ his abs te litteris peto. Quare tuum erit dare operam atque efficere; ne nos quicquàm abs te eiuſmodi fruſtra petijſſe uideamur: neue cogamur aſperius aliquid in te, quàm uellemus quàmq; conſuetudo noſtra fert, eo nomine ſtatuere. Dat. ſexto Cal. intercalares priores. MDXVI. Anno tertio. Florentiæ.

Franciſcæ Triultiæ Concordiæ dominæ. 31

ET longum apud me ſermonem, & plenũ querelarum grauißimarum habui Ioannis Franciſci Pici Mirandulæ, qui uiri tui frater fuit, procurator ijsdem fere uerbis; quibus antea Internuncius apud me tuus cauſam tuam egerat: ſe ſcilicet non unis a te neq; leuibus contumelijs eſſe uexatum: dum ea, quæ

ſui iuris

ſui iuris ſunt, uel furtim ſubripis, uel temere intercipis; & pacta Cardinalis *Gurcenſis auctoritate omnibus de rebus inter uos confecta & ſancta pro nihilo habes.* Itaq; *petijt a me; ne ſibi fraudi eſſet, ſi ipſe quoq; in te eiuſmodi aliquid admitteret, quod tuæ in ſeſe temeritatis impudentiæq; curſum atque impetum refrenaret. Quibus intellectis rebus facere non potui, quin animo perturbarer; cum mutuas eſſe inter uos iniurias pactorumq; tranſgreßiones cernerem. Quare cum* Ioanni Franciſco *litteras dederim diligentißime quidem ſcriptas; ut tuis poſtulatis & querelis ſatisfaceret: idem quoque ſtatui ad te ſcribere.* Itaque *te hortor, ac primum quidem, ut illud cogites; æquius profecto eſſe te fœminam, etiam ſi offendare; uel aliquid ei permittere, qui uiri tui frater fuit; uel dißimulare te offenſam eſſe potius; quàm uelle aut iniurias ulciſci, aut ius tuum uſquequaque perſequi.* Nihil *eſt enim in muliere laudabilius continentia, placabilitate, lenitate; nihil audacia temeritateq; putidius.* Deinde, *ut ſi quid contra pacta ueſtra ablatum a te aut a tuis ex illius bonis eſt; id ei omne reponas atq; reſtituas.* Deniq; *ut quibus ſemel te pactis* Cardinale *ſtatuente obligauiſti; ijs omni ex parte des operam ut ſtes; præſtesq; in poſterum ea omnia tam diligenter; ut merito apud me conqueri de te nemo poßit.* Id *ſi feceris; et quieti proſpexeris tuæ; et filij tui ſaluti optime conſulueris; & mihi curam eripueris, durius in te, atq; a mea in uos beneuolentia & conſuetudine alienius*

ne alienius, ut huic occurri malo poſſit, quippiam cogitandi. Dat. V I. *Calen. intercalares priores.* M D X V I. *Anno tertio.* Florentia.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 32

CONQVESTA *grauiter apud nos eſt* Franciſca Triultia, *quæ* Ludouici Pici Mirãdulæ *uxor fuit, de* Ioanne Franciſco Pico Mirandula *uiri ſui fratre: a quo ſe ait plurimis maximiſq; iniurijs & contumelijs premi; dum ſtipulationibus inter ſe atq; illam* Matthæo Cardinali Gurcenſi *auctore initis nequaquàm ſtat; ſed iura omnia conuentioneſq; perturbat: petijtq; a me; ut ſuæ filijq; ſui incolumitati pro mei muneris officio conſulerem: ne quotidie ipſa mulier uidua eiuſq; filius puer patre orbatus in fortunarum ſuarum ſalutisque diſcrimen per* Ioannis Franciſci *auaritiam & crudelitatem adducerentur.* Idem *ſubpoſtea* Ioannes *ipſe* Picus *fecit; conqueſtúsque de* Franciſca *eadem fere attulit petens a me, ut mulieris audaciam importunitatémque retunderem.* Quæ *cum mihi eſſent permoleſta: totam enim illam gentem atque familiam & amo iampridem, & tueor: dedi ad utrunque litteras, hortatúsque eos ſum, inferendis inter ſe damnis & offenſionibus modum ſtatuerent; concordiámque* Cardinale *ſtatuente ſeruari utrinque iuſſam ne uiolarent.* Peto *autem abs te; ut pro ea, qua apud illos polles auctoritate; cum illorum oppida ditionis tuæ fines*

pertingant; téque ipſi unum uereantur plane atque ſuſpiciant: des operam; ut ea familia paci & quieti & bonis artibus potius; quàm diſsidio & inimicitiarum ſeminibus & irritandis animis ſtudeat; præſtétque utérque eam fidem, quam pepigere. Cõfido enim ſi tu illos commoneſeceris; fuerisque interminatus te utriſq; ſuccenſurum, ſi pergent inter ſe laceſſere; ipſos facile quieturos, ad officiúmque redituros. Dat. ſexto Cal. *intercalares ſecundas.* MDXVI. *Anno tertio. Florentia.*

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolani. 33

IOANNEM Franciſcum Picum Mirandulam *doctum hominem & pereruditum cum ipſum, tum* Franciſcam Triultiam, *quæ* Ludouici Pici Mirandulæ *uxor fuit, eiuſq; filium in huius* Reip. *tutela me* Pontifice *ſuſceptos paterno amore atq; beneuolentia iampridem tueor.* Eos, *dum magnopere inter ſe diſsiderent,* Matthæus Cardinalis Gurcenſis *pactis quibuſdam & ſtipulationibus, quibus ſtare tenerentur, initis firmatiſq; ad concordiam reduxit. Eis ipſos non acquieſcere hoc tempore intelligo; ſed diſsidere inter ſe, inferriq; ab utriſq; in alteros iniurias magno cum illius familiæ nõ ſolum dedecore, ſed plane etiam detrimento. Scripſimus ſane illis nos, quemadmodum quidem erat ſcribendum, ea de re; ut eos ad bene atq; concorditer uiuẽdum reuocaremus. Quoniam autem exploratum nobis eſt, quantum ipſe auctoritate*

ſe auctoritate ualeas tum apud familiam omnem Triultiorum, *quæ tua in prouincia eſt; tum apud* Ioannem Franciſcum *ipſum: te hortor; uelis eos cõmonefacere; a pactis atq; conuentionibus, ut diximus, initis ne recedant; améntque inter ſe potius; quàm ſe ſuasq; opes inferendis iniurijs conterant.* Id *ſi fecerint; te illos prudenter feciſſe eſſe exiſtimaturum, plurisq; facturum: ſi non fecerint; daturum operam, ut ſuæ ipſos ſtultitiæ improborumq; conſiliorum aliquando pœniteat.* His *atque talibus tuis monitis non uereor, quin egregia familia in officio contineatur.* Mihi *certe feceris gratiſſimum.* Idq; *ut facias, abs te peto.* Dat. *ſexto* Cal. *intercalares ſecundas.* MDXVI. Anno *tertio.* Florentia.

Ennio Epiſcopo Verulano, *apud* Heluetios Internuncio. 34

SCRIPSI *ad te prioribus litteris poſt fœdus a me cum* Franciſco Gallorum Rege *initum, ita te apud* Heluetios *fœderatos gereres; ut* Regis *animum nulla in re procurationeue offenderes.* In *quo tametſi pro tua prudentia & fide morem a te mihi geſtum putem:* Regij *tamen miniſtri ſuſpicionem illam priorem de te non abiecerunt.* Quamobrem *cenſeo a conuentibus iſthic publice proximéque celebrandis prorſus abſtineas; abdisque te potius in aliquem deuium & priuatum locum; ex quo exploratum illis ſit te ne cogitare quidem quippiam contra* Regis

tra Regis *uoluntatem*. Nam *aggredi & moliri qui poteris?* Dat. Prid. *Cal.* Martias. *Anno tertio.* Romæ.

Iſabellæ Aragoniæ Barionis dominæ. 35

ACCEPI *de* Ioanne Iacobo *Lamello equum miſſum abs te mihi & pulchrum quidem, & perornatum, & quoniam uti eo iam cœpi, qualem ad me commode uehendum maxime idoneum habere cupiebam.* Itaq; *ſcito tuum mihi munus & gratum & iocundum accidiſſe. Quod uero attinet ad petitionem tuam in ornando eo, quem nobis idem* Lamellus *tuis uerbis commendauit; dabimus, cum ſe occaſio nobis obtulerit, profecto operam; ut intelligas tuas apud nos commẽdationes plurimum ualuiſſe.* Dat. IIII. Non. Mart. MDXVI. *Anno tertio.* Romæ.

Odoni Lutrechæ, Præfecto Mediolanenſium. 36

REDEVNTI *ad te* Minioni, *quem tuis cũ litteris ad me miſeras, has ad te litteras dari uolui: quibus tibi ſignificarem, mihi quidem diſplicere non potuiſſe me ſatisfacere petitioni tuæ de monaſterio Clareuallenſi propter eas rationes, quas ad te proximis diebus ſcripſi. Quoniam autem confido non defuturas mihi occaſiones ornandi tuos; dabo quidem operam, ut intelligas req; ipſa experiare, tuis apud me commendationes multum ualuiſſe; auctoritatemq;*

Digitized by Google

ritatemq́; tuam, quemadmodum quidem meæ & cum Rege tuo beneuolentiæ, & de tuis excellentibus uirtutibus opinioni maxime conuenit, a me fieri plurimi. Dat. quarto Non. Mart. MDXVI. Anno tertio. Romæ.

Lutrechæ Præfecto Mediolanenſium. 37

MITTIT ad te Iulius Cardinalis Medices frater patruelis meus procuratorem ſuum; ut in cauſa monaſterij Clareuallenſis, quod ei nuper cõtulimus, tuo auxilio ea conficiat, quæ agenda illi ſunt: quemadmodum ab ipſo intelliges. Qua de re litteras ad Regem tuũ dedi: nec uereor pro noſtra in illum beneuolentia, proq́; recentibus ipſius Cardinalis totiusq́; noſtræ familiæ in Regem ſtudijs, quin ea mea in fratrem liberalitas grata illi probataq́; ſit futura. Nunc autem his de cauſis cũ exiſtimem eam te amãter rem adminiſtraturum; minus diligenter te hortor; hortor tamen; & erit mihi ſane gratiſſimum; ut efficias, ut Cardinalis procurator id, quod petet, ex ſententia conſequatur. Dat. quarto Non. Mart. Anno tertio. Romæ.

Ioanni Paulo Balioni. 38

VENERAT proximis diebus Romam Alphonſus Cardinalis Petrutius uocatu meo: quod quidem feceram; ut diſceptationes & controuerſiæ,

quas habet cum gente ipſa ſua, me auctore ſedarentur et conſopirentur. Cumq; is nobiſcum menſem integrum prope fuiſſet, uellemusq; iam plane omnia ex eius ſententia ſtatuere; nobis non ſalutatis repẽte profectus eſt: cum tamẽ nos ea profectio abitúsque nõ lateret. Quoniam autem certior factus ſum, uerſare illum animo; ut, ſi qua ratione poterit, ſuæ patriæ otium perturbet, conuellatq; eum Senarum ſtatum, qui nunc eſt: fidere enim plurimum Peruſinorum quorundam auxilijs: tametſi puto fore neminem eo in oppido; qui cum mihi & huic Reip. iniuriam facere cogitantibus ſe coniungat: hortor tamen ſtudioſe te, ſcribas tuis, non id ſolum ut ab eiuſmodi ſcelere ſe abſtineant; quod eos per ſe facturos facile crediderim; ſed etiam ut absterreant contineántque alios: ſi qui erunt, qui id moliantur: eaq; omnia facias; quæ de Laurentio Medice fratris mei filio Vrbinatium Duce operæpretium eſſe abs te fieri & curari latius intelliges. Dat. tertio Non. Martias. Anno tertio. Roma.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum*,

LIBER DVODECIMVS.

Iacobo Banniſio Maximiliani Romanorum Regis ab epiſtolis. 1

ET ANTEA *te paterna beneuolentia ſum complexus; atque uti uirum prudentẽ & huius* Rei*pub.meiq; ſtudioſum hominem inter illos; qui mihi maxime chari & probati ſunt, libenter habui: & nunc multo ſane uberius & atque prolixius idem mihi eſſe faciendum puto; propterea quod* Latinus Iuuenalis *familiaris meus iſthinc rediens de tuis in me* Remq; *pub. officijs ea retulit; quæ mihi quidem gratiſſima iocundiſſimaq; acciderunt.* Itaque *uolo te ſcire, eius me rei memoriam nullo tempore abiecturum.* Hor*tor autem præterea te idẽ illud; quod pro tua probitate non dubito, quin tua ſponte ſis facturus: ut quoniam ad* Maximilianum Regem *tuum* Bernardus *ſanctæ* Mariæ *in porticu* Cardinalis Legatus *proficiſcitur ad mea &* Chriſtianæ Reip. *negotia procuranda; uelis ei præſto eſſe, cum prudentia & conſi-*

lio, tum uerò ſtudio & diligentia tua: ut quæ tractare atque agere incipiet, tua ope fultus etiam explicet. Ipſe porro, cuius cauſam ages, Dominus tuam in eo pietatẽ intuebitur; eamq́; tui patrocinij mercedem conſtituet; quam nulla unquàm eripiet dies. Nos quidem certe; cum primum ſe occaſio dederit, aut etiam quotieſcunq; ſe dederit; bene grati erga te animi præclara ſumus ſigna atque inditia oſtenſuri. Dat. III. Cal. Apr. MDXVI. Anno IIII. Romæ.

Heluetijs. 2

QVAE ad me proxime de componendis Maximiliani Roman. Imp. deſig. & Franciſci Gallorum Regis controuerſiis ſedandóque bello ſcripſiſtis; ea legi oculis libentiſsimis: uosq́; uti & prudentes uiros & religione præditos homines & illorum Regum peramantes ea de re magnopere laudandos puto. Nihil enim neq; ſapientius per uos fieri potuit; neq; nobis gratius & iocundius ſignificari. DEO etiam Opt. Max. qui pacem a nobis atq; concordiam coli amariq; in primis uult; ſatis uos in eo facere arbitror. Quare nulla quidem in re uobis deero; in qua tam iuſtæ ueſtræ petitioni, tamq́; piæ, tam cum Domini uoluntate coniunctæ opitulari præſtóque eſſe auctoritas cura diligentia ſtudium labor etiam meus poſsit. Reliqua ex Ennio Epiſcopo Verulano cognoſcetis. Dat. tertio Non. Aprilis. MDXVI. Anno quarto. Romæ.

Ludouico

Ludouico Pannoniæ Boëmiæq; Regi puero. 3

Ex litteris Thomæ Cardinalis Strigonieñſis Legati intellexi Vladislaum Pannoniæ Boëmiæq; Regem patrem tuum magno cum illorum populorum mœrore & luctu uiuere deſtiiſſe. Quo ſane nuncio uehementer ſum perturbatus: magnumq; ut debui, cepi dolorem ex amãtiſsimi mei prudentiſsimiq; Regis morte, præſertim tam alieno Reip. Chriſtianæ tempore: exiſtimoq; te quidem primum; qui in tam tenera ætate patrem tuum maximum clariſsimumq; uirum amiſiſti; reliquos deinde iſtorum Regnorum uiros Principes, Regna deniq; ipſa & populos magno eſſe & præſidio & ornamento ſpoliatos; remq; hanc pub. beneuolentiſsimi in ſe animi Rege, fideliſſima ſocietate, maximis auxilijs eo extincto plane carere. Verum cum eiſdem litteris certior ſim factus Regnorum te iſtorum a patre tuo hæredem fuiſſe inſtitutum; cuius indoles egregium iam ſpecimen magnamq; excellentis uirtutis ſpem præbeat; ſtatui mihi a luctu atque moleſtia eſſe temperandum: DEVMq; Opt. Max. rogandum, & ut illum mortali exutum corpore terreniſq; compagibus cœleſtem in patriam inter beatiſsimas fortium optimorumq; uirorum & ſanctiſsimorum hominum animas conuentumq; recipiat: & ut te; cui quidem plane puero duo Regna maxima iure recteq; obtigerunt; tantum pollere bonis ſtudijs optimiſq; artibus uelit;

 ut expectatio-

ut expectationem de te noſtram tuorumq́; populorum uota æquare atq; implere facile poſsis: euadasq́; in eum Regem; qui quidem in timore Domini eruditus omnibus Chriſtianis populis atq; gentibus multum gloriæ multumq́; roboris ſis allaturus. Quod profecto animo libentiſsimo & facio iam; & ſæpe in poſterum faciam: ſperóque fore ut me pro te pie ſe atque ſuppliciter precantem Dominus audiat. Et quoniam idem Legatus ſcripſit ad nos patrem tuum extremo uitæ ſuæ tempore mihi te commendauiſſe: omnes meas opes, omnem auctoritatem ad te fouendum ornandumq́; polliceor: téque iam in chariſsimi mihi filij locum agnoſco atque recipio, bonisq́; uerbis atque omnibus & complector & proſequor. Tu uero ipſe optimi uiri patris tui maiorúmque tuorum fortiſsimorũ & clariſsimorum Regum greſsibus atque ueſtigijs inambulans Regnum tuum a DEI pietate & cultu, atque ab huius Reip. obſeruantia & ſtudio auſpicare: dáque operam, ut non minus religione, quàm ætate; neque magis corporis uiribus, quàm uirtutibus animi ſubcreſcere tui te populi uideant. Dat. Prid. Non. Aprilium. MDVI. Anno quarto. Romæ.

Epiſcopo Veſprimienſi: tum cæteris ſingulis in Pănonia magnis uiris. 4

SCRIBIMVS ad Bernardum cantorem Agrienſem Internuncium noſtrum ea omnia; quæ per illum tibi

lum tibi hoc tempore ſignificanda eſſe duximus noſtris uerbis. Hortamur itaque te, ut pro noſtra in te paterna ſane beneuolentia, expectationéque ea & ſpe; quam de tua probitate magnitudinéque animi, & religione, cæteriſque tuis uirtutibus magnam atque mirificam ſemper habuimus; des operam; ut quibuſcũque rebus poteris, iſtorum Regnorum quieti & tranquillitati per te conſulatur: auctoritatéque tua, qua multum polles ad eam rem cum huiuſce Reip. dignitate; quæ quidem in tua erga ſe illuſtri uoluntate & ſtudio libentiſsime conquieſcit; maxime omnium atq; in primis utare. Erit id cum per ſe præclarum, & tibi laudi atq; gloriæ; tum certe egregiæ iſti fortiſsimæq; nationi & populis apprime ſalutare. Dat. Nonis Aprilibus. Anno quarto. Romæ.

Thomæ Cardinali Strigonienſi. 5

QVANTVM mihi moleſtiæ, quantum mœroris Vladislai Pannoniæ Boëmiæq; Regis mors attulerit, de qua tuis ad nos litteris eſt allatum; ex mea in illum charitate atque beneuolentia tibi quidem uni omnium maxime perſpecta & cognita per te ipſe facile potes exiſtimare. Videor autem mihi in illo non magnum & prudentem modo Regem; ſed optimum etiam filium meiq; obſeruantiſsimum amiſiſſe; quo tempore propter Turcarum inſidias adiectumq; ad iſta Regna ſemper animum maxime

illum uiuere oportuiſſet. Itaq; cum mea et certe iſtorum populorum, uel potius uniuerſæ Chriſtianæ Reip. cauſa uehemẽter dolerẽ, angererq́; prope animi omnibus articulis & ſenſibus; illa me res non mediocriter eſt conſolata; quod is, ut ſcribis, Ludouicum filium ſuum mirificæ indolis magnæq; ſpei puerum Regni hæredem ſibi reliquit. Qui quidem ſi non ſatis dum propter ætatem ſit ad id regendum et procurandum idoneus: habet certe non paucos excellenti uirtute ſingulari prudentia uiros principes; quibus nitatur; quorumq́; conſilijs & ipſe recte inſtitui, & eius Regnum adminiſtrari commode atq; feliciter poſsit. Quamobrem ſedato, quantum potui, mœrore meo & luctu, conſilioq́; cum meis fratribus E. R. Cardinalibus ſuper ea re mature amantiſsimeq́; habito tibi quidem negotium damus, primum; ut Regem puerum ſaluere iubeas noſtris uerbis; affirmesq́; illi ſalutem eius & dignitatem magnæ curæ nobis fore; nosq́; ſingulos in eo & fouendo, & ornando Vladislai patris eius curam & ſtudium plane geſturos. Deinde ut reliquos iſtius Regni Principes quo maiore animorum noſtrorũ oſtenſione poteris, hortere; uelint, quemadmodum quidem confidimus te atque illos eſſe facturos, in eam præcipue cogitationem incumbere; nihil ut inter uos diſsidij, nihil omnino diſcordiæ ſuboriatur; ſed uno omnium ueſtrum conſenſu & uoluntate ſedate atque amanter Regni & Regis pueri res, prouentus, otium, negotium procuretur. Id erit & prudentia

ueſtra

ueſtra dignum, & nobis omnibus in primis gratum ſic, ut iam nunc libentiſsime profiteamur, eius nos rei gratiam uobis ſingulis aliquando etiam relaturos. Cæterum quod ad municipiorum illorum curam & tutelam attinet; quæ municipia iſto in Regno uicina oppoſitaq; Turcis ſunt; atque in ſumma rerum omnium inopia uerſantur, celeriſq; auxilij magnopere indigẽt; ea in re omnem meam curam adhibebo: daboq; operam, ut eis omnibus in tempore ſuccurratur. Itaq; uolo bono uos animo eſſe; neque uereri, quin a me omnia paterna in uos officia procurationesq; proficiſcantur. Quod quidem ut iam re fieri perſpicere omnes homines poßint; mittere iſthuc quàm primum decreui Robertum Archiepiſcopum Reginum familiarem meum, illuſtri ortum gente, probumq; ipſum hominem, & doctrinæ ſtudijs præditum; quem quidem ualde amo; tecum unà ut a Regis pueri latere nunquàm diſcedat; auctoritatemq; illi afferat noſtram, quibuſcunque in rebus & opus erit, & oportebit: ne is tam illuſtrem patris ſui de ſeſe commẽdationem apud nos parum ualuiſſe ſuſpicari poßit. Scripſi etiam Bernardo Cantori Agrienſi Internuncio meo; ut cum iſtius Regni magnis uiris, quos ad ſingulos etiam litteras dedi, diligenter ageret, ut in Regni negotijs procurandis concordiam in primis exercerent: ut rectius atque commodius publicæ per eos utilitati regiæq; dignitati conſuleretur. Iubebam autem tum has ipſas, tum cæteras, de quibus dixi, litteras eiuſmodi tabellario

dari;

dari; qui celerrime iter faceret: ut ante conuentus ueſtri tempus, qui ad diem nonum Cal. *Maij eſt futurus, ad te perferrentur*. Dat. Octauo Id. *April.* Anno *quarto*. Roma.

Carolo *Hiſpaniæ* Regi *puero*. *6*

QVOD Hieronymo Vicco *excellenti uirtute, mirifica diligentia, ſingulari fide uiro; qui* Romæ Ferdinandi Regis *aui tui* Legatum *multos annos geßit; uelle te hoc tempore uti ſcribis; habereq; illum eodem apud me loco; ſane gaudeo*. Nam *& ego illum ualde amo; gratißimaq; mihi eius conſuetudo ſemper fuit: & tu hominem ad eam rem magis idoneum habere nullum poteras*. Habes *autem eo in munere multa cum laude diu uerſatum; & cui urbs* Roma *notior, quàm ulli domus ipſa ſua ſit: qui neque fallere propter probitatem uolet; neque falli poterit propter uſum rerum atq; prudentiam*. Itaq; *ueriſsimum de illo teſtimonium* Antonij Stunigæ *magni* Caſtellæ *prioris, de quo ſcribis, plurimum apud te ualuiſſe ualde lætor*. Hortor *autem te: quem quidem & amaui ſemper antea; & nunc pluris etiam facio; cum quidem ad priorem in te charitatem meã* Regij *etiam nominis tui dignitas maieſtasq; ſit adiũcta; ut, quo horum ipſorum in te beneficiorum* Domini *bene memor uideare, uelis in ipſius* Domini *cultu & timore, quemadmodum quidem intelligo facere te, & in huius* Reip. *obſeruantia amantius indies*

atque

atque ardentius uerſari; addicereq; animum in hoc ingreſſu in adoleſcentiam tuo ad omnium hominum pacem atq; ſalutem, quantum in te erit; erit autem ſemper plurimum; procurandam. A me certe omnia boni amantisq; patris officia in te proficiſcentur. Quemadmodum cum Vicco ipſo; de quo, ut ad initium reuertar, magnopere probo conſilium tuum; his de rebus omnibus ſum loquutus. Dat. VII. Idus Aprilis. Anno quarto. Roma.

Sigiſmundo Poloniæ Regi. 7

CVM Vladislai Pannoniæ Boëmiæque Regis fratris tui mors, eiúsque filij Ludouici nimis tenera ad perferenda onera duorum Regnorum ætas; aliquot nos dies mœrentes ſuſpensósque habuiſſet: de fratrum meorum S. R. Cardinalium ſentẽtia Robertum Archiepiſcopum Reginum deſignatum familiarem meum; quem propter familiæ ſplendorem & ſingularem ipſius doctrinam atq; uirtutem ita complector, ut ſit mihi plane chariſſimus; legaui; quem illuc quàm celerrime mitterem: ut eſſet; qui unà cum Cardinali Strigoniẽſi Regi puero meo nomine adeſſet: atque ad pacem & otium eius Regni procurãdum auctoritatem adderet meam: ut quantũ pro tempore poſſem, puerum quem quidem nobis pater extremo uitæ ſuæ tẽpore diligentiſſime amantiſſimisq; uerbis commendauerat; & pueri Regnum ornarem atque protegerem. Volo enim omnes homines

mines intelligere, fratrem me tuum fortem uirum & prudentem ac religione præditum hominem cum fruentem uita dilexiſſe, tum eius commendationem morientis non neglexiſſe; Regnorumq; *illorum & nationum fortißimarum & bene de re* Chriſtiana *meritarum, quam debui, curam & rationem habuiſſe.* Cui *quidem* Roberto,*cum maturare, quantum poſſet, profectionem ſuam mandauiſſem, has ad te litteras iußi dari certo tabellario & celeri: ut te ante omnibus de rebus docerem, quàm is* Pannoniam *attigiſſet.* Ego *ſi commendare tibi fratris tui filium uelim; diffidere uidear probitati tuæ: cui ſane nõ diffido: eſt enim mihi quidem probatißima. Sed tamen facere non poſſum, quin tibi illum commendem.* Vale. Dat. *tertio.* Idus April. Anno *quarto.* Roma.

Viterbienſibus. 8

C V M *nuper intellexerim* Pyratarum Punicorum *iuſtam claſſem ad uicina uobis littora oramq; iſtam maritimam aduentare; uos quidem unos maxime omnium & commonefacere & hortari uolui; paratos ut uos alacresq; ad ea munera obeunda, curas laboresq; capeſſendos præſtaretis; quæ munera* Franciſcus Pitta Hetruriæ Prolegatus *uobis mãdauerit; quamobrem tam inopinato teterrimorum hoſtium & latronum aduẽtui atq; impreßionibus iri obuiam poßit. Ea in re ſi quemadmodum quidem*

ſpero,

ſpero, & ueſtris confido ſtudijs, ſic egeritis: non uos quidem ipſos plus amauero: Qui enim fieri poteſt; nihil cum ſit meo perueteri erga uos amore charitateq́; ardentius? ſed plus amari a me meritos eſſe uos facile profitebor. Dat. ſexto Cal. Maias. M D X V I. Anno quarto. Romæ.

Faliſcis. 9

Q V O N I A M *renunciatum nobis eſt,* Pœnorum, *qui* Pyraticam *exercent, non paruam claſſem in mari noſtro eſſe, ueſtraq́; ad littora atq; ad* Centumcellas *curſum tenere; mando uobis; ut omnibus in rebus, quæ a* Franciſco Pitta Hetruriæ Prolegato *uobis imperabuntur, ſine ulla ei mora pareatis, non ſecus, ac ſi ipſis a nobis præſentibus iuberemini: ad ueſtram enim et ueſtrarum rerum incolumitatem ſalutemq́; pertinebunt.* Dat. ſexto Cal. Maias. Anno quarto. Romæ.

Grauiſcis. 10

A L L A T V M *eſt ad me ſatis* Magnam Pyratarum *claſſem a ueſtris littoribus non multum abeſſe. Quare uobis mando; & ut oppidum iſtud, quo celerius fieri poterit, communiatis; ne imparati ab hoſtibus paratiſsimis offendamini: & ut* Franciſco Pittæ Hetruriæ Prolegato *omnibus in rebus ueſtram operam nauandam ſtatuatis, quas ille per uos fieri iuſſerit,*

iuſſerit, non ſecus, ac mihi ipſi. Volo autem uos bono animo eſſe. Eorum enim quæ ad uos oppidumq; ueſtrum defendēdum pertinebunt; nihil prætermittam: ut intelligere poßitis ueſtram incolumitatem mihi magnæ curæ eſſe. Dat. ſexto Cal. Maias. Anno quarto. Roma.

Franciſco Pittæ Hetruriæ Prolegato. 11

QVOD me de Pyratarum claſſe celeriter monuiſti; quam appropinquare noſtris littoribus ſcribis; diligentiaq; tua & uigilantia, quam adhibes, ne imparati offendamur, mihi uehementer probatur. Scribimus autem ad ea municipia; quæ in Legatione ſunt Marci Cardinalis Cornelij: ut quoniam eiuſmodi claßis in mari noſtro eſt, primum ſe præmuniant, prouideantq; ne offendi poßint: deinde tibi omnibus in rebus, quas fieri per eos & curari uoles, ita præſto ſint; ut mihi eſſent, ſi a me præſente iuberentur. Te uero hortor: nam mandare tibi, cum omnia per te facias, nihil debeo: ut pergas, quēadmodum quidem cœpiſti; nulla in re deeſſe ad iſtorum populorum ſalutem incolumitatemq; protegendam: ſic enim et præſtabis ipſe mihi fidem tuam; et ego te chariorem habebo, & pluris plurisq; faciam. Dat. ſexto Cal. Maias. Anno quarto. Roma.

Federico

Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salernitanorũ. 12

Gratae mihi tuæ litteræ fuerunt; quibus oſtendis, ſi quid aggredi contra Pyratarum claſſem uelim eam, quæ Italiæ oram nuper inſedit, infeſtátque Tyrrheni maris littora; te paratum animatúmque eſſe cum nauibus longis quatuor, quas iſta urbs deductas & ornatas habet, quo oporteat quoq; iubeam accedere: neq; uereri; quin ipſa ciuitas nihil ſit mihi eiuſmodi pro ſua in me obſeruantia & cultu recuſatura. Deq; iſta tui animi propenſione & ſtudio me hercule gaudeo. Video enim bonorum ciuium & fortium uirorum prouentu hanc Remp. nõ prorſus inopem factam: cum uigere adhuc quidẽ in noſtris hominibus eiuſmodi ſenſus & cogitationes intelligo. Erit autem eo mihi tua hæc liberalitas opportunior; quo celeritate opus eſt ad rem recte atq; ut uolumus conficiendam. Scribo itaq; ad Octauianum fratrem tuum Præfectum Genuæ eiusq; oppidi decuriones, uelint mihi & eas, quas dicis, quæq; in anchoris ſunt, triremes naues cõmodare; & ornare alteras totidem, ad nosq; mittere: ut communes hoſtes noſtros eo & tutius aggredi, & celerius opprimere poſſimus. Te uero etiam atq; etiam hortor; rem apud ciues tuos iuues: atq; in eo multum inſumas operæ; ut quæ comparanda erunt, quàm celerrime comparentur. Erit id mihi apprime atq; ſummopere gratum. Reliqua ex litteris Petri Bembi familiaris

familiaris mei ab epiſtolis, qui te plurimum diligit, cognoſces. Dat. tertio Non. Maias. Anno quarto. Romæ.

Octauiano Fregoſio Præfecto, & Decurionibus Genuæ. 13

APPVLISSE *ad Italiæ inſulas & littora uobis uicina Punicam Pyratarum claſſem non ſpernendam; eaq́; infeſtiſsima reddere, diripere, depopulari, intellexiſſe uos aliquanto etiam, quàm me temporius arbitror. Eam ad claſſem uel repellẽdam, uel ſi fieri poterit, conterendam, omnem meam curam & cogitationem adhibeo. Sed quoniam ad id & magna claſſe opus eſt, & quæ celerrime conficiatur: pro ueſtra uetere in Ro. Pontifices & DEI eccleſiam pietate, proq́; meo in uos paterno amore culto a uobis diligentiſsime etiam atque etiam a uobis peto; ut ad hanc rem, quam paro, Italis quidem omnibus in primis honorificam, uobis certe propter periculi ſocietatem etiam ſalutarem, & eas ueſtras triremes, quæ inſtructæ paratæq́; ſunt, commodetis; & ſimul ornari alteras totidem quàm celerrime imperetis: quibus nauibus cum noſtra claſſe conſociatis communes omnium noſtrum hoſtes nobis turpiter inſultantes aggredi atque opprimere poſsimus. Ea res ut facilius confici poſsit, ſi me admonueritis, partem ſtipis ad uos mittam in nautas & milites cogendos nauibusq́; imponendos. Toto uero in apparatu*

paratu atque negotio uos oportet unos tum diligentiam & ſtudium, tum maxime celeritatem adhibere. Si enim præſtolabimur; nihil eſt cur illos, qui omnia temporum momentis metiuntur, poſſe nos conſequi ſpem ullam habeamus. Id *autem ut animis alacrioribus uobis eſſe faciendum ſtatueretis, petij a* Franciſco Gallorum Rege *per litteras non hoc ipſum modo, ut ueſtras naues permitteret mihi præſto eſſe; ſed illud etiam ut ſuam ipſe claſſem cum noſtra claſſe coniungeret, quoad aliquid actum & confectum eſſet*. Quod *quidem illum confido pro noſtra coniunctione, proq; ſuo in tuenda* Chriſtiana *re ſtudio libentißime eſſe facturum*. Dat. tertio Non. Maias. Anno quarto. Roma.

Abbati ſancti Bertini. 14

MITTIMVS *ad* Carolum Hiſpaniæ Regem Pindarum *Santeſium familiarem noſtrum: eiq; mãdauimus; ut* Rege *ſalutato te inuiſeret; tibiq; ſignificaret, me tui memoriam crebro libenterq; repetere; utpote boni hominis & religione præditi, & mei obſeruantis, & quem ego unice atque ſummopere amo*. Itaque *ei te meis uerbis alloquenti, deq; mea in te uoluntate plura & certiora deferenti fidem habebis; tibiq; perſuadebis gratißimum mihi fore; ſi te & recte ualere, & bene agere intellexero*. Dat. *ſexto* Id. Maias. MDXVI. Anno quarto. Roma.

Proſpero Columnæ Cauio. 15

Litteras *tuas Decurionibus municipij Acutini & Vicario Epiſcopi Anagnini ſcriptas; quibus litteris demortui Epiſcopi bona tuis procuratoribus dari poſtulas; legi miſſas ab ipſis mihi, non illas quidem dignas, quæ a te proficiſcerentur, & cum iniquas, tum contumelioſas; præſertim in hominem mihi chariſsimum, quiq; a latere meo nunquàm diſcedit. An tu unus neſciebas Acutum oppidum & Epiſcoporum bona non ad te, ſed ad nos pertinere? Quamobrem primum quidem paterne te hortor; deinde mando etiam atque impero; ne te cauſa ulla, modo ullo, colore ullo illis in bonis immiſceas; néue animum addas Epiſcopi aduerſarijs male in eum cogitandi: faueas etiam potius præſtóque ſis eius procuratoribus, qui has tibi meas litteras reddiderunt. Quod ſi ius tibi aliquod ijs in bonis competere exiſtimas; id a me poſtulato: qui tibi, quod rectum honeſtumq́; ſit, nulla ex parte decero.* Dat. *tertio* Id. *Maias.* Anno *quarto.* Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 16

Proficiscentem *ad te Antonium Stunigam* Caſtellæ *Priorem dimittere ſine meis litteris nolui: in quo cum ad generis nobilitatē animi etiam magnitudinem, prudentiam, continentiam, plurimas*

mas egregias excellentesq; uirtutes adiūctas et conſociatas agnouerim : apud nos enim prope biennium in ſui Prioratus *cōtrouerſia dum ſibi ius fieri poſtulat, ſumma cum temperantia & æquanimitate uerſatus eſt: eum dignum exiſtimaui, quem & mea beneuolentia unice complecterer, & tuæ pietati diligentiſsime commendarem.* Moram *autem eam, quam iudiciorum præſtituta tempora ſibi depoſcūt, illud etiam auxit; quod* Ferdinando Rege *auo tuo quotidianis prope poſtulationibus agente apud me, ut rem illius & cauſam paululum protrahi permitterem: fore enim propterea, ut dilatione aliqua iudicij interpoſita* Prior *ipſe ad concordiam adduceretur: ſententiam iudiciumq; differri aliquantiſper rogatu* Regis *paſſus ſum exiſtimans ipſum concordiæ conditiones, quæ* Regis *& aduerſariorum ei nomine proponebantur, non recuſaturum. Quanquàm quidem poſtea cum illum nullas pactiones accipere, nullas ſibi leges uelle dari cognouiſſem, neque ullis conditionibus adduci poſſe, ut ad concordiam ſeſe demitteret; iuſsi ut cauſa lisq; omnis terminaretur, ad exitumq; perduceretur.* Iis *uero in actionibus omnibus biennioq; toto plane perſpexi id, quod mihi gratiſsimum profecto accidit; ipſum quidem obſeruantiſsimum tui eſſe; tuumq; nomen maxime colere, maximiq; facere nutus ſingulos uoluntatis tuæ.* Itaq; *tibi illum commendare iuſtiſsime ſane uideor tum morum optimorum hominem eximiæq; conſtantiæ atque uirtutis, tum fidei explora-*

tæ erga te planeq; ſingularis. Gratiſsimum igitur mihi feceris; ſi præter id, quod Antonium diligere merito eius debes, habebis illum mea cauſa etiam chariorem. Vale, noſq; dilige. Dat. Idibus Maij. Anno quarto. Romæ.

Laurentio Medici fratris filio. 17

IOANNIS *Iordani Vrſini propinqui noſtri precibus adductus, charitate etiam, qua illam gentem, ut ſcis, atq; familiam proſequor, me impellente, te hortor; ut Virginium Vrſinum Anguillariæ dominum iſtius Reip. Præfectum equitum in ea, qua nunc eſt, conditione dignitateq; retineas; neque eum miſſum facias: quem quidem etiam in meliore eſſe apud te remq; illam pub. loco, ſi fieri poſſet, magnopere uellem: meamq; hanc uoluntatem ipſi quidem exploratiſsimam eſſe ſcio. Itaq; ſic uelim tibi perſuadeas; te mihi rem pergratam eſſe facturum; ſi curabis, ut Virginius, quam in me ſpem adhuc quidem poſitam habuit, ea ne deſeratur. Dat. XVII. Cal. Iunias. MDXVI. Anno quarto. Romæ.*

Ioanni Paulo Balioni & Sipitiani Dominis. 18

CVM *mihi; quem quidem pacis atque concordiæ ſuaſorem auctoremq; eſſe maxime omnium conuenit; non mediocrem moleſtiam attuliſſet ea controuerſia; quam*

quam de Peri & Graſſiani oppidulis obſtinata nimis animorum contẽtione inter uos aliquot iam annos exercuiſtis: ne ſemper iiſdem in diſceptationibus uerſaremini: quod ſine ueſtro magno mehercule malo; noſtri uero prope, ut ueriſsime dicam, contemptu fieri non poteſt: Laurentium Medicem *fratris mei filium* Florentinorum *exercitus* Imperatorem *delegi; quo utriq; arbitro ueſtrarum diſceptationum uteremini: quiq; interea, dum de iure ueſtro cognoſcit, illorum oppidorum poſſeſsionem meo nomine capiat: ne peioribus indies malis grauioribúsque impendiis implicemini. Quamobrem uobis ſingulis mando atque impero; ut ſine uel mora, uel recuſatione ulla* Matthæo Cautio Laurentij *procuratori eorum oppidorum poſſeſsionem tradatis; ab iiſq; ipſi recedatis, ſponſionemq; faciatis, per illum iudicato uos ſtaturos & quieturos. Secus ſi feceritis; quo maiore charitate uos amplector, eo cogar & diligentius & celerius dare operam, ut meam dignitatem tuear.* Dat. XVII. Cal. Iunias. *Anno quarto.* Roma.

Thomæ Feltrinorum *Epiſcopo* Legato. 19

PVTO *te non latere quanto ſtudio cum* Venetis *egerim, ut* Chriſtophorum Friapanem Matthæi Cardinalis Gurcenſis *ſororis uirum captum ab eis ſui redimerent. Quod quoniam parum ſucceſsit; neque uelle* Venetos *intelligo miſſum illum propterea*

 facere,

facere, quod Iulium Manfronium *eorum* Præfectum *equitum hoſtes captum item a ſuis, ſi id fiat, miſſum ſe facturos recipiant: multorum ualde mihi et gratorum & probatorum hominum precibus adductus mando tibi; ut tum apud* Maximilianum, *tum cum* Cardinale *ipſo agas, contendas, efficias, ut conditione aliqua neutri parti graui* Iulium *liberent miſſúmque faciant hortatu meo.* Dat. xv. Cal. Iun. MDXVI. *Anno quarto.* Roma.

Boiorum *Duci* Præfecto Mediolanenſium. 20

SCRIBITVR *mihi non paruam militum manum extra* Regis *tui ditionem abs te mitti. Ea de rē cum nihil mihi ſignificaueris; non potui non moleſte ferre me a te ijs de rebus eſſe cælatum; præſertim cum intelligerem eos milites iam primum ad cōturbandum* Carpi *et* Mirandulæ *ſtatum tendere, municipiorum mihi in primis commendatorum, noſtrâque in tutela otioſe atque imparate quieſcentium. Quamobrem cum exiſtimem pro ſumma noſtra beneuolentia* Regem *ipſum, ad quem quidem ea de re litteras dedi, non permiſſurum, ut ij, qui nobis commendati ſunt, ab eius militibus diripiantur: peto a te etiam atque etiam, primum quidem, ut ab illorum oppidorum impreſſione tuos milites contineas, quoad aliquid ab* Rege *afferatur: deinde ut de militum itinere, ſi tibi uidetur, cogitationibusq; tuis, quemadmodum quidem noſtræ coniunctioni ualde conuenit, aliquid*

nit, aliquid nobis impartiare. Dat. XII. Cal. Iun. Anno quarto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 21

RENVNCIATVM *nobis eſt non exiguam tuorum militũ manũ extra tuæ ditionis fines tranſque Padum iter facere. De eo cum neque ad me ſcripſeris ipſe; neque tui, qui quidem in Italia ſunt, mihi quicquàm miniſtri ſignificarint; affectus moleſtia ſum propterea, quod eſt ſane rumor eos tuos milites ad peruertendas Carpi & Mirandulæ res contẽdere, quæ quidem municipia aliquot anni ſunt, cũ in meam clientelam tutelamq; ſunt recepta. Quare te hortor; ne permittas eos, qui ſe mihi dediderũt, a tuis militibus uexari; præſertim cum illos conſtet nulla in re contra te dignitatemq; tuã uel egiſſe unquàm, uel omnino cogitauiſſe. Id erit & te dignum, & a coniunctione noſtra poſtulatum, & mihi gratiſsimum.* Dat. XIII. Cal. Iun. Anno quarto. Roma.

Boiorum Duci. 22

HERI *ad te ſcripſimus; ut, quoniam rumor erat tuos milites ad Carpi atq; Mirandulæ municipia laceſſenda iter facere, uelles eos continere, dum ſciri poſſet, quid Rex tuus ea de re fieri uellet. Eas meas litteras tametſi confidimus tantum, quantum*

profecto debent pro mea ſumma in Regem *beneuolentia proq; noſtra coniunctione , apud te ponderis habituras : tamen increbreſcente magis magisq́; horis ſingulis rumore illo & ſermone hominum ſtatui* Latinum Iuuenalẽ *familiarem meum magnis itineribus ad te mittere : qui coram tota de re diligentius tecum ageret meis uerbis .* Ei *tu igitur fidem habebis ; pacemq́; & pacis ſtudia , ſi me audias , plus diliges bellis & turbis omnibus .* Dat. *ad* XII. Cal. *Iunij .* Anno *quarto .* Roma.

Epiſcopo Veſprimienſi. 23

REVERTENTI *ad te* Thomæ Nigro Vicario *tuo ; qui non ſolum apud me , ſed etiam apud fratres meos* E. R. Cardinales *publice oppidorum eorum , quæ a* Turcis *obſidentur ,* Regniq́; *iſtius cauſam, atque in primis tuam gruiter & accurate egit ; mandaui ; ut te meis uerbis ſalutaret : ac primum tibi ſignificaret ; quod plurimos pro re* Chriſtiana *labores pertuleris ; grauia omnia periculoſaq́; adieris ; impenſas maximas feceris ; nos te efferre maximis & uериßimis laudibus , deq́; ea optime eſſe meritum libentißime profiteri .* Deinde *tibi cognitam faceret diligentiam meam, quam adhibeo, ut tibi tantum auxilij , quantum ſatis ſit ad illa oppida munienda hoſtesq́; propulſandos communi conſilio atque opibus quàm celerrime mittatur : ut tuam & iſtius* Regni *Chriſtianæq́;* Reip. *dignitatẽ defendere ac tueri poſſis .* Demum

ſis. Demum *te hortaretur; ut pro tua uirtute animiq́; magnitudine hoſtium furorem tãdiu ſuſtineres, dum hæc conficerentur; quod quidem paucis diebus confidebamus fore*. Itaq; *bono animo es: optimamq́; ſpem alere populos iſtos fortiſſimos & conſtantiſſimos iube, breui ſe incolumes futuros*. Reliqua *ex ipſo cognoſces*. Dat. *octauo* Cal. Iun. Anno *quarto*. Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 24

BINAS *iam ad te litteras dedi, quibus te litteris ſum cohortatus, ut feſſis atq; labantibus* Pãnoniæ *rebus propter aſſiduam in* Dalmatas Turcarum *impreſſionẽ diuturnaq́; nimis bella pecuniæ auxilio mecum & cum cæteris noſtris* Regibus *pro tua liberalitate ſuccurreres*. Et *quoniã ea res magnæ ſane diligentiæ celeritatiſq́; indigebat; commonui in primis te; ut quæ tibi agenda eſſe ea de cauſa putares; ageres efficeresq́; quàm primũ: neq; cõmitteres; ut elapſa rei bene gerendæ occaſione, quæ quidẽ erat p breuis, tueri poſtea ab audaciſſimis hoſtibus noſtris* Regnũ *illud, cum uelles, nõ poſſes*. Eas *ad litteras poſtulataq́; noſtra, quod te dignum erat, reſcripſiſti; te ſcilicet uelle facere, quæ proponebantur: itaq; ei te rei pro tua portione nõ defuturum*. Quod *quidẽ ſtatim ego* Regi Pãnoniæ Principibusq́; *illius* Regni *uiris ſignificaui; acciditq́; eis omnibus plane gratiſſimũ*. Verũ *cũ nouiſſime per litteras* Epiſcopi *Veſprimienſis*

mienſis Præfecti Croaciæ Pãnoniæq́; Proregis optimi atq; fortiſsimi uiri certior factus ſim, ipſum quidem in exigua ſpe eſſe, poſſe ſe ulterius Turcarum uim atq; impetum ſustinere: ipſius autem Epiſcopi Vicarius coram mecum & cum meis fratribus R. R. *Cardinalibus proſtratus ante meos pedes illorumq́; genibus aduolutus flens, fidemq́; noſtram atque omnium Christianorum Regum implorans obteſtansq́;* DEOS *& homines egerit; ne Regnum illud; quod quidem adhuc hoſtium gladios noſtris a iugulis atq; ceruicibus ſemper reppulit; iri perditũ noſtra ignauia atq; ſegnitia ſineremus: oppidorum enim eorum, quæ a Turcis hoc tempore obſiderentur premerenturq́; modis omnibus, Iaizæ, Tininij, Cliſii, Scardonæ, eam naturam eſſe cum propter portus, quos haberent maximos atque tutiſsimos; tum propter materiam ad naues ædificandas idoneam; qua abundarent; demum etiam propter ipſorum ſitus atque poſitus ita Pannoniæ atq; Italiæ opportunos imminentesq́; ut uno eorum aliquo in Turcarum poteſtatem redacto Pannonia quidem ipſa ſe tueri nullo modo poßit: Italiæ autem ora, quæ ad mare Adriaticum eſt, noctis unius nauigatione eorum claßibus pateat, quibus diripi atq; incendi poßit: Hæc itaq; cum ita ſe haberent; de eorundem fratrum meorum ſententia ſtatui ad te ſcribere; teq́; hortari, & rogare; ut quàm primum quàmq́; celerrime ſaltem quindecies mille numum aureorum ad nos mitteres: qui unà cum meis alteris totidem illuc trãſmitterentur: quibus*

tur: quibus ſe opibus illa municipia communirent; ne noſtris hoſtibus ſeſe dedere fame ac rerum omnium egeſtate atq; inopia magno cum noſtro, noſtro inquam te coniungẽs, reliquorumq́; Regum noſtrorum dedecore & ignominia cogerentur. Plura me ad te ſcribere hac de re fortaſſe res ipſa poſtulat: quæ quidem ſecum maximum in utranq; partem rerum omnium motum atq; faciem trahit. Sed perſona, quam ſuſtines; nomenq́;, quod geris, plane non poſtulat. Ea te mouere etiam tacentibus nobis debẽt; ut nõ magis uerbo, quàm re tuendisq́; CHRISTI *populis & eſſe & haberi uelis* Rex & *maximus &* Chriſtianus *maxime.* Quod *quidem te facturum & pro animi tui magnitudine; quàm & omnes prædicant & ipſe agnoui; proq́; tua prudentia, religione, pietate, liberalitate ſane confido.* Hæc *uero ipſa, quæ ad te ſcribo; ſcribo item cæteris* Regibus: *quos quidem in eo non defuturos puto. Sed te decet: qui & illis maior es, & nobis cum uicinus, tum coniunctus magis; ad tui partes muneris peragendas etiam priorem & alacriorem accedere: ex quo tamen & uberior a* Dijs *immortalibus gratia et clarior ab hominibus gloria te ſequetur.* Fratres *mei tibi ſalutem aſſcribunt.* Vale. Dat. Idib. Maijs. MDXVI. Anno *quarto.* Roma.

Maximiliano

Maximiliano Rom. Imp. deſig. 25

Proximis diebus a te cum ueniſſet Sigiſmundus Alberti Legati tui familiaris multa nobis narrauit; quæ libentißime audiuimus; quæq; nobis pro ſumma noſtra in te beneuolentia gratißima & iocundißima fuerunt. Quanquàm quidem, quod ad te attinet, nunquàm ſane dubitauimus; te, qualem confidimus decetq; eſſe, talem futurum. Sed pupugerant me quorundam hominum uoces non tam maleuolorum, quàm timidorum, & omnia ſua ipſorum natura moribusq; metientium. Quos tamen ipſos nunc ualde pœnitet minus recte de animi tui magnitudine, quàm par erat, cogitauiſſe. Sed hæc quidem hactenus. Sigiſmundo uero ipſi ad te reuertenti multa mandaui; multa etiã cum Legato tuo ſum loquutus; quæ ad te perferri uolo. Quare & illius ſermoni & huius litteris ſemihoram dabis: tibiq; perſuadebis, dignitatem amplitudinemq; tuam mihi magnæ curæ eſſe. Vale noſtrorum hominum Imperator uere maxime atque optime. Dat. Cal. Iunijs. Anno quarto. Romæ.

Vrbinatibus. 26

Intellexi ueſtris ex litteris id; quod mihi pro ea, qua urbem iſtam omni ſum tempore beneuolentia charitateq; proſequutus, iocundißimum

ſane

ſane fuit; uos ad meum & huius Reip. Imperium *libenti animo rediſſe.* Equidem *uos ea de re uehementer laudo: qui tempeſtatibus huc illuc diu iactati poſt longos atq; multos labores in* Reip. *piæ optimæq; matris ſinu, tanquàm in portu, conquieſcere uoluiſtis.* Itaq; *municipium iſtud uosq; omnes in meam curam atq; fidem libentiſsime recipio: dabóque operam; ut in mea erga uos tum beneuolentia tum ſtudio & diligentia ſecure pacateq; degatis.* Atq; *aliquem ex intimis chariſsimisq; mihi perſpectaq; probitate & uirtute uirum propediem iſthuc mittam ad uos nõ ſolum regendos, ſed maxime etiam & fouendos & omni pietate complectendos.* Neq; *interea uobis deerit* Laurentij Medicis *fratris mei filij ueſtri* Ducis *induſtria: qui ſuis uos opibus amantiſsime tuebitur.* Hortor *autem uos; ut quam uobis nuper* Dominus *in recuperanda huius* Reip. *beneuolentia mentem dedit, eam in poſterum pietate, fide, ſtudijsq; ueſtris etiam augeatis.* Dat. Cal. Iun. *Anno quarto.* Roma.

Genuenſibus. 27

QVESTI *apud me ſunt per litteras* VIII *uiri* Reipub. Florentinæ *grauiter illi quidem, et plus dolore, quàm attramento illitis codicillis: cum ſcriberent nauem quandam* Cypriam *a* Florentinis *mercatoribus conductam, onuſtamq; ſale* Ebuſitano *in ciuitatis ipſorum uſum* Piſano *in portu a ueſtrarum*

quatuor

quatuor triremium Præfectis *captam fuiſſe, perductamq; iſthuc, inquientibus ita ſibi facere per uetuſtiſsimas* Romanorum *Imperatorem conceſsiones licere, uelleq; ſe eo detracto ſale nauem comburere iactantibus præq; ſe ferentibus. Quod quidem mihi; ut uere dicam, quod ſentio; moleſtiſsimum accidit; uiſumq; eſt ualde mehercule indignum ueſtra maiorumq; ueſtrorum æquitate ac frugalitate, addo etiã urbis ueſtræ dignitate & nomine; eoq; magis; quod quibus a ciuibus ueſtris ſe defenſum iri* Florentini *ciues contra* Pœnorum Pyratarum *claſſem exiſtimabant; idq; ab ipſis prædicabatur; quosq; ciues ueſtros ea de cauſa ſuo in portu amiciſsime receperãt, rebus omnibus iuuerant; illis ipſis eorum fortunas prædæ atque ludibrio eſſe, ſpeciem quandam habet inſolitæ uel perfidiæ, uel auaritiæ, uel ſceleris. Quid enim hoſtes ipſi* Pœni *ui atque armis illos aggreſsi durius in eos atq; crudelius ſtatuiſſent? Aut quis uobis poſthac fidem ullam habendam exiſtimabit; ſi quos ab alijs tuendos ipſi palam ſuſcepiſtis; quiq; uos ſane liberaliter atq; etiam uerius hilariter, tanquàm bonos hoſpites, amicos quidem certe atq; ſocios ſuis in terris atq; portubus exceperant; ij a uobis capiuntur, diripiuntur, incenduntur; eiuſmodiq; habentur, in quos exempla crudelitatis exerceatis? Quamobrem ſtatui uos magnopere hortari; ne plus antiquas ullas ueſtras* Imperatoris *conceſsiones; quã ius gentium, quàm bonum & æquum, quàm humanitatem ipſam faciatis: iubeatisq; ut mercatoribus*

Florentinis,

Florentinis, uel Reip. potius; ea enim me hoc rogat, tam quidem mecum & cum re hac p. coniunctæ atque conſociatæ, ut una atq; eadem ambæ eſſe uideantur, ablata per ueſtros Præfectos omnia ſine mora ſineq; impendio reſtituantur. Quod erit & iuſtitiæ modeſtiæq; ueſtræ; duas enim has præclaras maximeq; urbibus populisq; ſalutares adhuc in uobis uirtutes agnoui; magnopere proprium; & mihi uehementiſsime gratum. Sed tota de re Franciſcus Ghibertus *fiſci* Romani *miniſter; ad quem lōgiores litteras dedi; mentem uobis meam diligentius exponet.* Dat. *octauo* Id. *Iunias.* MDXVI. *Anno quarto.* Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 28

MVLTO *ante, quàm ab hominibus emigraret* Ferdinandus Rex *auus tuus; litteras ad me dedit: quibus ſe litteris* Hieronymo Vicco Legato *apud me ſuo pollicitum fuiſſe narrabat, quem quidem uirum optime de ſe meritum fatebatur; daturum ſe operam, ut quæ primum* Eccleſia *boni prouentus ſuis in* Regnis *Epiſcopo deficeretur, ei nos* Eccleſiæ Vicci *fratrem præficeremus. qua de re mecum* Hieronymus *non ſemel egit; quippe qui ea ſpe plurimū fouebatur; nec uerebatur; quin* Rex; *quemadmodū quidem & ſibi receperat, & mihi ſcripſerat; primo quoque tempore eſſet facturus.* Hæc *mea commemoratio quam uim habeat; per te ipſe facile iudicabis*

dicabiſ. Nunc *autem*, *cum* Hieronymus *mihi ſignificarit* Ludouicũ Epiſcopum *Dertuſenſem uita functum eſſe*; *teſtiſ uero ipſe ſim non ſolum promiſſi* Regis, *ut dixi*, *ſed* Vicci *etiam in* Regem *fidei*, *diligentiæ*, *meritorum*: *probo & prudenti homini*, *& eximia in* Reges *ſuos obſeruantia*, *& cum ſumma illorum laude maximiſq; ſuis laboribus decem totos annos* Romæ *uerſato*, *optime de auo ipſo tuo*, *bene de te merito*, *mihi propter eius excellentẽ uirtutem in primis grato deeſſe plane nolui*. Itaq; *non ſolum te hortor*, *ſed etiam atq; etiam abs te peto*; *uelis ut ei* Eccleſiæ Pontificis *cura atq; ſolatio deſtitutæ frater* Hieronymi *præficiatur*, *cum propterea*; *ut tu*; *qui fortunarum aui tui &* Regnorum *tot atque tantornm hæreditatem* DEI Opt. Max. *munere creuiſti*; *illius etiam fidei & promiſſorum*, *ratione præſertim meritoq; factorum*, *hæredem uelle agere uideare*: *tum uel maxime ut* Legati *tui*; *qui tuorum* Regnorum *negotia tam diligenter tantáque cum dignitate totq; annos apud* Romanos Pontifices *procurauit*; *laborum & uigiliarum rationem te habuiſſe omnes homines intelligant*. In *quo cum illud egeris*; *quod facere tua ſponte ſane debes*; *quodq; tibi & laudi & gratiæ apud tuos eſt futurum*; *qui hoc exemplo ad bene de te merendum excitari poterunt*: Mihi *quidem ipſi tam gratum feceris*; *quàm ſi tantundem aut eo amplius alicui ex meis familiaribus mihi charioribus & coniunctioribus contuliſſes*. Dat. XIII. Cal. Quintiles. Anno IIII. Romæ.

Agneſinæ Montisferetrianæ Fabritij Columnæ uxori. 29

AFFERTVR *ad nos multa quotidie latrocinia multasq; cædes in Algidi ſylua fieri; impediriq; itinera ſic, ut iam à uiatoribus non frequētentur. Quod cum & mihi permoleſtum ſit, & cum* Reip. *indignitate magnopere coniunctum: peto a te; des operam, mandesq; tuis hominibus, ut latrones intercipiant: ut & eiuſmodi ſcelera reprimantur, & itinera purgentur. Ea in re cum id; quod, tametſi fœmina es, a tua tamen uirtute poſtulatur, teq; maxime dignum eſt, facies: tum uiri tui abſentis optimi hominis atq; fortiſſimi deſiderium mihi &* Reip. *lenies.* Dat. XI. Cal. *Quintiles.* Anno *quarto.* Roma.

PETRI BEMBI

EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER TERTIVSDECIMVS.

Thomæ Cardinali Strigonienſi. 1

LECTIS *tuis litteris, quas binas uno tempore accepi alteris ad decimum, alteris ſexto* Cal. Iunias *datis, ſtatim fratres meos* E. R. *Cardinales adhibui; ut unà, quid tibi ad illas reſpondere nos oporteret, mature conſuleremus.* Itaq; *de communi noſtrum omnium ſententia tibi reſpondeo: utar autem ordine, ad priorem ſcilicet epiſtolam prius:* Gratiſſimum *nobis accidiſſe; quod in conuentu* Pannonico *nuper habito omnia tranquille atq; pacate acta confecta tranſactaq́; ſint.* Nam *cum proxime propter recẽtem* Vladislai Regis *mortem, imbecillamq́;* Ludouici *eius filij ad regendos populos ætatem ne turbæ ſeditionesq́; inter iſtos* Principes *exiſterent, magnopere timuiſſemus: nunc, cum res aliter ceciderit; iamq́; omnia per uos & prudenter & temperate adminiſtrentur; magna certe uoluptate tuæ nos litteræ affecerunt.* Valde *enim fore credimus; ut ſi uos in tractandis*

Regnorum

Regnorum iſtorum explicandiſq; negotijs idem atq; unum omnes reſpicietis; magna cum pacis & quietis, tũ dignitatis & cõmodorum incrementa publice atque priuatim ueſtris rebus ſint acceſſura. Pacis enim atq; concordiæ cupidos & retinentes protegit augetq; pacificus & mitiſsimus Dominus. Quare eo de conſenſu & uoluntate maximis uos ſingulos & ſtudijs proſequimur & laudibus. Hortamur autem; ut in inſtituendo Rege puero, ætateq; illa tenera & flectenda, & dirigenda eundem conſenſum, eandem curam adhibeatis, quoad Rex ſe atq; ſua regere per ætatem poſsit. Nam ut arborum ſemina, dum puſilla ſunt, palis indigent, quibus nitantur; ne uentis et tempeſtatibus incarueſcant; obliquitatemq; ducant creſcentia; ſic puerorum ingenijs moderatore opus eſt & magiſtro; qui ea regat atque contineat; ne flectere in uitia malaſq; artes poſsint: ad quas tenera omnis & infirma ætas pronos maximeq; lubricos lapſus habet. Reſcripſi ad priorem epiſtolam tuam: nunc ad poſtremã uenio: quã me de aduentu ad uos Turcarum Regis Legati certiorem facis induciarum cum Rege tuo cõficiendarum cauſa: conſiliumq; requiris meum: ut quid uobis faciendum ſit, ſcire poſſis: Quod quidem nullũ habeo, tibi quod dem, præter illud; de quo ad te non unis litteris ſcripſi. Quod idem nunc ſcribo: nobis ſcilicet eãdem eſſe mentem, eundẽ animum; qui antea fuit; quiq; ſemper eſt futurus. Cupimus enim ut debemus, ne cum perpetuis noſtris hoſtibus ulli Reges noſtri, ulla Imperia ſe cõ-

iungant. Qui non id poſtulant propterea; quod pacem & otium uelint; cum nihil, niſi bella mediten-tur: uel quod ullo uos commodo affici non ægerrime moleſtiſsimeq́; ferant; quorũ oppida ditionemq́; ipſas inducias flagitantes depopulantur & proterunt. Sed ut a uobis populisq́; iſtis bellicoſiſsimis atq́; fortiſsimis ſecuri tantiſper ſint; dum uel alia, quæ ſibi cordi ſunt, explicent aliosq́; Reges *opprimant; uel ſibi opes comparent ad uos poſtea, quibus maxime inhiant, ualidis integrisq́; uiribus aggrediendos planeq́; conficiendos. Itaque non poſſumus aſſentiri ijs conditionibus; quas in ueſtras ceruices atq́; perniciem credimus reuerſuras. Eam ob rem, ut ſcis, diligentiſsime ad omnes* Chriſtianos Reges *non ſemel ſcripſimus: multisq́; precibus contẽdimus ab ijs; ut* Regi Regnisq́; *iſtis ad hoſtium conatus repellendos unà nobiſcum opem atque ſuppetias ferant. Id etſi ſerius fit, quàm uolumus, quàmq́; decebat; futurum tamen in tempore confidimus: utq́; fiat; damus nũc quoq́; ad eos ipſos eadem de re litteras; monemusq́; ſingulos, longiorem mittendo auxilio moram ne addant: ne dum ipſi cunctabundi ſedent; ad id uos neceſsitas compellat; quod poſtea factum recidere in maximum uniuerſæ* Chriſtianæ Reipub. *damnum atque dedecus facile poſsit. Qui ſi, quod petimus, in tempore fecerint; uobis ante omnes erit utile, nihil cum* Turcis *ſtatuiſſe: quibus fortaſſe ueteres etiam eorum in uos iniurias ulciſcendi occaſio propterea dabitur. Nos quidem certe pro ueſtra dignitate tuẽ-*

da Regnoq́;

da Regnoq́; defendendo omnes noſtras opes, ſangui-nem etiam noſtrum, ſi expediat, ſumus libentißime profuſuri: quemadmodum cum Franciſco Marſupi-no familiari ab epiſtolis tuo latius & ipſe loquutus ſum, & meorum fratrum plurimi idem fecerunt: cu-ius te ad litteras referes. Dat. octauo Cal. Quinti-les. MDXVI. Anno quarto. Romæ.

Hominibus ſancti Martini in fines Ariminenſium. 2

IVLIANVM ordinis Franciſcini theologi-cis in ſtudijs magiſtrum Internuncium ueſtrũ liben-ter audiui gratáque mihi eius oratio fuit. Intellexi enim cognouiq́; ex ipſo, noſtrum uos exercitum pro-ximis diebus ad uicina uobis loca miſſum omni ope copiáque ueſtra iuuiſſe: de quo etiam Laurentij Medicis fratris mei filij litteris ſum certior factus: qui mihi uos ijſdem ipſis litteris diligentiſsime com-mendauit. Ea de re ſtudiisque ueſtris uos & laudo uehementer & probo. Volo etiam confidere, poſ-ſe uos æqua honeſtaq́; omnia uobis ipſis de me pol-liceri. Atque ut primas poſtulationes ueſtras me nõ neglexiſſe intelligatis; in meam uos iam nunc curam tutelámque recipio. Dat. octauo Cal. Quintiles. Anno quarto. Romæ.

profecto debent pro mea ſumma in Regem *beneuolentia proq; noſtra coniunctione, apud te ponderis habituras: tamen increbreſcente magis magiſq; horis ſingulis rumore illo & ſermone hominum ſtatui* Latinum Iuuenalẽ *familiarem meum magnis itineribus ad te mittere: qui coram tota de re diligentius tecum ageret meis uerbis.* Ei tu *igitur fidem habebis; pacemq; & pacis ſtudia, ſi me audias, plus diliges bellis & turbis omnibus.* Dat. *ad* XII. Cal. *Iunij.* Anno *quarto.* Roma.

Epiſcopo Veſprimienſi. 23

REVERTENTI *ad te* Thomæ Nigro Vicario *tuo; qui non ſolum apud me, ſed etiam apud fratres meos* E. R. *Cardinales publice oppidorum eorum, quæ a* Turcis *obſidentur,* Regniq; *iſtius cauſam, atque in primis tuam gruiter & accurate egit; mandaui; ut te meis uerbis ſalutaret: ac primum tibi ſignificaret; quod plurimos pro re Chriſtiana labores pertuleris; grauia omnia periculoſaq; adieris; impenſas maximas feceris; nos te efferre maximis & ueriſſimis laudibus, deq; ea optime eſſe meritum libentiſſime profiteri.* Deinde *tibi cognitam faceret diligentiam meam, quam adhibeo, ut tibi tantum auxilij, quantum ſatis ſit ad illa oppida munienda hoſteſq; propulſandos communi conſilio atque opibus quàm celerrime mittatur: ut tuam & iſtius* Regni Chriſtianæq; Reip. *dignitatẽ defendere ac tueri poſſis.* Demum

ſis. Demum *te hortaretur; ut pro tua uirtute animiq́; magnitudine hoſtium furorem tãdiu ſuſtineres, dum hæc conficerentur; quod quidem paucis diebus confidebamus fore.* Itaq; *bono animo es: optimamq́; ſpem alere populos iſtos fortiſſimos & conſtantiſſimos iube, breui ſe incolumes futuros*. Reliqua *ex ipſo cognoſces*. Dat. *octauo* Cal. Iun. Anno *quarto*. Romæ.

Franciſco Gallorum Regi. 24

BINAS *iam ad te litteras dedi, quibus te litteris ſum cohortatus, ut feßis atq; labantibus* Pãnoniæ *rebus propter aßiduam in* Dalmatas Turcarum *impreßionẽ diuturnaq́; nimis bella pecuniæ auxilio mecum & cum cæteris noſtris* Regibus *pro tua liberalitate ſuccurreres*. Et *quoniã ea res magnæ ſane diligentiæ celeritatiſq́; indigebat; commonui in primis te; ut quæ tibi agenda eſſe ea de cauſa putares; ageres efficeresq́; quàm primũ: neq; cõmitteres; ut elapſa rei bene gerendæ occaſione, quæ quidẽ erat ꝑbreuis, tueri poſtea ab audaciſsimis hoſtibus noſtris* Regnũ *illud, cum uelles, nõ poſſes*. Eas *ad litteras poſtulataq́; noſtra, quod te dignum erat, reſcripſiſti; te ſcilicet uelle facere, quæ proponebantur: itaq; ei te rei pro tua portione nõ defuturum*. Quod *quidẽ ſtatim ego* Regi Pãnoniæ Principibusq́; *illius* Regni *uiris ſignificaui; acciditq́; eis omnibus plane gratiſsimũ*. Verũ *cũ nouiſsime per litteras* Epiſcopi Veſprimienſis

mienſis Præfecti Croaciæ Pãnoniæq; Proregis optimi atq; fortiſsimi uiri certior factus ſim, ipſum quidem in exigua ſpe eſſe, poſſe ſe ulterius Turcarum uim atq; impetum ſuſtinere: ipſius autem Epiſcopi Vicarius coram mecum & cum meis fratribus R. R. Cardinalibus proſtratus ante meos pedes illorumq́; genibus aduolutus flens, fidemq́; noſtram atque omnium Chriſtianorum Regum implorans obteſtansq́; DEOS & homines egerit; ne Regnum illud; quod quidem adhuc hoſtium gladios noſtris a iugulis atq; ceruicibus ſemper reppulit; iri perditũ noſtra ignauia atq; ſegnitia ſineremus: oppidorum enim eorum, quæ a Turcis hoc tempore obſiderentur premerenturq́; modis omnibus, Iaizæ, Tininij, Cliſſi, Scardonæ, eam naturam eſſe cum propter portus, quos haberent maximos atque tutiſsimos; tum propter materiam ad naues ædificandas idoneam; qua abundarent; demum etiam propter ipſorum ſitus atque poſitus ita Pannoniæ atq; Italiæ opportunos imminentesq́; ut uno eorum aliquo in Turcarum poteſtatem redacto Pannonia quidem ipſa ſe tueri nullo modo poſsit: Italiæ autem ora, quæ ad mare Adriaticum eſt, noctis unius nauigatione eorum claſsibus pateat, quibus diripi atq; incendi poſsit: Hæc itaq; cum ita ſe haberent; de eorundem fratrum meorum ſententia ſtatui ad te ſcribere; teq́; hortari, & rogare; ut quàm primum quàmq́; celerrime ſaltem quindecies mille numum aureorum ad nos mitteres: qui unà cum meis alteris totidem illuc trãſmitterentur: quibus

tur: quibus ſe opibus illa municipia communirent; ne noſtris hoſtibus ſeſe dedere fame ac rerum omnium egeſtate atq; inopia magno cum noſtro, noſtro inquam te coniungēs, reliquorumq́; Regum noſtrorum dedecore & ignominia cogerentur. Plura me ad te ſcribere hac de re fortaſſe res ipſa poſtulat: quæ quidem ſecum maximum in utranq; partem rerum omnium motum atq; faciem trahit. Sed perſona, quam ſuſtines; nomenq́;, quod geris, plane non poſtulat. Ea te mouere etiam tacentibus nobis debēt; ut nō magis uerbo, quàm re tuendisq́; CHRISTI *populis & eſſe & haberi uelis* Rex & *maximus &* Chriſtianus *maxime.* Quod *quidem te facturum & pro animi tui magnitudine; quàm & omnes prædicant & ipſe agnoui; proq́; tua prudentia, religione, pietate, liberalitate ſane confido.* Hæc *uero ipſa, quæ ad te ſcribo; ſcribo item cæteris* Regibus: *quos quidem in eo non defuturos puto. Sed te decet: qui & illis maior es, & nobis cum uicinus, tum coniunctus magis; ad tui partes muneris peragendas etiam priorem & alacriorem accedere: ex quo tamen & uberior a* Dijs *immortalibus gratia et clarior ab hominibus gloria te ſequetur.* Fratres *mei tibi ſalutem aſſcribunt.* Vale. Dat. Idib. Maijs. MDXVI. *Anno quarto.* Romæ.

Maximiliano

Maximiliano Rom. Imp. deſig. 25

PROXIMIS *diebus a te cum ueniſſet Sigiſmundus Alberti Legati tui familiaris multa nobis narrauit; quæ libentiſsime audiuimus; quæq; nobis pro ſumma noſtra in te beneuolentia gratiſsima & iocundiſsima fuerunt. Quanquàm quidem, quod ad te attinet, nunquàm ſane dubitauimus; te, qualem confidimus decetq; eſſe, talem futurum. Sed pupugerant me quorundam hominum uoces non tam maleuolorum, quàm timidorum, & omnia ſua ipſorum natura moribusq; metientium. Quos tamen ipſos nunc ualde pœnitet minus recte de animi tui magnitudine, quàm par erat, cogitauiſſe. Sed hæc quidem hactenus. Sigiſmundo uero ipſi ad te reuertenti multa mandaui; multa etiã cum Legato tuo ſum loquutus; quæ ad te perferri uolo. Quare & illius ſermoni & huius litteris ſemihoram dabis: tibiq; perſuadebis, dignitatem amplitudinemq; tuam mihi magnæ curæ eſſe. Vale noſtrorum hominum Imperator uere maxime atque optime.* Dat. Cal. Iunijs. *Anno quarto.* Roma.

Vrbinatibus. 26

INTELLEXI *ueſtris ex litteris id; quod mihi pro ea, qua urbem iſtam omni ſum tempore beneuolentia charitateq; proſequutus, iocundiſsimum*

ſane

ſane fuit; uos ad meum & huius Reip. Imperium libenti animo rediјſſe. Equidem uos ea de re uehementer laudo: qui tempeſtatibus huc illuc diu iactati poſt longos atq; multos labores in Reip. piæ optimæq; matris ſinu, tanquàm in portu, conquieſcere uoluiſtis. Itaq; municipium iſtud uosq; omnes in meam curam atq; fidem libentiſsime recipio: daboque operam; ut in mea erga uos tum beneuolentia tum ſtudio & diligentia ſecure pacateq; degatis. Atq; aliquem ex intimis chariſsimisq; mihi perſpectaq; probitate & uirtute uirum propediem iſthuc mittam ad uos nõ ſolum regendos, ſed maxime etiam & fouendos & omni pietate complectendos. Neq; interea uobis deerit Laurentij Medicis fratris mei filij ueſtri Ducis induſtria: qui ſuis uos opibus amantiſsime tuebitur. Hortor autem uos; ut quam uobis nuper Dominus in recuperanda huius Reip. beneuolentia mentem dedit, eam in poſterum pietate, fide, ſtudijsq; ueſtris etiam augeatis. Dat. Cal. Iun. Anno quarto. Roma.

Genuenſibus. 17

QVESTI apud me ſunt per litteras VIII uiri Reipub. Florentinæ grauiter illi quidem, et plus dolore, quàm attramento illitis codicillis: cum ſcriberent nauem quandam Cypriam a Florentinis mercatoribus conductam, onuſtamq; ſale Ebuſitano in ciuitatis ipſorum uſum Piſano in portu a ueſtrarum quatuor

Florentinis, uel Reip. potius; ea enim me hoc rogat, tam quidem mecum & cum re hac p. coniunctæ atque conſociatæ, ut una atq; eadem ambæ eſſe uideantur, ablata per ueſtros Præfectos omnia ſine mora ſineq; impendio reſtituantur. Quod erit & iuſtitiæ modeſtiæq; ueſtræ; duas enim has præclaras maximeq; urbibus populisq; ſalutares adhuc in uobis uirtutes agnoui; magnopere proprium; & mihi uehementiſsime gratum. Sed tota de re Franciſcus Ghibertus fiſci Romani miniſter; ad quem lõgiores litteras dedi; mentem uobis meam diligentius exponet. Dat. octauo Id. Iunias. MDXVI. Anno quarto. Romæ.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 28

MVLTO ante, quàm ab hominibus emigraret Ferdinandus Rex auus tuus; litteras ad me dedit: quibus ſe litteris Hieronymo Vicco Legato apud me ſuo pollicitum fuiſſe narrabat, quem quidem uirum optime de ſe meritum fatebatur; daturum ſe operam, ut quæ primum Eccleſia boni prouentus ſuis in Regnis Epiſcopo deficeretur, ei nos Eccleſiæ Vicci fratrem præficeremus. qua de re mecum Hieronymus non ſemel egit; quippe qui ea ſpe plurimũ fouebatur; nec uerebatur; quin Rex; quemadmodũ quidem & ſibi receperat, & mihi ſcripſerat; primo quoque tempore eſſet facturus. Hæc mea commemoratio quam uim habeat; per te ipſe facile iudicabis

dicabis. *Nunc autem*, *cum* Hieronymus *mihi ſignificarit* Ludouicũ Epiſcopum *Dertuſenſem uita functum eſſe*; *teſtis uero ipſe ſim non ſolum promiſſi* Regis, *ut dixi*, *ſed* Vicci *etiam in* Regem *fidei*, *diligentiæ*, *meritorum*: *probo & prudenti homini*, *& eximia in* Reges *ſuos obſeruantia*, *& cum ſumma illorum laude maximisq; ſuis laboribus decem totos annos* Romæ *uerſato*, *optime de auo ipſo tuo*, *bene de te merito*, *mihi propter eius excellentẽ uirtutem in primis grato deeſſe plane nolui*. Itaq; *non ſolum te hortor*, *ſed etiam atq; etiam abs te peto*; *uelis ut ei* Eccleſiæ Pontificis *cura atq; ſolatio deſtitutæ frater* Hieronymi *præficiatur*, *cum propterea*; *ut tu*; *qui fortunarum aui tui &* Regnorum *tot atque tantornm hæreditatem* DEI Opt. Max. *munere creuiſti*; *illius etiam fidei & promiſſorum*, *ratione præſertim meritoq; factorum*, *hæredem uelle agere uideare*: *tum uel maxime ut* Legati *tui*; *qui tuorum* Regnorum *negotia tam diligenter tantáque cum dignitate totq; annos apud* Romanos Pontifices *procurauit*; *laborum & uigiliarum rationem te habuiſſe omnes homines intelligant*. In *quo cum illud egeris*; *quod facere tua ſponte ſane debes*; *quodq; tibi & laudi & gratiæ apud tuos eſt futurum*; *qui hoc exemplo ad bene de te merendum excitari poterunt*: Mihi *quidem ipſi tam gratum feceris*; *quàm ſi tantundem aut eo amplius alicui ex meis familiaribus mihi charioribus & coniunctioribus contuliſſes*. Dat. XIII. Cal. Quintiles. Anno IIII. Roma.

Agneſinæ

Agneſinæ Montisferetrianæ Fabritij Columnæ uxori. 29

A F F E R T V R *ad nos multa quotidie latrocinia multasq́; cædes in Algidi ſylua fieri; impediriq́; itinera ſic, ut iam à uiatoribus non frequẽtentur. Quod cum & mihi permoleſtum ſit, & cum Reip. indignitate magnopere coniunctum: peto a te; des operam, mandesq́; tuis hominibus, ut latrones intercipiant: ut & eiuſmodi ſcelera reprimantur, & itinera purgentur. Ea in re cum id; quod, tametſi fœmina es, a tua tamen uirtute poſtulatur, teq́; maxime dignum eſt, facies: tum uiri tui abſentis optimi hominis atq; fortiſsimi deſiderium mihi & Reip. lenies.* Dat. x i. Cal. Quintiles. *Anno quarto.* Roma.

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER TERTIVSDECIMVS.

Thomæ Cardinali Strigonienſi. 1

LECTIS *tuis litteris, quas binas uno tempore accepi alteris ad decimum, alteris ſexto Cal.* Iunias *datis, ſtatim fratres meos* E. R. *Cardinales adhibui; ut unà, quid tibi ad illas reſpondere nos oporteret, mature conſuleremus.* Itaq; *de communi noſtrum omnium ſententia tibi reſpondeo: utar autem ordine, ad priorem ſcilicet epiſtolam prius:* Gratiſſimum *nobis accidiſſe; quod in conuentu* Pannonico *nuper habito omnia tranquille atq; pacate acta confecta tranſactaq; ſint.* Nam *cum proxime propter recẽtem* Vladislai Regis *mortem, imbecillamq;* Ludouici *eius filij ad regendos populos ætatem ne turbæ ſeditionesq; inter iſtos* Principes *exiſterent, magnopere timuiſſemus: nunc, cum res aliter ceciderit; iamq; omnia per uos & prudenter & temperate adminiſtrentur; magna certe uoluptate tuæ nos litteræ affecerunt.* Valde *enim fore credimus; ut ſi uos in tractandis*

Regnorum iſtorum explicandiſq; negotijs idem atq; unum omnes reſpicietis; magna cum pacis & quietis, tū dignitatis & cõmodorum incrementa publice atque priuatim ueſtris rebus ſint acceſſura. Pacis *enim atq; concordiæ cupidos & retinentes protegit augetq; pacificus & mitiſſimus* Dominus. Q*uare eo de conſenſu & uoluntate maximis uos ſingulos & ſtudijs proſequimur & laudibus*. Hortamur *autem; ut in inſtituendo* Rege *puero, ætateq; illa tenera & flectenda, & dirigenda eundem conſenſum, eandem curam adhibeatis, quoad* Rex *ſe atq; ſua regere per ætatem poßit*. Nam *ut arborum ſemina, dum puſilla ſunt, palis indigent, quibus nitantur; ne uentis et tempeſtatibus incurueſcant; obliquitatemq; ducant creſcentia; ſic puerorum ingenijs moderatore opus eſt & magiſtro; qui ea regat atque contineat; ne flectere in uitia malaſq; artes poßint: ad quas tenera omnis & infirma ætas pronos maximeq; lubricos lapſus habet*. R*eſcripſi ad priorem epiſtolam tuam: nunc ad poſtremã uenio: quã me de aduentu ad uos* Turcarum Regis Legati *certiorem facis induciarum cum* Rege *tuo cõficiendarum cauſa: conſiliumq; requiris meum: ut quid uobis faciendum ſit, ſcire poſſis*. Q*uod quidem nullũ habeo, tibi quod dem, præter illud; de quo ad te non unis litteris ſcripſi*. Q*uod idem nunc ſcribo: nobis ſcilicet eãdem eſſe mentem, eundẽ animum; qui antea fuit; quiq; ſemper eſt futurus*. Cupimus *enim ut debemus, ne cum perpetuis noſtris hoſtibus ulli* Reges *noſtri, ulla* Imperia *ſe cõ-*

iungant. Qui non id poſtulant propterea; quod pacem & otium uelint; cum nihil, niſi bella meditentur: uel quod ullo uos commodo affici non ægerrime moleſtiſſimeq́; ferant; quorũ oppida ditionemq́; ipſas inducias flagitantes depopulantur & proterunt. Sed ut a uobis populisq́; iſtis bellicoſiſſimis atq; fortiſſimis ſecuri tantiſper ſint; dum uel alia, quæ ſibi cordi ſunt, explicent aliosq́; Reges opprimant; uel ſibi opes comparent ad uos poſtea, quibus maxime inhiant, ualidis integrisq́; uiribus aggrediendos planeq́; conficiendos. Itaque non poſſumus aſſentiri ijs conditionibus; quas in ueſtras ceruices atq; perniciem credimus reuerſuras. Eam ob rem, ut ſcis, diligentiſſime ad omnes Chriſtianos Reges non ſemel ſcripſimus: multisq́; precibus contẽdimus ab ijs; ut Regi Regnisq́; iſtis ad hoſtium conatus repellendos unà nobiſcum opem atque ſuppetias ferant. Id etſi ſerius fit, quàm uolumus, quàmq́; decebat; futurum tamen in tempore confidimus: utq́; fiat; damus nũc quoq́; ad eos ipſos eadem de re litteras; monemusq́; ſingulos, longiorem mittendo auxilio moram ne addant: ne dum ipſi cunctabundi ſedent; ad id uos neceſſitas compellat; quod poſtea factum recidere in maximum uniuerſæ Chriſtianæ Reipub. damnum atque dedecus facile poſſit. Qui ſi, quod petimus, in tempore fecerint; uobis ante omnes erit utile, nihil cum Turcis ſtatuiſſe: quibus fortaſſe ueteres etiam eorum in uos iniurias ulciſcendi occaſio propterea dabitur. Nos quidem certe pro ueſtra dignitate tuẽ-

da Regnoq́;

da Regnoq; defendendo omnes noſtras opes, ſanguinem etiam noſtrum, ſi expediat, ſumus libentiſsime profuſuri: quemadmodum cum Franciſco Marſupino familiari ab epiſtolis tuo latius & ipſe loquutus ſum, & meorum fratrum plurimi idem fecerunt: cuius te ad litteras referes. Dat. octauo Cal. Quintiles. M D X V I. *Anno quarto. Romæ.*

Hominibus ſancti Martini in fines Ariminenſium. 2

IVLIANVM *ordinis Franciſcini theologicis in ſtudijs magiſtrum Internuncium ueſtrū libenter audiui gratáque mihi eius oratio fuit. Intellexi enim cognouiq; ex ipſo, noſtrum uos exercitum proximis diebus ad uicina uobis loca miſſum omni ope copiáque ueſtra iuuiſſe; de quo etiam Laurentij Medicis fratris mei filij litteris ſum certior factus: qui mihi uos ijſdem ipſis litteris diligentiſsime commendauit. Ea de re ſtudiisque ueſtris uos & laudo uehementer & probo. Volo etiam confidere, poſſe uos æqua honeſtaq; omnia uobis ipſis de me polliceri. Atque ut primas poſtulationes ueſtras me nō neglexiſſe intelligatis; in meam uos iam nunc curam tutelámque recipio. Dat. octauo Cal. Quintiles. Anno quarto. Romæ.*

CCC 3 Petro

Petro Ioanni Gallicæ claſsis Præfecto. 3

GRATA mihi fuit uoluntas & alacritas tua; quàm tuis ex litteris perſpexi, Franciſci Regis tui iuſſu in noſtra contra Pyratas Pœnos claſſe operam ſtudiumq; tuum mihi nauandi. Qua in re quoniam me cōſulis, quæriſq; quid per te maxime fieri uelim: nihil ſane, præter unum; ut Federico Archiepiſcopo Salernitanorum, quem claſsi noſtræ legaui, præſto ſis, eiq; pareas rebus in omnibus. Ille enim is eſt uir, eaq; tum prudentia, & rerum gerendarum experientia, tum facilitate temperantiaq; præditus; ut mihi dubium nō ſit; quin huius belli adminiſtrandi eam, quàm debet, & curam ſit & rationem habiturus, tibique in primis ſatisfacturus. Cæterum quoniam accidere poterit, ut cum Caroli Regis Hiſpaniæ claſſe; quæ quidem etiam proxime Neapoli ad Pœnos perſequendos eſt ſolutura; noſtra claſsis ſe coniungat: te hortor; ut cum eius claſsis Præfectis omnia amici hominis officia exerceas; teq; ijs facilem atque beneuolum præbeas: ſic enim Regijs miniſtris recepi, te reliquoſq; noſtros & Præfectos & miniſtros omnes eſſe facturos. Itaq; meam in eo fidem ut præſtes, etiam atq; etiam abs te peto. Quod attinet ad morte mulctādos Pyratas illos, ſi capientur; ut magis cæteri a locorum noſtrorum uaſtatione abſterreantur: eius rei deliberationem, quemadmodum reliqua omnia, ipſi Legato remiſi: quem

ſcio

ſcio tuis conſilijs multum ſemper tributurum. Perge *modo ipſe* : & , *quæ tuæ erunt partes , hoc in bello fortem te & diligentem præſta : ut bene de me addo etiam cæteris de populis , quorum intereſt, quóſque defendes atq; tueberis , bene agendo beneq; conſulendo mereare* . A *me certe tuorum & laborum et meritorum paterno animo ratio ſemper habebitur* . Dat. *ſeptimo* Cal. Quintiles. M D X V I. Anno *quarto* . Roma .

Philibertæ Allobrogi Iuliani Medicis *fratris demortui uxori* . 4

E A ; *quæ cum* Bauno Internuncio *tuo de tuis meisq; rebus loquutus ſum ; ab ipſo intelliges*. Vnum *hoc te uolo ex me cognoſcere* . Ego *cum te ſemel in filiæ mihi chariſsimæ loco collocarim atque habuerim ; & ſi is , cuius te cauſa impenſius amabam, frater meus optimus & ſuauiſsimus decedens e uita me atq; te mœrentes reliquit ; tui tamen curam rationem beneuolentiam amorem deniq; paternum meum nunquam reijciam* . Id *uirtus probitas religio tua , optimi tui caſtiſsimiq; mores atq; nobilitas poſtulant* . Dat. Prid. Cal. Quintiles . Anno *quarto* . Roma .

Filiberta di Savoja

Duci Allobrogum. 5

BAVNVS Philibertæ ſororis tuæ Interpres, quæ mecum egerit; ipſe ad te ueniens tibi ſignificabit; mentemq́; meam atq; animum explicabit: qui quidem animus ad tuam ſororisq́; tuæ dignitatem commoda rationes & fuit præſto antea, & erit poſthac, quoad uixero. Dat. Prid. Cal. Quintilis. Anno quarto. Romæ.

Franciſco Gallorum Regi. 6

QVAM mihi grata & probata ſit Ludouici Epiſcopi Tricaricenſium egregia in me obſeruantia, probitas, uirtus; ea res præbere tibi argumentum poteſt; quod eſſe illum apud te uolui, quo Internuncio tractandis tecum meis rebus uterer. Eo in munere obeundo cum ille ita ſe geſſerit, atq; adhuc quidem gerat; ut cũ nobis maxime ſatisfaciat, tua etiam beneuolentia tuaq́; liberalitate dignus eſſe magnopere uideatur: æquum eſſe duximus; ut ad ipſum, qui quidem Epiſcopatum ſatis tenuẽ habet, pro uirtutum dignitate fortunis amplificandum te ſocium adiutoremq́; haberemus. Quare te hortor; uel etiam pro meo iure abs te peto: eſt autem beneuolentiæ atq; amoris ius omnium optimum atq; maximum: ut cum primum Eccleſia aliqua, aut omnino ſacerdotium aliquod eiuſmodi, quod prouentus liberales

habeat,

habeat, tuis in Regnis *uel* Pontifice *uel curatore deſtituetur;* Ludouicum *uelis eſſe; cui illud, quicquid erit, conferatur.* Equidem *ſi exploratum non haberem uel pro animi tui munificentia, uel etiam pro ea familiaritate, qua is tecum iam eſt biẽnium prope totum uerſatus, id, quod opto, te libenter eſſe facturum; uterer pluribus uerbis.* Valde *enim cupio, in eo me homine ornando habere te; qui eſſe mecum non abnuas eius muneris atque oneris particeps. Sed cum nihil minus neceſſe putem eſſe; quàm me ad te hac de re multa ſcribere; finem faciam ſcribendi.* Addam *tamen illud: ſi ei commode feceris; tuum te beneficium optime atq; pulcherrime poſitum.* Dat. Cal. Quintilibus. Anno *quarto.* Romæ.

Octauiano Fregoſio Præfecto, & Decurionibus Genuæ. 7

SANE *quàm pro mea uetere in uos beneuolẽtia moleſte tuli, de naui a* Florentinis *mercatoribus conducta, atq; a ueſtris triremium* Præfectis *in eorum portu capta; poſt acceptas meas ea de re litteras uos ea ſtatuiſſe; quæ maximam illis fraudem atq; iacturam afferrent.* Nam *& meam apud uos auctoritatem alicuius eſſe põderis exiſtimabam: & æquitatem atq; bonos mores iusq; ipſum gentium nihili a uobis fieri non credebam, ea præſertim in re; quæ uicinæ uobis atq; amicæ, neq; ſpernendarum opum urbis &* Reip. *animos maxime læderet atq; exulceraret.*

raret. Sed hæc quanti facienda uobis ſint; ipſi uideritis; quorum intereſt recte diſpicere atque cognoſcere, quid cuiq; tribuendum aut negandum ſit. Ego, *cum* Octouiri Reip. *Florentinæ iterum a me poſtularint, ut uellem ſuis ciuibus non deeſſe; hæc dictaui ambulans; cum me dolor, quem ea de re capio, quieſcere non pateretur.* Itaq; *&* *plane & bene* Romane *uos moneo; ut mercatoribus* Florentinis *dependi & reponi ablata omnia, damna omnia iubeatis ſic, ut ſarctos tectosq;, quod dicitur ſe uideant: ne ſi ij ſæpius apud me eadem de re conquerentur; cogar ipſe aliter, ac mea fert uoluntas, eorum incommodis mederi.* Cupio *autem, ut debeo, pacate potius atq; amanter ijs de rebus ſtatui inter uos: quàm ea fieri, quibus odij & inimicitiarum ſemina ſubnaſcantur.* Id *ne fiat; ueſtra in manu eſt.* Meo *ipſe munere & functus adhuc quidem ſum; & deinceps fungar: neq; meos ciues male a ueſtris ciuibus acceptos, atq; a uobis indigne habitos deſeram.* Dat. Prid. id. Quintilis. Anno quarto. Roma.

Decurionibus Eugubinis. 8

CAROLVM Gabrielem Eccleſiæ *ueſtræ* Præpoſitum, *&* Hieronymum Acorambonium *doctum hominem et philoſophiæ ſtudijs illuſtrem optimúmque medicum ciues* Internuncios *q; ueſtros otioſe audiui: quæq; mihi ij ueſtris uerbis accurate & prudenter expoſuerunt, excepi auribus libentiſsimis.*

Itaque

Itaq; uos de ueſtra in me pietate etiam atque etiam laudo. Quod uero ad poſtulationem ueſtram attinet optimis illam quidem fultam cauſis & rationibus; dabo operam, ut id, quod petitis, breui conſequamini. Reliqua omnia; quibus de rebus ijdem ueſtri mecum interpretes egerunt; aliud in tempus diſtuli eo conſilio; ut uobis plenius atque uberius ſatisfieret. Dat. Idibus Quintilibus. Anno quarto Romæ.

Matthæo Strozzæ ciui Florentino. 9

CVM *ex Aenea Pio Alphonſi* Ducis *Ferrarienſium procuratore intellexiſſem nolle te ei gemmas illas reſtituere; quas apud te eſſe ipſe* Dux *uoluit propterea, ut mihi item eius nomine ſponſionem quandam faceres: niſi ego ea de re tuam fidem libero: has ad te litteras iuſsi dari; quibus ſciri omnibus ab hominibus uolo; tuam me fidem, quam mihi* Ducis *nomine dederas, liberam ſolutámque feciſſe: quodq; ſponſor mihi fueris Alphonſi* Ducis *uerbis, tibi fraudi nulla in re aut iudicio eſſe debere. Itaque eas illi gemmas per me quidem reddes, cum uoles.* Dat. Idibus Quintilibus. Anno quarto. Romæ.

Bernardo Bibienæ Cardinali. 10

ET *ſi per mihi gratum atq; iocundum eſt pro eo amore, quo* Iacobum Epiſcopum Albanum Cardinalem Arbouenſem *proſequor; ipſi melius eſſe de*

ea ualetudine

ea ualetudine, qua omnes ei medici mortem allatum iri exiſtimabant; maximeq́; illum cupiam conualeſcere: ægre tamen fero, commodare tibi me non potuiſſe de ea domo; quam is in Vaticano ædibusq́; noſtris habet. Nam *quoniam domo illa, quam adhuc quidem inhabitaſti, ipſe uti uolebam: eſt enim maxime apta ad lætitiam animi et exhilarationẽ propter mirificã porticum ſpeculasq́;, quas habet multas atq; belliſsimas: eam ipſam* Cardinalis *domum, is ſi uita functus eſſet, cogitabam tuam facere: quam eſſe percommodam perq́; amplam ſciebam latis ſpatioſisq́; & thalamis & atrio; feſtiuam etiam & ſumptuoſam aureis laquearibus & pauimento teſſellato: tibiq́; magno illam & uſui & uoluptati putabam fore uel propter confluẽtem ad te omnibus horis populi multitudinem: uel propter ingraueſcentem iam ætatem tuam: quæ natura etiam ſua lætitijs & hilaritatibus gaudet.* Q*uare non poteſt mihi non moleſtum eſſe, inuideri tibi eam commoditatem.*Sed *profecto tibi nos nõ deerimus: dabimúsque operam; ut quæ prior noſtrarum ædium pars elegans uacua erit, ea tua ſit.* Interea *cura ut ualeas: ut te ſaluum & ſoſpitem quàm primum uidere poſſimus.* Dat. *tertio* Id. Q*uintiles.* *Anno quarto.* Roma.

Duci

Duci Grauinæ. 11

SCRIPSIT ad me Magiſtratus meus ex ijs, qui in Latio ſunt, te neſcio quibus Andreæ atque Maſſentio; qui ob ſuas diſceptationes armis dimicaturi ſunt; in oppido tuo Nerula locum certamini conceſſiſſe. Id cum a Domini noſtri uoluntate atque præceptis ualde abhorreat, qui pacem, qui animorum concordiam, qui amorem nobis mutuum ante omnia commendauit: magnopere te hortor; aut ſi minus hortatu meo cõmouebere, mando tibi pro eo, quanti me facis; duellum iſtud tuis in locis fieri ne permittas: ſed illorum potius animos, qui diſsident, auoces ab ea re auctoritate ſententiaq; tua; componasq; ſi poteris. Id & a uirtute tua poſtulatur; & omnes æquum eſt facere; & mihi erit gratum. Dat. Id. Quintil. Anno quarto. Romæ.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro. 12

QVOD tuis me litteris de Turcarum Regis apparatu bellico certiorem feciſti; ualde mihi gratum fuit: idq; ut quàm creberrime facias; neque ſolum quid ſpeculatores tibi tui referant, aut amicorũ litteris ad te perferatur; ſed quæ rumor ipſe dubius ſæpe iactet, ea ut mihi ſignifices abs te peto; ut quid ille agat, quid paret; quo cogitationes intendat ſuas, ex te ſciri & cognoſci poſsit. Equidem quod aſſequi coniectura poſſum, ſic exiſtimo; in A=

ſiam

ſtam illum potius hoc tempore; quàm iſthuc aut noſtras in oras cogitare. Itaque *aut contra Sultanum Aegypti* Regem*, aut contra Sophim* Regem Arme*niæ puto illum ſuos exercitus moturum: ut eos; a quibus fere ſingulis annis premitur; prius aggrediatur atque opprimat: quibus integris nullum tibi, nullum* Chriſtianæ Reip. *periculum impendere magnopere arbitror.* Nam *niſi illos; quos habet hoſtes paratiſsimos atque audaciſsimos, & quibúscum bello fere ſemper eſt implicitus, antea uel deuicerit, uel debilitarit, uel inducias cum ijs inierit; uires ſuas in nos atq; furorem exercere ſatis commode profecto non poterit.* Tibi *tamen ſum auctor;* Inſulam *ut iſtam atque oppidum, quod tanquàm in ore atque in faucibus eſt noſtrorum hoſtium, cõmeatibus, apparatu reliquo, rebusq́; omnibus ad repellendum & ad ſuſtinendum bellum idoneis iam nunc fulcias; teq́; ante compares atque præmunias; ne imparatus offendi poßis.* Neq; *tamen recuſo: quin, ſi accidat ut te* Turca *uelit aggredi; omnes meas opes tibi præſto futuras putes.* Volo *enim te ſcire; me pro collegio iſto bene de re* Romana,*optime de re* Chriſtiana *merito omni tempore omnia; pro tua uero & ſalute & dignitate, uti & prudentis hominis, & optimi fortißimiq; uiri, & mihi amicißimi, plurima atque maxima eſſe facturum.* Itaque *bono animo es: ualetudinémque tuam cura: méque ut facis, dilige; ſi te ſcis a me & amari & fieri plurimi.* Dat. XI. Cal. *Sept.* MDXVI. Anno *quarto.* Roma.

Franciſco

Franciſco Gallorum Regi. 13

QVOD Ludouicum Epiſcopum Tricaricenſium Legatum meũ honeſtaueris Eccleſia Bellouacorum & locuplete et honeſta; ualde lætor. Nam cum illum, ut proxime ad te ſcripſi, magnopere diligã, ſitq; is in meis ſummis atque intimis familiaribus; hæc eius fortunarum acceſſio, præſertim abs te profecta, mihi magnæ uoluptati fuit. Itaque ſic exiſtimes uelim; non te quidem minimum recentis amoris cumulum ad meam ueterem in te beneuolentiam tua iſta liberalitate addidiſſe. Quã in re cum mea de illo apud te commendatio tantum ualuerit, quantum ego eam ualituram confidebam: efficiam profecto; ut tua item auctoritas in tuis familiaribus mihi cõmendandis, uel potius omnibus in rebus tantum habere ponderis cognoſcatur; ut & ipſe uidear uinci abs te in officio noluiſſe, & tu lætere meo in homine ornãdo munificum & liberalem te fuiſſe. Dat. nono Cal. Sept. Anno quarto. Romæ.

Ludouico Canoſſæ Tricaricenſium & Bellouacorum Epiſcopo. 14

SANE mihi pergratum & periocundum fuit, Regem iſtum in te augendo uoluntatem & liberalitatem ſuam contuliſſe. Nam cum te propter tuam excellentem uirtutem, noſtramq; ueterem neceſſitudinem,

dinem, & plurima tua in me officia, non ſolum tuẽdum mihi, ſed etiam honeſtandum amplificandumq́; ſuſceperim: tam illuſtri & fortunarum tuarum acceßione, & Regis *in te beneuolentiæ oſtenſione, mirifice ſum delectatus: a quo me beneficium accepiſſe exiſtimo; tibi cum dederit, teq́; ornauerit nec exiguis prouentibus & honeſta dignitate.* Itaq; *& cõtuli tibi* Eccleſiam Bellouacorum *libentißime; & reliqua, quæ habes ſacerdotia tibi manere uolui: ut intelligeres te mihi eſſe charißimum; excitarereq́; ad bene, ut ſoles, de me in poſterum etiam atq; etiam promerendum.* Ages *autem* Regi *gratias eo de munere meis uerbis, oſtendésque id mihi plane ac uere gratum accidiſſe: quod ei tamen ipſe & nunc ijs libenter oſtendi, quas ad illum dedi, litteris; & ſæpe re cum potero libentius declarabo.* Dat. *nono* Cal. *Septemb.* MDXVI. Anno *quarto.* Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 17

R E D I T *ad te* Villabramius; *quem ad me miſeras; quemq́; libẽter uidi, ut & diligentẽ hominem, & familiarem tuum.* Ei *ſum omnia, quæ a me petijt, ſic elargitus; ut ab ipſo intelliges.* Reuerti *autem hominem ad te nolui ſine meis litteris; quibus tibi ſignificarem meam optimam in te uoluntatem magis magisq́; indies ſingulos augeri.* Dat. Octauo Cal. *Septemb.* Anno *quarto.* Roma.

Leonardo

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 18

PROFICISCENTI Venetias Ioanni Georgio Triſsino ciui Vicentino; quem quidem propter bonarum artium doctrinam & politiores litteras excellentemq́; uirtutem unice diligo; mandaui ut tibi ſalutem nunciaret meis uerbis; tecumq́; certis de rebus ageret; quæ cũ mihi cordi ſunt; tũ noſtra utriusque intereſt ea cõfieri: tibi uero etiam honeſtati atque gloriæ ſunt futura. Dat. Prid. Non. Septemb. Anno quarto. Roma.

Federico Archiepiſcopo Salernitanorum. 19

ET ſi antea de rebus tuis claſſe ea, cui meo nomine præfuiſti, contra Pœnos geſtis abunde ex alijs intellexi: tuæ tamen litteræ; quibus ad me ſingula e bello domum rediẽs ordine perſcripſiſti; me magnopere delectarunt. Aliquanto enim plenius ex ijs & liquidius conſilia, actiones, impreſsiones in hoſtem tuas, difficultates, euentusq́; ſingulorum cognoui. Quæ quidem omnia quoniam magno conſtantique animo, multoq́; tuo labore ex noſtra dignitate ſunt confecta: te de ijs uehementer collaudo; meóque te benedicto plurimo optimisq́; uerbis impartior. Hortor autem te ciuitatémque iſtam præclaram & fortem: quæ ſane omnibus in maritimis artibus ſemper excelluit: eundem ut animum eandemq́; alacritatem

parandæ contra eoſdem hoſtes claßis in æſtatem inſequentem retineatis; ut ſi erit opus, Chriſtiani nominis offenſam atq; illuſam ab illis dignitatem; noſtraſq; & noſtrorum iniurias communi conſilio uindicemus. Dat. decimo Cal. Octob. MDXVI. *Anno quarto. Viterbio.*

Franciſco Gallorum Regi. 20

IOANNEM *Iordanum Vrſinum propinquum meum, hominem iſtius* Regni *atq;* Regum *omnium* Italorum *ſtudioſißimum, tibi deditißimum, mihi certe multo charißimum, omnibus in rebus; quas impetrare abs te non minus confidit pro tua liberalitate animiq; magnitudine, quàm cupiat; ita tibi commendo; ut quicquid uel commodi uel dignitatis in illum contuleris; id omne tam mihi gratum ſit futurum; quàm ſi tantundem in me ipſum contuliſſes.* Itaq; *ut eius poſtulationes liberaliter excipias, tuaq; bonitate eum iuues; etiam atq; etiam abs te peto.* Dat. Prid. Cal. Octob. *Anno quarto.* Viterbio.

Procuratori Cardinalis Seduni. 21

IOANNES *Laſcaris* Bizantius *homo græcis litteris pereruditus, noſtrarum non ignarus, omnium bonarum artium appetens, bonus plane uir, cupit ut de ea domo; quam Cardinalis Sedunus herus tuus in* Eſquilijs *habet, ei commodes hoc tantum-*

modo tempore; quo is Roma *eſt abfuturus*: Idq; *ea de cauſa uult; ut dum ego hic autumni calores &* Romanum *cœlum deuito; ipſe iſthic & pulcherrimarum ædium elegantia, & hortorum amœnitate & ſylua uiridiſsima ſuis cũ libris oblectare ſeſe poſſit.* In *eo ſi illum iuueris; erit mihi gratum: idq; ut facias te hortor.* Dat. Prid. Non. *Octob.* Anno *quarto.* Viterbio.

Franciſco Gallorum Regi. 22

PERDIV *eſt; cum* Rolãdum Palauicinum *hoſpitem meum rectum & probum hominem ualde diligo.* Ei *quoniam intelligo negotium & moleſtiam per tuos miniſtros parari in poſſeßione* oppidorum Zibelli *&* Rochæ Blanchæ; *te hortor uel etiam abs te peto, mandes, ne quid ei aut damni aut laboris cõtra æquum & fas inferatur: habeasq; hominem tum hac, tum cæteris eius in rebus cõmendatum mea cauſa.* Dat. *tertio* Non. *Octob.* Anno *quarto.* De Faliſcis.

Petro Nauarro Cantabro. 23

EX Ferrandi *familiaris tui oratione intellexi te magno deſiderio teneri contra* Chriſtiani *hoſtes nominis uirtutem tuam mihi nauandi; rogareq; ea de cauſa nos; ut in paranda ad id claſſe opem tibi noſtram ſubminiſtremus.* Equidem *ualde lætor te tã*

 laudabili

laudabili uoluptate curaq; affici; ut de omni Chriſtiano nomine bene mereri ſtudeas: téque de eo & præſtantiam iſtam egregiam in rebus bellicis tuam, mirificamq; pietatem & religionem ſummopere & amandam & collaudandam puto: nihilq; profecto eſt, quod tibi publice non deberi exiſtimem. Quod uero ad petitionem tuam attinet: ſcire te uolo, id ipſum nos hoc anno ſummo ſtudio & diligentia curauiſſe; duasq; claſſes magna impēſa Neapoli alteram Genuæ alteram parauiſſe. Quod ſi alio tempore hāc aggredi prouinciam ſtatueris, & me commonefeceris; dabo operam, ut tibi, quātum fieri poterit, ſatisfiat. Dat. Non. Octob. Anno quarto. De Faliſcis.

Guillelmo Gallo Medico. 24

QVOD me certiorem feceris noſſe te locum quendam in agro Centumcellarum; in quo theſaurus ſit abſconditus perantiquus; polliceriſq; te mihi illū reperturum; ſi tibi & terram fodiendi poteſtatem, & eius theſauri partem aliquam fecero: etſi agnoſco credulitatem inanémque ſpem tuam; neque me fugit, quàm hæc leuia fallaciáque ſint: tamen ut ijs, qui me pro te hoc rogant, magnis illis quidem & claris uiris mihique chariſsimis ſatisfaciam: fodiendi ubi uoles eo in agro tibi facultas eſto edicto meo; quod ualere menſem integrum uolo; tecúmque dum fodies, Centumcellarū Decuriones bini ſunto. Dat. ſexto Id. Octob. Thuſcanella.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanenſium. 25

MVLTI ad nos detulerunt in Franciſci Mantuæ domini ditionem eo, quo Veronam ſpectat, latere a Regijs militibus uaſtitatem iam prope inductam eſſe cæſis arboribus, incenſis uillis, comprehenſis & mulctatis colonis, ciuibus aut magno pretio redemptis, aut in cuſtodias abductis; eaq; de cauſa cum Franciſcum ipſum, tum eius municipium omne magno in luctu atq; mœrore uerſari. Quam quidem indignitatem eo iniquiore animo ferimus; quod te atque illos non latebat & ipſum & eius populos dudum ſub noſtra & Reip. tutela eſſe receptos: ut facile appareat a Regijs & Præfectis & miniſtris nullam noſtri, nullam Reipub. habitam fuiſſe rationem. Sed acta quæ ſunt; ea reprehendi facile poſſunt: reuocari & reſtitui non poſſunt. Itaque quod ſupereſt, ſi curabis ut a Regis tui exercitu nullum ulterius damnum, nulla iniuria Mantuanis inferatur: et quod te decet, feceris; et mihi minus magnã anſam dederis uel de te atq; illis apud Regem, uel de Rege tuo apud Reges reliquos conquerendi. Dat. Idibus Octob. Anno quarto. Grauiſcis.

Raphaëllo Medici. 26

QVONIAM certior factus ſum Carolum Regem, qui adhuc in Gallia ſe continuit, profectio-

nem ad Hiſpanias *ſuam in prima ueris tempora diſtuliſſe : ne is* Internuncio *noſtro diutius careat, mãdo tibi, cuius prudentiam facile perſpexi, ut in eum hominem apud illum agas, tractesq; mea negotia ea fide atq; diligentia; quam et abs te amor in te meus postulat, & te allaturum pro tua probitate & noſtra propinquitate plane confido.* Dat. xi. Cal. *Nouemb. Anno quarto.* Palo,

Carolo Hiſpaniæ Regi. 27

COGITANTEM *me quidem certe iam inde ab initio* Regni *tui mittere certum aliquem ad te meum interpretem; qui & tibi de adeptis abs te* Regnis Regioq; *nomine meis uerbis gratularetur; & apud te, qui mihi es, uti debes, plane chariſſimus, mea negotia tractaret; quæq; ad te & ornandum et amplificandum pertinerent, in ijs auctoritate mea fultus eſſet : ea res tenuit; quod ſtatim te in* Hiſpaniam *tranſmiſſurum & nuncijs & litteris & rumore ipſo afferebatur prope quotidie.* Itaque *cum ibi noſtros homines probatos nobis uiros haberemus; eis mandauimus; ut cum ad* Hiſpaniam *appropinquare te intelligerent, tibi obuiam progreſſi eo apud te munere fungerentur.* Nunc *autem cum intelligamus eam te profectionem in prima ueris tempora reieciſſe : ne diutius, quàm & ipſi uolumus, & amor in te meus poſtulat, homine noſtro careas;* Raphaëllo Medici *propinquo meo, uiro mihi & grato & probato;*

probato; qui nunc iſthic eſt, uerſaturq́; tua in aula familiariter; ſcribo; ut quoad tu proficiſcare, Internuncium meum apud te agat: quem quidem propterea quod eſt obſeruantiſsimus & ſtudioſiſsimus tui, gratum tibi & optatum fore confido; utq́; ſit, ſi adhuc fortaſſe minus eſt; aut ſi eſt, ut multo ſit magis; & ei meis te uerbis alloquenti fidem habeas, abs te peto. Dat. XI. Cal. Octob. Anno quarto. Palo.

Brixellanis. 28

INTELLEXERAM *his diebus proximis magnas inter uos &* Fiſci Mediolanenſis Magiſtros *altercationes extitiſſe ijs de rebus; quarum illi rerum pretia fiſco deberi exiſtimabant.* Earum *controuerſiarum cum me arbitrum utriq; delegeritis; hoc ſtatuo, uos municipiumq́; ueſtrũ ripamq́; iſtam* Padi *ad earum rerum ſolutionem fiſco teneri; de quibus* Ateſtini Regni *tempore more atq; conſuetudine tenebamini ſic; ut aut ad plus eo fiſci nomine præſtandum & fiſco inferendum cogi, aut minoris abſolui nequeatis:quo ad aliud per nos mãdabitur.* Dat. XII. Cal. Nouemb. Anno quarto. De Centumcellis.

Cardinali Toletano. 29

MAGNA *moleſtia tuæ nos litteræ affecerunt: quibus ſcripſiſti eum, quem contra communes no-*

ſtros hoſtes in Aphricam exercitum tranſmiſeras, ab Aphris atque Turcis reiectum et fugatum magnam plagam apud Alzarem accepiſſe. Te tamen animo fractum non eſſe; neq; quicqudm de tuo ardore & diligentia eam ob cauſam eſſe detractum. Quæ quidem tua conſtantia & fortitudo dolorem meum multo leuiorem fecit. Sic enim exiſtimabam; ſi te ipſe non contraxiſſes, & ſpem uincendi non abieciſſes; fore,ut breui hæc ipſa res ſecundior multo maiorem luctum & diuturniorem tuis hoſtibus pareret. Sed auxit eundem illum ſtatim dolorem meum atq; moleſtiam Turcarum Regis contra Sultanum Aegypti Regem recens mirificaq; uictoria: de qua & te arbitror cognouiſſe, & ipſe his diebus cognoui: tum eiuſdem Regis ducentarum longarum nauium claßis; quam illum habere paratam dicunt, qui illinc ueniunt. Sed hæc Dominus moderabitur. Te autem etiam atq; etiam hortor; ut quando hoc tuo parando mittendoq; exercitu magna tua diligētia, maiore impenſa confecto maximam uerißimámque gloriā apud omnes homines optimi fortißimiq; principis, apud noſq; in primis tibi ipſe comparauiſti; magis etiam ad eoſdem hoſtes opprimendos & profligandos, Remq; p. Chriſtianam iuuandam pro uirili tua iterum atq; ſæpius te accendas & pares: atq; in hac quidem cauſa dignum te, dignum tua uirtute, dignum etiam auctoritate ea, quam tibi Reſp. dat, animum, quid dicam ſumas; qui tantam iam rem egeris? ſed tamen illum ipſum, quem ſumpſiſti

multo

multo antea, magnũ & fortem animum uel retineas diutiſſime, uel augeas. Nam *quod ad inſequentem annum attinet; eſſe nobis exploratum poteſt, uere inito mare noſtrum omne* Turcarum *claſſibus plenum fore.* Itaque *nos neque deſiſtimus reliquos* Chriſtianos Principes *magnopere hortari; ut ſe ad capeſcẽdum cõtra* Turcas *bellum in tẽpore comparent: neque ſi quid erit, in quo iuuare ipſi cauſam tã ſanctam boniſq; omnibus tam expetitam poſſimus; non id ſumus libentiſſime iam nunc, ſi expediat, præſtaturi: modo unum omnes ſentiant: unum ſibi & tentandũ & conandum & perficiendum putent.* Sed *ut ad te exercitumq; tuum redeam; & doleo tuas cogitationes atque conatus in communẽ utilitatem ſuſceptos non multum profuiſſe; & lætor tui te ſtudij & uoluntatis hoc accepto incõmodo nihil remiſiſſe.* Dat. *quarto* Non. Nouemb. Anno *quarto.* Romæ.

Ludouico Firmano, & Hieronymo Brancadoriæ. 30

QVAE *ad me perferri de* Præfecto Hiſpano *curauiſtis; qui a uobis captus accepto in femore uulnere in ueſtra cuſtodia eſt: ea libenter cognoui.* Is *cum eiuſmodi ſit; ut quæri ab eo facinoris cauſa recte poſſit; mando uobis, & ut in eo curando nihil operæ aut diligentiæ ab ullo ueſtrum prætermittatur ſic; ut ad ſanationem quãto celerius fieri poteſt, ſi modo poteſt, perueniat: & ut reſtitutus elabi ueſtris e manibus non poſſit, cautio per uos adhibeatur.*

tur. Quod ſi iſto in loco atque cuſtodia ſeruari tutiſsime non poteſt: uolo, ut aliquò, ubi nihil eiuſmodi timeatur, perferri hominem iubeatis. Vtrunque enim & uiuere, & cuſtodiri illum ualde cupio. Dat. tertio Non. Nouemb. Anno quarto. Romæ.

Palauicino Antonij Mariæ Palauicini filio. 31

QVOD patrem tuum magnum & clarum uirum proximis diebus amiſeris; tũ tua cauſa uehemẽter doleo, tum mehercule etiam mea. Nam & tu illius uiui hoc ipſo tempore maxime indigebas: & ego eum ſummopere amabam; & ille me colebat plurimum. Omnino neque uir melior, nec mei amantior quiſquàm fuit. Ita & tu patre optimo, & ipſe homine amiciſsimo priuatus ſum: ut te ſeparatim conſolari cum magnopere cupiam, non poſsim. Sed eſt profectò illa conſolatio propoſita omnibus; qua nobis non uti turpiſsimum eſt; ut quando DEVS Opt. Max. hunc illi uitæ finem atq; laborum uoluit eſſe: nomen quidem atq; memoriam optimi clariſſimiq; uiri & retineatis ipſi; & poſteritati etiam mandandam litteris & monumentis ſtatuatis: Nihil autem cum illo mali actum exiſtimetis; quem Dominus tanquàm e carcere, ſic ex hac corporis compagine atque uinculis euolare iuſſerit ad ſeſe. Nobiſcum ſi male actum eſt; id feramus æquo animo; & DEI uoluntate, qui nihil mali uult, noſtrum deſiderium leniamus. Quod te in primis facere ſane uelim.

lim. Ego, *ſi quid eſt; quo mederi tuo uulneri, aut reponere parte aliqua iacturam iſtam poßim; id tibi omne polliceor: amorémque, quo patrem tuum ſum uita fruentem proſequutus, in te libenter transfero*. Tu *modo & tanto patre te, & amore meo dignum præſta*. Dat. Cal. *Decemb*. M D X V I. Anno *quarto*. Romæ.

Galeatio Palauicino. 32

ANTONIVM Mariam Palauicinum *fratrem tuum egregium præſtantémque hominem cum alijs multis de cauſis plane doleo uita functum eſſe: tum propterea, quod quanti te facerem, unus ipſe optime omnium intelligebat*. Nam *cum mihi tecum neque uetus neque magna familiaritas interceßiſſet propterea, quod non ſæpe neq; multum unà fuimus; cum illo qui* Romam *ad me crebro ueniebat, ſum de te ſæpenumero ea loquutus; quibus illi oſtenderem te mihi eſſe chariſsimum; dignitatemq́; tuam a me fieri plurimi*. Itaq; *graui teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei ſummæq́; beneuolentiæ illo mortuo. Sed hoc leuius*. Non *enim uereor, ne tibi ſæpe declaraturus ſim per me ipſe meam in te uoluntatẽ meumq́; animum*. Illud *grauius; multum te, multum eius filium* Palauicinum, *multũ propinquos reliquos gentemq́; omnẽ ueſtram atque familiam in eo uiro præſidij, multum etiã ſplendoris amiſiſſe. Sed hæc ipſa etiam propterea, quod humana ſunt, æquo & forti animo*

ti animò ſunt ferenda, homini præſertim magno; ut tu es, & multarũ rerum atque euentorum experientia prædito. Quod ſane facit, ut in te conſolandò minus operæ inſumendum putem; quod te exiſtimò pro tua prudentia & magnitudine animi Deorũ immortalium uolũtatem tuã ipſius uoluntatem iam feciſſe. Reliquum erat, ut tibi pollicerer; quæ fratre tuo, ſi uiueret, petente & rogante facerem; ea me omnia uel eius filij, uel tua cauſa omni tẽpore eſſe facturum, amoremq; meum, quo illum cõplectebar, in uos ambos conuerſurum. Sed id malo uos re, quàm uerbis cognoſcere. Extremũ eſt; ut Palauicinum ipſum orbũ patre maximo fratre tuo filij loco tibi habendum putes. Ita enim & quod te decet feceris; & quod præſtare amor fraternus debet; & quo mihi eſſe gratius atque probatius nihil poteſt. Dat. tertio Non. Decemb. Anno quarto. Romæ.

Marchioni Montisferrati. 33

QVOD me rogas; ut & tibi permittam, ut Iulium Medicẽ Cardinalem fratrem patruelem meum tuarum rerum procuratorem apud me facere poßis; & illi mandem, ut eam curã ſuſcipiat: alterum tibi do, ut cum uoles, facias: alterum perfeci ipſe hodie bene mane; cum me ille, ut quotidie ſolet, prima luce ſalutauiſſet; iußiq; eum procuratorem tuũ agere. Neq; enim decet quicquàm te a me rogantem non impetrare. Id tua tuorumq; maiorum uirtus, atque

que in me meamq́; familiam fides ſtudiũ beneuolẽtia poſtulant. Dat. *octauo* Id. Decemb. *Anno quarto.* Roma.

Focaris mercatoribus Germanis. 34.

ALIQVANDIV *eſt; cum ad nos non tantum infecti argenti tranſmittitis, quantum ſoletis, quantiq́; indigemus. Ita ſæpe fit, ut cum ad cudendos nummos, tum ad alia publice priuatimq́; conficienda ea materia urbem deficiat. Quare hortor uos operam adhibeatis; ut infecti & probi argenti plus ad nos, quàm nunc ſit, & quantũ opus eſt, afferatur.* Erit *id uobis perutile; quibus pretia ſine dilatione a Quæſtoribus* Vrbanis *curabuntur: & nobis, qui in ueſtra diligentia conquieſcimus, plane gratum.* Dat. Prid. Id. Decemb. M D X V I. Anno *quarto.* Roma.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanenſium. 35

QVESTVS *eſt apud me per* Legatum *ſuũ* Leonardus Lauredanus Venetiarum Princeps, *ſex naues ſale onuſtas, quod is ad ſuas in* Gallia *urbes mittebat, a* Regis *tui miniſtris in* Padi *ripa detentas eſſe. Qua in re, quod ad me attinet; ſcire te plane uolo, mihi id diſplicuiſſe; neque me unquam uoluiſſe ut eæ naues retinerentur. Itaque ſi procedere illas ſine ullo impẽdio permiſeris; erit mihi gratum:*

idq́; ut

idq; ut facias, te hortor. Dat. x. Cal. Ianuar. MDXVI. Anno quarto. Romæ.

E. N. 36

GRATAE *mihi ueſtræ litteræ fuerunt bis iã ad me per tabellarios ueſtros allatæ: quibus me de* Turcarum *Regis bello Aegyptiaco déque rebus ijs certiorem feciſtis.* Grata etiam *ea; quæ ad* Dominicum Allegretũ *ſuper eiſdem rebus ſcripſiſtis; quæ quidem ille ſtatim omnia, ut iuſſeratis, ad me detulit.* Itaque *de ea ueſtra diligentia atque officio plane uos collaudandos cenſeo.* Hortor *etiam; ut ea in re ſtudia ueſtra ne remittatis: ut quid ille agat, quid cogitet, quò ſe uertat, quid moliatur, per uos, ut adhuc quidem feciſtis, ſcire deinceps poßim.* Nam *ea mihi & uera & certa erunt; quæ a uobis afferẽtur.* Cæterum *quod res ueſtras mihi ſummo ſtudio commendatis; dabo operam; ut, quod ex* Reip. *dignitate fieri poßit, eas commendationes ueſtras & ratas & probatas me habuiſſe intelligatis.* Dat. *tertio* Non. *Ianuar.* MDXVII. Anno *quarto.* Romæ.

Ioanni Georgio Triſsino Vicetino. 37

QVONIAM *opera & diligentia tua atq; uirtute certis in meis &* Reip. *rebus uti quàm primum uolo; quarum rerum cauſa te ut alloquar, magnopere*

gnopere oportet: mando tibi; ut, quod tuo commodo fiat, Leonardo Lauredano Principe Venetiarum ſalutato ad me confeſtim reuertare. Dat. Non. Ianuarij. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 38

AQVILAS quatuordecim auibus capiendis idoneas; quas mihi Adulfus Vandra familiaris tuus attulit; Regium ſane munus libenter, ut debui, accepi. Et ſunt enim miræ pulchritudinis, & abs te; quem ego mihi filij loco eſſe duxi: eius præterea generis; quod omnium & nobilius eſt & rarius: ut neq; multæ ullis in locis capiantur: neq; ſæpe ad nos ueniant. Tu uero uno munere tot miſiſti; ut exiſtimem earum capiendarum artem aliquam te callere. Niſi forte ipſæ ſponte ſua omnibus e regionibus iſtò conuolant; ut abs te capiantur, tibiq; ſeruiant. Quod ſi eſt; tu eis male gratus fuiſti, qui ad me miſeris. Sed omnino extra iocum, mallem tibi eas retinuiſſes, quã mihi miſiſſes: Quippe, quæ tibi uoluptati multo magis fuiſſent, quàm mihi erunt: qui tantummodo cum autumni Romanum cœlum fugio, ualetudinis interdum cauſa uenatione aucupioq; me oblecto, uel eos potius, qui mecum ſunt: ut iocundior per agros uagatio & delectabilior nos diutius in labore uiæ teneat. Tu uero adoleſcens & Rex; ut multas horas omni tempore conſumere arbitratu tuo poſſis; eis & ſæpius uſus fuiſſes, & utilius; addo etiam & decẽtius.

tius. Quod mihi tamen munus ipſum tuum multo charius atque amabilius facit: cum eo te defraudes ipſe, qui uti recte potes; ut mihi des, qui non poſſum. Et *quoniam belliſsimæ, ut dixi, ſunt: dabo operam, ut aliquo te remunerer munere.* Interea *ualebis; noſq; ut facis diliges.* Dat. *quarto* Id. *Ianuar.* MDXVII. *Anno quarto. Roma.*

PETRI

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX.
nomine ſcriptarum,

LIBER QVARTVSDECIMVS.

Alphonſo Duci *Ferrarienſium.* 1

INTELLEXIMVS Franciſcum *Mariam* Ruuerem Vrbinatium *olim* Ducem, *cui ſacris interdictum eſt,* Hiſpanorum *peditum manū coacta iter per tuam ditionem eſſe facturum; ut ad noſtra municipia perturbanda nouaſq; res moliendas pertendat.* Ego *tametſi te pro tui muneris partibus id ei non permiſſurum puto; uolui tamen ad te ſcribere, monereq; te; ut* Franciſco Mariæ Hiſpaniſq; *peditibus loca noſtra tentaturis nihil opis des; nullum prorſus commeatum præbeas; ſed itinera potius claudas; arceaſq; illos a* Padi *ripa tum abductis nauibus, tum flumine communito: nec eos ſinas* opportunitatem *ullam tuis ex locis ad tam ſceleſtos auſus exercendos,* Remq; *pub. perturbandam poſſe nanciſci.* Id *ſi feceris, quod te facturum confido; erit nobis uehementer gratum: dabimuſq; operam, ut bene te de nobis eſſe meritum lætere atq; gaudeas. Sin aliter ſtatues tibi eſſe fa-*

ciendum; ſcire te uolumus nos id ægerrime moleſtiſſimeq; laturos. Quemadmodum ab Internuncio tuo, qui cum his de rebus loquuti ſumus, latius intelliges. Dat. XIIII. Cal Febr. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Maximiliano Rom. Imp. deſig.

Et ex Legati tui litteris, & ex mei ſermone; quæ hoc tempore Frāciſcus Maria Vrbinatium olim Dux, cui quidem igni & aqua interdictum eſt, in nos Remq; pub. moliatur, intelliges. Ea tametſi exiſtimem eum exitum habitura, quem par eſt tam ſcelesta initia conſequi: omnem tamen meam cogitationem, omnem curam adhibeo, ut ne quid ab illo incommodi Reſp. accipiat. Itaq; etiam atq; etiam te & hortor & rogo; ut quando ipſe primariam aduocationem rerum Romanarū ſuſtines; quibus opibus melius atq; celerius potes, & nobis præſto ſis, & noſtris hoſtibus ire obuiam pares. Plura non dicam; ne uel docere te uidear hominem ſumma prudentia ſummaq; rerum experientia præditum; uel diffidere probitati tuæ; quo nemo melior uir, nemo ſanctior unquàm fuit. Vnum dicam; ſi ad priora tua multo maxima atq; plurima in Remp. officia hoc adiunxeris, ut ei hoc tempore opem atq; auxilium feras: & ipſam tibi magnopere obſtrictum & deuinctum iri; & te ex eo fructus uberrimos atque pulcherrimos eſſe capturum, hominum laudem &

gloriam

gloriam ſempiternam. Dat. nono Cal. Februar. M D X V I I. Anno quarto. Romæ.

Præfecto militum Hiſpanorum. 3

Ex ſermone Stephani Camporemiri de optimo ueſtro in nos animo quæ uolebamus fere percepimus. Qua de re etiam atq; etiam uos collaudamus; ſciréq; uolumus iſtud ueſtrum in nos ſtudium mirificamq; uoluntatum propenſionem nobis plane gratam accidiſſe. Itaque quoniam ueſtrarum rerum & petitionum cauſam Laurentio Medici fratris mei filio Vrbinatium Duci tractandam & cognoſcendam remiſi: hæc adſcripſi; ut ſciretis, quicquid ab eo ijs de rebus poſtulationibusq; ueſtris ſtatuetur; id mihi omne ratum & probatũ fore. Dat. octauo Cal. Feb. M D X V I I. Anno quarto. Romæ.

Epiſcopo Pacenſi. 4

SCRIBIMVS Carolo Hiſpaniæ Regi de Fräciſci Mariæ Ruueris olim Vrbinatium Ducis ſubita in Reipub. urbes impreßione ea; quæ ſcribẽda ſunt; quæq; tu ex ipſis noſtris ad eum litteris intelliges. Cum uerò te propter tuas plurimas excellentesq; uirtutes ſummopere amem, putemq; cum Epiſcopus ſis, atq; huius Reipub. magiſtratũ geras; eã tibi eiusq; dignitatem & maieſtatem pro tua probitate & fide magnæ curæ eſſe: peto abs te; ut eiuſ-

dem Reip. apud Regem tuum tuendæ atq; defendendæ cauſam ſuſcipias: desq́; operam; ut quanto celerius quantóque fauorabilius fieri poteſt, negotium tranſigatur, nobisq́; reſpondeatur. Id erit nobis unice atq; ſummopere gratum: teq́; ipſe bene officium & diligentiam tuam poſuiſſe, cum ſe occaſio dederit, facile cognoſces. Sed ſi me amas, age, cura, perfice; ut res ne differatur. Hoc in te atq; in tua erga nos uoluntate pietateq́; reponimus. Dat. nono Cal. Febr. M D X V I I. Anno quarto. Roma.

Franciſco Gonzagæ Marchioni Mantuæ. 5

ET ſi tua in nos fides plurimis maximisq́; in rebus multo ante nobis perſpecta eſt & cognita: tamē quæ nouiſsimæ præſtitiſti officia fidei amoris diligētiæq́; pleniſsima; ea nobis multo maxime et grata et iocunda acciderunt: deq́; ijs, quãtum plurimum laudari quis & recta ſentiens et honeſta perſequens debet; tantum te effero meritis atque ueriſsimis laudibus. Itaque has ad te litteras dedi, cum ut ſcires te ad uetera tua de nobis merita magnum cumulum nouorum officiorum adieciſſe: tum ut te hortarer; etſi id minus neceſſe eſt, ut inſiſteres, qua nunc quidem pergis, uiam: adderesq́; tibi ipſe quaſi ſtimulum ad ea, quæ cogitas, quæq́; facis, etiam ardentius & conſtantius uſquequaq; perſequenda. Id erit mihi tam gratum; ut eius rei memoria meo ex animo deleri nunquàm poſsit. Quod re, cum opus erit, gnoſces.

cognoſces. Reliqua ex Alexandri *procuratoris tui litteris intelliges.* Dat. *Octauo* Cal. *Februar.* MDXVII. *Anno quarto.* *Roma.*

Octouiris Reip. Florentinæ. 6

ET *ſi ex* Laurentio Medice *fratris mei filio, quàm nobis grata, quamq́; iocunda fuerit diligentia alacritasq́; ueſtra in parandis promendisq́; ijs, quæ opus erāt ad repellendos comprimendosq́; nephari=os* Franciſci *Mariæ conatus atq; impetus, cognoſce=re potuiſtis: tamen cum poſtea & quidem ſingulis prope horis intellexiſſem & diligentiores uos et ar=dentiores ea in re quotidie fieri, ac nihil prætermit=tere corum; quæ ad ueſtram primū, deinde noſtram dignitatem tuendā pertinerent: non potui, aut etiā non debui continere me; quin his apud uos litteris teſtarer, probari a me uehemēter officia omnia ſtu=diaq́; ueſtra: nihilq́; eſſe tam magnū atque arduum; quod non ſe a me impetraturam ciuitas ueſtra confi=dere facile poßit. Quod cū ita ſit; hortor iam libe=rius uos; ut, quod ſupereſt, pergatis etiam reliqua, quo cœpiſtis animo atque ardore perſequi: exiſti=metisq́; noſtras res dignitatē auctoritatē uobis ma=xime omnium ſuſtinendas & tuendas eſſe. Quemad=modum nos quidē certe ueſtras res ita tuemur, ſem=perq́; tuebimur; ac ſi noſtræ ipſorum eſſent.* Neque *enim ſecundum* DEI Eccleſiam *remq́; hanc p. uel eſſe in uita quicquàm nobis debet, uel plane poteſt*

noſtra patria charius. Dat. *ſeptimo* Cal. Febr. MDXVII. *Anno quarto.* Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 7

EXPLORATVM *tibi puto eſſe, quo amore atque beneuolentia fuerimus in* Antonium Mariam Palauicinum*: quamq; illum in arctam atque intimã domus noſtræ familiaritatem & neceßitudinem admiſerimus.* Eo *ab humanis ſublato meã in illum charitatem ad* Palauicinum *eius filium, quem quidẽ unicum reliquit, libentißime traduxi, cumq; & tuendum & fouendum & ornandũ mihi omni genere & officij & liberalitatis & plane beneuolẽtiæ ſuſcepi.* Quod *cum ita ſit:* Ille *autem fortunas ſuas omnes in ditione tua* Ducatuq; Mediolanẽſi *habeat: etſi prope compertum nobis eſt pro tuo magno regioq; animo, proq; patris in te ſui ſtudio & fide, proq; laboribus plurimis atque maximis te mandante ſuſceptis; illum tibi per ſeſe ſatis iam commendatum eſſe: uolui tamen pro meæ etiam pietatis officio a te diligenter petere; ut omnibus illum in rebus, quibus in rebus opus ei erit, gratia auxilio liberalitate tua; habeas mea cauſa & rogatu etiam commẽdatiorem.* Erit *id cum mihi mirandum in modum gratum; tum tibi etiam laudi; neceſſarium & familiarem meum, tuum hominem; cuius pater, dum tibi obtemperat ac præſto eſt, mortem obierit; tua te liberalitate atque beneuolentia in primis tueri.* Dat. *quinto* Cal. Febr. MDXVII. *Annoquarto.* Roma.

Ceurio.

Ceurio. 8

Ex *meis ad Carolum* Regem *tuum litteris; quam mihi gratum fuerit in deſpondenda* Maria *Cōſtantia* Maneriana *Annibali* Rangoni *equitum cohortis noſtræ* Præfecto *uoluntatem illum ſuam adhibuiſſe, facile perſpicies*. Id *tu quoq; illi non ſolum ut confirmes, ſed etiam ut augeas, abs te requiro*. Verumtamen *quoniam a* Regijs, *qui apud me ſunt*, Legatis *ei rei mora quædam interponitur; neq; poſſumus qua de cauſa id fiat, interpretari: petimus more noſtro abs te, agas apud* Regem, *atq; efficias; ut quod ſemel uelle ſe per litteras mihi ſignificauit; id aliorum inductu ne mutet.* Eſſet *enim eiuſmodi uoluntatis illius commutatio mihi multas ob cauſas apprime atq; ſummopere moleſta*. Pluribus *tecum uerbis non agam: ne uel* Regiæ *fidei, uel tuæ uirtuti uidear diffidere*. *Si quid autem præterea erit, quod te ſcire opus ſit; de* Raphaëllo Medice *familiari meo id cognoſces.* Dat. Prid. Cal. Feb. MDXVII. Anno *quarto.* Roma.

Fabritio *magno* Rhodi *Magiſtro.* 9

Et *gratum mihi tuū ſtudium fuit; quod, ut mihi notos faceres* Turcarum *Regis inopinatos progreſſus, ſcribendis ad nos litteris adhibuiſti ijs, quas ad diem* XV. Cal. Nouembris *dederas, & cura uigi-*

lantiaq; tua in munienda iſta Inſula, de qua me certiorem facis, uehementer mihi probatur. Enimuero nec abs te quicquàm optatius cõtingere nobis poteſt; quàm ita te animatum eſſe ad ſocietatem iſtam atq; ordinem unà cum Rhodo ipſa cõtra illorum conatus, ſi acciderit, fortiter atq; uiriliter defendendum: nec minora de te quidem nobis ipſi pollicebamur; cum ad ea mentem & cogitationem noſtram conuertebamus. Perge igitur magno erectoq́; animo, ut facis, de uniuerſô Chriſtiano nomine bene mereri. Nam etſi exiſtimem hoc ſane tempore Turcarum Regem aliò uires ſuas conuerſurum: eſt tamen tuæ prudentiæ eà comparare, ita te inſtruere; quaſi ille ad te opprimendum neruos omnes intendat ſuos; omnes cogitationes iſtò conferat, omnem conatum: ut ſi quis caſus in tua damna Turcas armauerit; ij te imparatum non offendant: teq́; Dominus tanquàm uigilantem agricolam ſuæ iſti colendæ uineæ arcendiſq́; ab ea furibus cum cognouerit; meritos tibi laborum tuorum fructus uindemiamq́; affluentem paret. Quod ad me attinet: omnibus ijs in rebus, quas ad res opem auxiliumq́; meum expetis, quoad fieri recte poterit, libentiſſime ſatisfaciam: quemadmodum ab ijs, qui apud me ſunt, procuratoribus tuis latius intelliges. Tuam enim ſocietatiſq́; tuæ ſalutem incolumitatem dignitatem proxime facio, facturuſq́; ſemper ſum; ac huius ipſius reip. atq; noſtram. Idq́; & ſcire te, & collegio iſti tuo meis uerbis polliceri ſane uolo. Quod autem me hortaris,

ut ad omnium Chriſtianorum Regum *pacem conciliandam animum adhibeam; ut poßimus in cõmunes noſtros hoſtes nobis acriter imminentes aliquando tandem arma noſtra conuertere: ſcire te plane uolo, nihil me aliud dies atq; noctes cogitare; nihil omni mea cura, diligentia, contentione, precibus denique omnibus moliri ac niti; quàm ut hoc ab illis conſequar: ſperare etiam moderatore & adiutore* DEO *cogitationes eiuſmodi & contentiones meas in tempore profuturas.* Tu *uelim me cum de* Turcarum *molitionibus tum de tuis rebus; quantum quidem locorum longinquitas & traijciendi tempeſtates patientur; quàm creberrime certiorem facias.* Dat. Prid. Cal. Februar. M D X V I I. *Anno quarto.* Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 10

C V M *intellexiſſes ſuperioribus menſibus cupere nos, ut quæ prima* Eccleſia *uberior tuis in* Re*gnis* Pontificem *amiſiſſet; de ea* Bernardus Bibiena Cardinalis *honeſtaretur, per nosq; augeretur: liberalißime nobis per litteras ſignificauiſti; ſi, quod cupiebamus, confeciſſemus; id tibi ratum & probatum fore: præſertim cum ſcires* Ferdinando Regi *auo tuo idem etiam placuiſſe, nobisq; illum ſignificauiſſe.* Hæc *tua liberalitas eo nobis gratior fuit; quod primis noſtris ea de re ſermonibus cum* Legato *tuo habitis id, quod dico, tribuiſti: neque uoluiſti*

uos multum

nos multum operæ eo petendo beneficio inſumere. Quæ cum ita ſint Eccleſiæq́; Caurienſis, quæ in tuo Hiſpaniæ regno eſt, Pontifex mortem obierit: de fratrum noſtrorum R. R. *Cardinalium conſilio Eccleſiam Caurienſem Bernardo Cardinali contulimus existimantes te, ut pollicitus fuisti, quicquid egiſſemus, libentiſsime comprobaturum. Id ſi ita, ut uolumus acciderit, erit nobis tam gratum, ut nihil poßit eſſe gratius: ſin aliter ſe res habuerit, ut quidam non belli iam homines dictitant; mirabor: præſertim cum ſcias ea nos in re pro Cardinali optime de nobis merito, neq; ſolum uetere uſu beneuolentia fide ſtudijs officijs coniuncto, ſed etiam ab ineunte ætate nobiſcum educato laborare; quique præterea duorum clarißimorum hominum auorum tuorũ Maximiliani & Ferdinandi ſtudioſißimus amãtißimúsque ſemper fuerit, non ſecus ac ſi ipſe unus ex ueſtra gente fuiſſet: ut iam non te modo id mihi permiſſurum facile quilibet non ineptus existimarit; ſed plane etiam gauiſurum fuiſſe, occaſionem tibi dari magnum & prudentem & ſummo ingenio ſummis facultatibus uirum, deq́; uobis optime meritum, maximeq́; gratum hominem promerendi. Quæ cum ita ſe habeant; tu minus uereor, ne ſis fidem mihi tuam præſtaturus. Itaq; familiarius iam abs te peto; mãdes; ut Epiſcopatus Caurienſis poſſeßio Bernardi procuratoribus ſine mora tradatur: ut tua & in illum liberalitas illuſtrior, & in me obſeruantia teſtatior appareat; & ego tibi amplius atq; proli-*

xius

xius debeam. Dat. III, Id. Feb. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Ceurio. 11

EA, quæ à Carolo Rege tuo in re Bernardi Bibienæ Cardinalis peto; ipſe de meis Legatis intelliges. In iis cum & ipſius Regis fides interpoſita ſit, & uoluntas maxima atque iuſtiſsima uerſetur mea; non dubito, quin ab eo ſim facile omnia & ſine ulla mora impetraturus. Sin uero aliter ſe res habuerit; te hortor ita apud illum agas, ut impedimenta omnia ea in cauſa reiiciantur. De eo tibi ego haud multo certe minus, quàm ipſe Cardinalis debebo: qui tibi tamen omnia ſane debebit: uel utriq; potius debebimus. Dat. tertio Idus Februar. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Maximiliano Imp. deſig. 12

AGET tecũ meis uerbis Thomas Legatus meus in re Bernardi Bibienæ Cardinalis cum magni certe præſtantisq; hominis, & mihi familiariſsimi planeq; coniunctiſsimi; tum tui, ut ſcis tam cupidi; nihil ut illo poſsit eſſe in te amando & colendo ardentius. Plura me ad te ſcribere nõ oportet: qui quàm leuiſſima tuorum familiarium cõmendatione omnia tua cauſa facio. Totam rẽ ita tibi cõmendo; ut me abs te beneficium accepiſſe ſim existimaturus; ſi is id,

quod

quod petit, a Rege Carolo nepote tuo per te conſequetur. Dat. tertio Id. Februar. MDXVII. Anno quarto. Roma.

Matthæo Cardinali Gurcenſi. 13

ETSI exiſtimem non neceſſe eſſe, ut res & fortunas Bernardi Bibienæ Cardinalis Maximiliano magnopere commendem: cuius percelebris pérque uetus in illum obſeruantia ſtudium amor expoſcere iure prope ſuo uidentur, ut ipſe aliorum cõmendationis apud Cæſarẽ non egeat: Feci tamen id per litteras diligenter, per Legatos autem meos multo etiã diligentius: cum cuperem, ut ſi quis caſus ferret, ut Cardinalis in Eccleſiæ Caurienſis, cui hodie illũ præpoſui, poſſeßione a Carolo Hiſpaniæ Rege aſſequẽda difficultatis aliquid experiretur; Cæſar in eo interponeret auctoritatem apud nepotem ſuã; rémque ex mea & Cardinalis uoluntate conficeret. Nũc autem, quod supereſt, & ſi minus neceſſe eſt pro homine tibi deditißimo, tui ſtudioſißimo, tuorum bonorum cupientißimo, tui præterea ordinis me apud te agere: tamen quantum maxime poſſum, te hortor; uelis, ſi erit opus, atque ubi erit, eius cauſam apud illum tueri atque ſuſcipere, quoad is uoti compos per te fiat. In quo tum Cardinali Cæſar maximum beneficium fecerit: tum ſibi ipſe apud omnes homines beneuolentiæ plurimum compararit. Nemo eſt enim cui non cognita perſpectaq; ſit Bibienæ in illum

illum obſeruãtia plurimis maximiſq; officiorum teſtata generibus, planeq; comprobata. Ego *uero utrique ueſtrum debere me facile profitebor; ipſi, qui apud* Carolum Regem; *tibi, qui apud illum egeris, ut fieret utriq; noſtrum ſatis.* Dat. *tertio* Id. Febr. M D X V I I. *Anno quarto.* Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 14

VENIT *ad te* Ioannes Bernardinus Montorius *homo tuus pro fortunis quibuſdam ſuis abs te recuperandis.* Is *quoniam exiſtimat paruo ſe negotio, quæ cupit, mea commendatione abs te impetraturum; facile pro meo in ſe amore mihi perſuaſit, ut ſe tibi commendarem.* Quare *erit mihi certe gratũ; ſi te is liberalem ſuis in rebus experietur.* In *quo etiã illud conſequere; ut hominem tibi iam tum ſua ſpõte, tum quod in imperio tuo eſt, ſane deditum, tuo beneficio tibi deuincies.* Dat. Prid. Id. Februar. M D X V I I. *Anno quarto.* Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 15

EX *Caroli* Regis *tui litteris cognoui id; quod cum mihi unice gratum accidit; tum fuit noſtræ in illum beneuolentiæ & ſpei, quam de illo cõceperam, magnopere conſentaneum; uelle illum ſcilicet, tibiq; mandare; ut quibuſcunq; in rebus ipſe auxilium tuũ requirerem ad nepharios* Franciſci Mariæ *in nos*

Remq; p.

Remq́; p. conatus atq; impetus compeſcendos ; mihi præſto eſſes : quemadmodum ex ipſius ad te Regis, Legatorumq́; regiorum litteris intelliges. Quamobrem te hortor ; ut quod iam tua ſponte faciebas ; in quo mihi fides dilige̅tiaq́; tua ualde mehercule probabatur ; id nunc eo libentius facias, uel perficias potius ; quod ad tuam in me propenſionem & ſtudium Regis tui uoluntas atq; imperium acceßit : ut quos milites mihi parabas, eos itineri des ; ut cum noſtris militibus ſe coniungere, & nobis uſui eſſe in tempore poßint : Sed hæc & reliqua, quæ te ſcire opus eſt, de Iuliano Rodulpho Priore Capuæ, quem ad te his de rebus mitto, melius & planius intelliges. Dat. XIII. Cal. Martias. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Franciſco Gallorum Regi. 16

De ijs, quæ quidem ad commune noſtrum in Turcas bellum parandum pertinerent, alijs ad te litteris ſcripſi. His uero litteris te hortari uolui ; ut quando eſſe nobis exploratum poteſt ; etiam ſi Turcarum Rex iuſtam illam, quam quidem magna diligentia comparauit, claſſem hac æſtate non ſit deducturus ; partem tamen aliquam eius claßis, priuatorumq́; hominum noſtrorum hoſtium longas naues ad pyraticam exercendam non defuturas ; quibus mare noſtru̅ infra ſupraq́; nauiga̅tes noſtraq́; littora infeſtentur ; dares opera̅, ut tuis in locis idonea qua̅ celerrime

lerrime claßis conficeretur; qua cum mea & cũ Hiſpaniæ Regis,*a quo idẽ petimus; claſſe cõiũcta et cõſociata, & hoſtibus iri obuiam poßit; & noſtra in communem utilitatem littora præmunita ſint: præſertim cum ad me perferatur & paratas eſſe iam nunc in* Græciæ *littoribus biremes aliquot & triremes naues, quibus damna & cædes noſtris hominibus inferantur: & parari alias ad id ipſum pluribus in portubus & locis.* Id *ſi ita eſt; ut unà curam adhibeamus; ne audacißimis hoſtibus noſtris* Chriſtiani *homines et eorũ fortunæ ludibrio & prædæ obijciantur; etiam atq; etiam abs te peto.* Dat. Cal. *Martijs.* M D X V I I. Anno *quarto.* Roma.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanenſium. 17

L E G I *eas litteras, quas ad te* Rex *tuus dederat miſſas abs te mihi: quibus cum litteris conſentiunt* Legatorum *meorum litteræ de optimo* Regis *in nos animo propenſißimaq; uoluntate, cui quidem ea de re plurimum debeo.* Itaq; *quod ex me quæris, quid te uelim facere.* Equidem *te hortor; ut quàm celerrime mittas* Parmam *equites grauis armaturæ tercentum ex ijs, quos habes & paratiores & firmiores; ut in tempore mihi præſto ſint.* Parmæ *autem aderunt; qui eos equites & doceant, quò eundum ipſis ſit; & ducãt iuſſu meo.* Id *erit mihi abs te etiam atque etiam gratum.* Dat. *octauo* Cal. Fe*bruar.* M D X V I I. Anno *quarto.* Roma.

Carolo

Carolo Hiſpaniæ Regi. 18

Lectis *tuis ad nos litteris, cognitoq́; cum edicto tuo Hiſpanis militibus proponendo, qui cum Franciſco Maria bellum gerunt; tum mandatis ijs, quæ ad Raimundum Cardonam, qui Neapolis pro Rege eſt, miſiſti ſuper noſtra Reiq́; pub. dignitate modis omnibus tuenda & defendenda; magnam cepi uoluptatem, non ſolum quia maieſtatem huius Imperij te adiutore cõtra ſubitos audaciſsimi hoſtis conatus defenſum iri uidebam; ſed etiam propterea, quod te intelligebam ex illius in nos impetu grauiſſimoq́; bello uehementer eſſe commotum. Itaque de hac tua tam egregia in nos uoluntate ago tibi, quas debeo, gratias: hoc eſt maximas atq; ampliſsimas: ſpondeoq́; me eius rei memoriam meo ex animo nũquàm deleturum: daturum autem operam; ut parem in me uoluntatem perſimilemq́; ſemper animum experiare ijs in rebus; quæ ad tuam dignitatem uel ſuſtinendam uel amplificandam pertinebunt. Dat. XIII. Cal. Mart. MDXVII. Anno quarto. Romæ.*

Epiſcopo Pacenſi. 19

Cum *ad petitiones noſtras ſuper auxilio nobis mittendo Carolus Rex & celeriter & amantiſsime reſcripſerit; idq́; factum te in primis noſtram cauſam*

ſam adiuuante cognouerimus: ſane non tã mihi grata fuit ſpes, quam cepi fore, ut Franciſcum Mariam *ſuorum conatuum audaciæq; pœniteat: quàm uoluptas etiam iocunda, cum uideam huius* Reipub. *dignitatis & maieſtatis propugnatores iſthic nõ deeſſe magnos & claros uiros.* Itaq; *& agitur tibi nũc quidem a me par gratia pietati tuæ: & uoluntas ſimilis oſtendetur, quotienſcunque ſe occaſio dederit, ut te ornare atque augere poßim.* Reliquum *eſt; ut* Regem *tuum in ea, qua nunc eſt uoluntate, confirmes: uademq; te illi des, nulla nos in re; quæ ad eius uel commodum uel dignitatem pertineat; unquàm defuturos.* Dat. XIII. Cal. Mart. MDXVII. Anno *quarto.* Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 20

ET *mea uetus in* Robertum *Sanſeuerinum* Calatiæ *comitem charitas; & propinquitas, qua is mecum nuper coniunctus eſt: deſpondi enim ei* Hippolytam Ciboam *Sororis meæ filiam: iure a me requirere uidentur: ut & ipſum & res & fortunas eius omnes tibi diligẽter cõmendem.* Eſt *ſane is ea ex gẽte oriundus, iiſq; uirtutibus præditus; ut per ſeſe tibi eſſe commẽdatus facile poßit:* Cum *uero ad hæc accedat etiam neceßitudo, quam mecum iniit; ualde ſperat nullis in rebus, quæ ad dignitatem fortunaſq; ſuas pertineant, te ſibi defuturum.* Ea *ſpes ne eum fallat etiam atq; etiam abs te peto.* In *quo ſi*

quid beneficij in eum cõtuleris; id ego ſic accipiam, quaſi tu tantundem in me ipſum contuliſſes. Quibus autem in rebus liberalitate illi tua opus ſit; de Nicolao Scombergio familiari meo, qui eſt ex ſocietate Auguſtinianorum, quem ad te mitto, cognoſces. Dat. tertio Cal. Mart. MDXVII. Anno quarto. Romæ.

Regi Britanniæ. 21

SANE quàm pro mea in rem Chriſtianam pietate gauiſus ſum, et Maximilianum Rom. Imper. deſig. & Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum Regem Hiſpaniæ ſuper capeſſendo in Turcas communi ſentẽtia bello paratos ſe eſſe omnia facere nuper mihi amantiſsime ſignificauiſſe: qui quidem omnia ſua ſtudia omnes, opes, facultates, ſemetipſos deniq; ad id pollicendo noſtram omnem de illis ſpem expectationemq; impleuerunt. Itaque ſperare iam incipio, non longiſsime abeſſe illud tempus, quo uiuere nos non pœniteat. Nam ut adhuc quidem ſe res habuit, dum & nos noſtris inter nos odijs diſceptationibusq; conterimur, & Turca ſuis progreſsibus maior in dies formidabiliorq; fit; bene cum illis actum uideri poterat; qui ſe ab ijs, quæ impendere mala putabantur, moriendo præripuerant: præſertim ſi eſſent eiuſmodi, qui alios regerent: ut ſi quid mali accidiſſet, ipſis tribueretur. Nunc uero; cum & illi, quos dico, Reges nihil ſe recuſaturos profiteantur,

ſiteantur; ut bellum ſuſcipiatur; & tuæ item litteræ tuorumq; Legatorum ſermones in eandem nos opinionem erexerint; ut, quod ad te attinet, nihil ſimus deſideraturi eorum, quæ per te parari confici q; poterunt: cum, ut dixi, lætor tantum eſſe conſenſum ueſtrorum animorum belli gerendi: tum in eam ſpem adducor; ut exiſtimem, qui extrudere nos noſtris ſedibus cogitant, audaciſſimi hoſtes noſtri; ſuis ipſos Regnis *exturbatos, ſuis expulſos breui tempore domicilijs ea nobis uictoribus relicturos.* Quamobrē *cum uenerabilibus fratribus meis* E. R. Cardinalibus *re mature conſiderata, adhibitis ad id tuis cæterorúmque* Regum Legatis, *primum quidem quinquennales inducias inter* Chriſtianos *omnes indiximus; eásque ſumus his diebus inter ſacra,* Dijs *immortalibus teſtibus edicto noſtro publice ſancituri.* Deinde, *quoniam numi quaſi nerui bellorum ſunt; ad eos cogendos eam prope rationem inire nobis placuit, de qua nos* Maximilianus *admonuit ſcripto ſuo: cuius exemplum ad te mitto additis, quæ mihi addenda eſſe & ad celeritatem, & ad facilitatem ſunt uiſa: ut uel id tu quoque, ſi tibi uidebitur, probes: uel ſcribas ad nos cur non probes, afferáſque ipſe meliora.* Sed *te puto facile probaturum: noui enim ingenium & liberalitatem tuam.* Atq; *ut hæc, & reliqua, quæ agenda ſunt, maiori cum dignitate tranſigantur; ad te,* Regesq; *reliquos mittere* Legatos *decreui ex ijs, qui* Cardinales *ſunt, magnos & claros uiros: qui-*

bus ea ſola cura ſit, quæ ad bellum pertinent, apud nos procurandi: ut celerius omnia confici atq; teſtatius poßint. Q*uæ cum ita informata ſint, ut res iam caput habere uideatur, quod eſt omnium difficillimum atq; maximum; te non hortor modo, ſed plane etiam atq; etiam abs te peto, quæſoq;, ut quod mihi ſignificaſti uelle facere te; id ita iam re cures, agas, efficias; ut ſi quis erit* Regum *noſtrorum ad fidem ſuam præſtandam lentior; is tuo exemplo commoueri poßit: ut cum tu, a quo propter longinquitatem minus celeriter curari poteſt; tuas iam partes impleueris; ſeſe pudeat tardiorem te fuiſſe; negligentiamq; ſuam plura etiam, quàm pollicitus fuerit, in commune conferens reponat.* Id *quantæ tibi gloriæ futurum ſit, nemo te melius intelligit.* Plura *nõ dicam: res enim ſatis per ſe ipſa loquitur: uel* DEVS Dominusq; *noſter potius te pro ſe alloquitur.* Eum *te par eſt audire: cui tantum ipſe rerum optimarum maximeq; expetendarum dedit; ut niſi earum multo maximam, ſi ſit opus, partem ipſi te hoc tempore poſcenti profuderis; non ſatis dignus eo munere fuiſſe uideare.* Hæc *dies atq; noctes cogitare te oportet; & , ut uideo, cogitas. Sed non tam pulchrum eſt profiteri atque recipere te facturum recte aliquid; quàm perficere quod pollicitus es, etiam neceſſarium; ut boni* Regis *nomen adipiſcare.* In *altero nutus animi uoluntasq; tantum oſtẽditur, quæ flecti & commutari facile poteſt: in altero ineſt conſtantia perpetuitasq; uoluntatis; quæ*

quidem

quidem multum roboris multumq́; uirtutis requirit. Sed hæc tu fortaſſe melius. Reliqua quæ ſunt, ea de tuis Legatis intelliges; quibus cum & multa & ſæpe ſumus loquuti. Tu uelim ad nos litteras omnibus de rebus des quàm creberrimas: ut quod locorum longinquitas intercipit; ſedulitate nobis diligentiáque tua reſtituatur. Dat. tertio Non. Martias. MDXVII. Anno quarto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 22

HODIE Romæ Xiſtus Cardinalis eius Eccleſiæ, quæ ad Petri uincula dicitur, graui longoq́; morbo conflictatus cum mortem obierit monaſterium Clareuallenſe Ciſtercienſis ordinis Mediolanenſis diocœſeos, quod is habebat, Iulio Medici Cardinali fratri patrueli meo contuli; cum exiſtimarem eam tibi rem cum mea, tum ipſius cauſa, cuius plurima in te officia ſemper extiterunt, non ratam modo & probatam, uerùm etiam uoluptati fore. Paucis igitur, quemadmodum coniunctioni neceßitudiniq́; noſtræ conuenit, te hortor, mandes Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolani; curet efficiatq́;, ut eius monaſterij poſſeßio Cardinalis procuratoribus ſine mora tradatur. In quo & mihi gratißimum feceris: & Cardinalem tibi pridem ualde deditum tuiq́; cupidũ tuo beneficio magnopere tibi deuinxeris. Dat. octauo Id. Martias. MDXVII. Anno quarto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 23

HERI Xiſto Cardinali eius phani, quod eſt ad Petri uincula, Romæ uita functo cum uellemus Eccleſiæ Patauinæ, cui etiam is præerat, aliquem ex tuis ciuibus præficere; quemadmodum Marcus Minius Legatus tuus a nobis per hos dies diligentiſſime petierat tuis uerbis: nemo ea nobis dignior Marco Cornelio eſt uiſus, cum propterea quod is & Cardinalis eſt, & ciuis tuus, & plurimis maximisq; uirtutibus præditus: tum etiam, quod tibi eſſe omnium maximum debet, quia is iſtius reip. ſtudioſiſſimus ſemper fuit; atque omnibus eius difficillimis duriſſimisq; temporibus nullum unquam laborē euitauit, nulli rei pepercit; ut illi uel commodo uel ornamento eſſe poſſet. Itaq; ſuis omnibus fructibus & penſionibus eam ob cauſam nouem ipſos annos caruit: quod te ſcio non latere. Quæ cum ita ſe haberent; Marcum Cornelium Cardinalem Eccleſiæ Patauinæ præpoſuimus: in quo tibi rem per quàm gratam facere nos eo exploratius nobis fuit; quod te ſcire arbitrabamur, quanti nos eum hominem faceremus; qua porro beneuolentia proſequeremur: ut cum tibi eius rei eſſet opus, confideres nihil illum a me fruſtra petiturum. Nunc autem, quod ſupereſt; etiam ſi minus neceſſe eſt; amoris tamen in illum mei abundantia magnitudineq; te hortor; des operam, ut illius Eccleſiæ poſſeſſio Cardinali ſine ulla mora

mora tradatur: ut is & muneris in ſe mei, & ſuorum de te meritorum fructum hunc celeriter capiat. Dat. *octauo* Id. *Martias.* MDXVII. Anno *quarto.* Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 24

MVLTA *mihi neceßitudinis officia cum* Ioanne Franciſco Gambara *uita functo; magnus noſtræ familiæ cum eius familia uſus, magna ſane beneuolentia multos iam annos interceſſerunt: neq; quicquam prope eſt apud nos gratiæ officij pietatis; quod, ſi eorum in nos atque noſtros merita reſpexerimus, illis plane non debeatur. Quæ cum ita ſint, ea uero familia poſt multas bellorum tempeſtates, in iſtius reip. ſinum, quaſi portum, unà cum reliqua ciuitate* Brixienſi *redierit, ſeq; receperit: non hortor modo te, ſed abs te etiam atque etiam requiro; ut* Robertum Gambaram *familiarem meum iuuenem multa uirtute, reliquosq; eius fratres* Ioannis Fráciſci *liberos uniuerſamq; eam familiam libenti beneuolóque animo excipias, foueas, tueare; noſtráque cauſa ita tractes; ut præter id, quod ipſi indies ſuis in iſtam remp. ſtudijs, officijs, ſua fide cõſequuturos ſe ab ea gratiæ benignitatisq; confidunt; noſtra hac tam diligenti commendatione abs te impetrent, ut iam nũc placabilem liberalémque tuum ciuitatisq; tuæ in ſeſe animum experiantur; ſentiántque multum ſibi apud te meam ſummam in te remq;*

iſtam pub. beneuolentiam, meámque auctoritatem profuiſſe. Dat. *ſexto* Id. *Martias.* MDXVII. *Anno quarto.* Roma.

Alphonſo Petrutio Cardinali Senenſi. 25

QVOD *nobis, qui te amanter* Romam *arceſſeramus, non ſalutatis profectus ſis; cum res tuas conficiendi curam paterna diligentia atque amore ſuſcepiſſemus, atq; illas ex tua ſententia confecturi breui eſſemus: ſane pro noſtra in te beneuolentia propenſoq; ad tuam dignitatem fortunasq; tuendas animo, moleſtum nobis atq; inexpectatũ fuit. Quod uero mihi denunciatum eſt cogitare moliriq; te res nouas ad Senarum ſtatum & quietem conuellendam; id mihi quidem, cum eſſes huius* Reip. *pars, fratremq; meum gereres, ſciresque id municipium in meam curam eſſe receptum; uериſimile mediusfidius non eſt uiſum.* Veruntamen *quoniam ea, quæ dico, magnis auctoribus afferebantur; his te litteris & monere & hortari uolui; ut ab eiuſmodi motibus excitandis abſtineres; auocaresq; te ab ijs cogitationibus, quæ nobis negotium faceſſerent: ſciresq; prorſus atq; cognoſceres; ſi quicquam omnino contra hunc Senarum ſtatum egiſſes, tentauiſſes; id me nihilo plane ſecius, ac ſi in me ipſum admiſiſſes, atq; conſpirauiſſes, eſſe uindicaturum.* Dat. *quarto* Id. *Martias.* MDXVII. Anno *quarto.* Roma.

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER QVINTVSDECIMVS.

Ludouico Regi Pannoniæ. 1

INDICTIS *per nos his diebus inter Chriſtianos omnes quinquēnalibus inducijs ob ſuſcipiendum in Turcas communi conſenſu bellum; ſtatueram ad te mittere certum hominem; qui te multis de rebus doceret, quas te ſcire oportere maiorem in modum exiſtimabam. Itaq; nunc ad te mitto Nicolaum Scombergium Germanũ, qui eſt ex ſocietate Auguſtinianorum eum, qui tibi has litteras reddidit; & prudentem ſane hominem maximisq; tractandis rebus exercitatum, & mihi ſummopere probatum & gratũ: ut & illa, quæ dico, tibi ſignificet, & curam gerat ea, quæ ad bellum pertinent, tecum & cum tuis procurandi, quoad Cardinalis aliquis ei ſuccedat, qui tibi noſtro nomine præſto ſit: quemadmodum tibi reliquisque Regibus ſcripſeram uelle facere me.* Reliquum *eſt, ut te horter; ut prætermiſsis omnibus alijs occupationibus tuis huic curæ totum te plane des; hoc cogites;*

gites; in hoc neruos omnes intendas tuos; ut Chriſtianæ Reip. plurimum opis atq; præſidij compares. In quo & maiorum tuorum, qui multa cum Turcis bella magno animo geſſerunt, æquare gloriam poteris; & tuos fines lõge lateq; promouere; & DEI Opt. Max. qui tibi tantum Regnorum dedit, cauſam ualde quidem illam periclitãtem defendere planeq; reſtituere. Dat. ſextodecimo Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Romæ.

Epiſcopo Saguntino. 2

ET ſi ex Legatorum meorum litteris intellexi te & illorum audaciam, qui huius Reip. municipia comparato exercitu aggredi expugnareq; ſunt auſi, ægerrime tuliſſe; & omnem tuam curam operam auxilium ad ipſius Reip. dignitatem tuendam animo libentiſſimo illis detuliſſe: tuæ tamen litteræ, quibus idem ſignificauiſti, gratæ mihi atq; iocundæ fuerunt: ſpondeoq; tibi eius me rei parem aliquando gratiam relaturum. Interea te, etiam ſi nihil neceſſe eſt, tamen hortor, pergas facere, quod profecto facis: idq; tandiu, dum finis aliquis harum moleſtiarum reperiatur: quo de fine, ſacra cum facis, ſupplicare te Domino precibus omnibus ſane uelim. Equidem & illi ſupplex ea de re quotidie ſum: & ſpero fore, ut huius reip. hoſtes propediem audaciæ ſuæ ualde pœniteat. Dat. tertiodecimo Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Romæ.

Hadriano

Hadriano Epiſcopo Dertuſenſi. 3

QVOD tuis ad me perhumaniter ſcriptis litteris ſignificauiſti, moleſtiſsimam tibi fuiſſe eorum hominum audaciam, qui aperto bello in reip. loca inuadere, eaq́; diripere ſunt aggreſsi: de eo etiam ex Legatorum meorum litteris fiebam certior. Equidem ualde conſolor; cum te hominem & prudentem & grauem, & magna apud Carolum Regem auctoritate non æquiſsimo animo ferre ſentio hanc indignitatem, mederiq́; cupere reip. uulneri, non illi quidem magno aut introrſum adacto; ſed tamen uulneri: quod ſanari ſine Regis tui curatione prope non poteſt. Itaq; cum te de tuo in remp. optimo amantiſsimoq́; animo, quem & mihi & meis interpretibus oſtendiſti, uehementer laudo: tum hortor; ut quod laudabiliter cœpiſti ſuadere Regi, ut nobis ſuppetias ferat; idem inſiſtas pergasq́; tandiu facere; dum audaciſsimi hoſtes noſtri ſuarum impreſsionum pœnas luant. Totam igitur reip. cauſam, uel ipſam potius rempub. tibi commendo maiorem in modum. Dat. XII. Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Roma.

Prolegato Peruſiæ. 4

CVM huius urbis exulem Carolum Balionem fecerimus propterea quod is è conſpectu noſtrarum ædium

ædium ac prope ante noſtros oculos in Ioannem Paulum Balionem propinquum ſuum ſtricto gladio impetum fecit: mando tibi; ut Peruſiæ Decurionibus denuncies meis uerbis; ut Carolum item exulem Peruſiæ factum pronuncient edicto meo. Dat. IIII. Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Roma.

Potentiæ Comiti. 5

QVONIAM noſtra maxime intereſt, te Regiosq́; milites quibus imperas, cum noſtra manu ea, quæ in Piceno eſt, quàm celerrime coniungi: hortor omni ſtudio te, feſtines, quantum maxime fieri poteſt; teq́; ad Laurentium Medicem fratris mei filium magnis itineribus cõferas. Id ſi feceris; quemadmodum te facturum confido; dabo ipſe operam; ut bene te ſtudium tuum poſuiſſe cognoſcere & lætari poßis. Dat. III. Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Roma.

Societati & Canonicis templi Romani Apoſtolorum Principis. 6

MANDAVIMVS Latino Iuuenali familiari noſtro; qui eſt in ueſtra ſocietate; ut ſe ad uiam compararet. Miſſuri enim ſumus eum in Galliam tranſalpinam: ut apud Franciſcum Gallorum Regem noſtris tractandis rebus & conſtituendis moram trahat. Quem quidem propter excellens eius ingenium

atque

Digitized by Google

atq; in agendis rebus cum incredibilem diligentiam, tum fidem eximiam & ſingularem atq; mirificam probitatem magno nobis & reip. uſui futurum confidimus. Quibus uirtutibus etiam illud adiungitur; quod ciuis Romanus eſt, patrijq; iuris maxime retinens. Is cum munus non renuiſſet; nos admonuit, eam ſibi rem magnum detrimentum allaturam: propterea quod in ſocietatis ueſtræ legibus eſt; ut qui Roma annum abſunt, collegij prouentibus ne iuuentur. Id cum nobis magnopere indignum atq; illiberale ſane ſit uiſum; eos omnino, qui Ro. reip. magno cum labore operam impēdunt, ſuorum ſacerdotiorum fructibus defici: uobis ſingulis & ſocietati ueſtræ mandamus; ut nihil ea de cauſa, quod is Roma abfuturus ſit, de illius ſacerdotij prouentibus detrahatis: ſed operam adhibeatis; ut omne id, quod præſenti curatur, ad abſentem integrum & ſolidum perueniat. Prid. Cal. Aprilium. MDXVII. Anno quinto. Romæ.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 7

DEDIMVS paucis ante horis ad te hodie litteras: quibus tibi ſignificauimus, nos, ut tuis poſtulatis ſatisfaceremus, Epiſcopum Cameracenſem deſignatum ad ampliſſimam Cardinalatus dignitatem legiſſe: Deq; noſtri in te animi propēſione omnibus in rebus ab huius reip.dignitate non alienis multa in eaſdem litteras coniecimus: cum de ijs tamē ſubantea cum

tea cum Epiſcopo Syracuſano & Hieronymo Vicco Legatis tuis eſſemus diligenter loquuti. Quæ cum ita ſe habeant; uideasq; id me propemodum agere, ut tibi nihil negem: æquum eſt eundem te animum noſtris in rebus præ te ferre; uelléque mihi quibus in rebus honeſte poſsis, auctoritatem & liberalitatem tuam non claudere. Id etſi exiſtimem ob eximiam tuam maiorumq; tuorum in Romanos Pont. pietatẽ te eſſe facturum; præſertim cum ego te tam officioſe tamq; amanter prouocem: hortor tamen meo, hoc eſt paterno iure idem, quod antea non unis litteris ſum hortatus; atq; ut expreſsius animi mei ſenſum teſtatum apud te faciam, plane te rogo, mandes, ut Bernardo Bibienæ Cardinali tam ſpectatæ uirtutis uiro, tam mihi grato, quàm ſcis, Caurienſis Eccleſiæ poſſeſsio aliquando tãdem tradatur: neq; utriusque noſtrum in eo ſpem expectationemq; tandiu differas; dum & muneris tui gratia & uoluptas mei ex eius animo effluat atq; depereat die: accidatq; id; quod illis ſolet accidere, qui biduum aut triduum ſtomacho ieiuno fuerunt: nulla enim amplius capiendi cibi ducuntur auiditate: neq; ueſcentes uoluptatem ullam ſentiunt propterea; quod eſca ſibi in tempore non allata ipſum etiam edendi prope ſenſum fractum debilitatumq; amiſerunt. Sic enim tu ſi Bernardo Cardinali multos dies benefacere prætermiſeris; erit illud quidem beneficium atq; munus quoquo tẽpore; ſed amittet opinor ſuauitatem illam atq; dulcedinem; quam ſecũ ſtatim ueniens attuliſſet. Id ne

fiat;

fiat; adhuc in tua manu eſt: ſed non multum diu erit. Quod cum feceris; plura erunt, quæ te merito delectent: primum huius reip. dignitatis rationem te habuiſſe: deinde Ferdinandi aui tui optimi clariſſimiq; Regis uoluntati ſatisfeciſſe: ad hæc præſtantē hominem, deq; te tuisq; omnibus optime meritū tuo beneficio tibi deuinxiſſe: poſtremo tam mihi gratū feciſſe, ut nihil poſſit eſſe gratius. Hæc quanti facienda tibi ſint; æſtimare te malo, quàm me ſcribere. Vale igitur: & nos dilige: ſi te & amari a nobis & pluris fieri quotidie perſpicis. Dat. Cal. April. MDXVII. Anno quinto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 8

RENVNCIATVM nobis eſt Eccleſiæ Placentinæ, quæ in tuis Hiſpaniæ Regnis eſt, Epiſcopum uita functum eſſe. Id tametſi minus certis auctoribus eſt perlatum; uolui tamen ad te ſcribere; ut ſi ita eſſet, uelles, ut eius Eccleſiæ interuentu Bernardini Cardinalis. S. Crucis controuerſia, quam cum Federico Portugali propter Eccleſiam Saguntinam tandiu habuit, ſedaretur & terminaretur; dum hāc ipſam alteri eorum nobis permitteres concedendam. Ita enim & reliquos fratres meos S. R. Cardinales qui quidem omnes pro Bernardino laborant, quotidieq; me poſtulationibus commendationibusq; ſuis onerant; & te ipſe, cui litteras mittere his de rebus non deſiſtimus, magna moleſtia liberaris; &

mihi

mihi gratiſsimum feceris. Erit *etiam id prudentis* Regis, *& ſuorum pacis & quietis cupidi uere proprium*. Dat. tertio Non. April. MDXVII. Anno *quinto*. Roma.

Laurentio Medici fratris filio. 9

NIHIL *nobis gratius & iocundius afferri potuit tuis litteris: quibus ſcribis, de medicorum omnium ſententia uulnus tibi omnino non penetrare, breuiq; coaliturum, & te ualentem futurũ*. Quod *quidem etſi ita fore ſpem in* Dijs *immortalibus haberemus, tuiq; omnes idem nobis ſignificarent: magna tamen lætitia nos affecit is medicorum conſenſus, tuæq; litteræ, manu præſertim tua ſcriptæ, neque uacillantibus litterulis: quæ nos ea de re certiores fecerunt*. Itaq; *maximas quidem gratias* DEO Opt. Max. *ago; agamq; dum uiuam: qui te tam præſenti periculo eripuit: precorq; quod reliquum eſt, ut is mihi te & matri & tuis omnibus ſaluum atque ſoſpitem ſiſtat*. Interim *bono animo es: quo te tamen eſſe iam uideo: nihilq;* cogites, *præter proſperam & celerem ſanationem*. Nos porro *tibi usq; hinc, quod noſtri muneris eſt, manu quidem noſtra in crucis effigiem ducta, uulnus, qua poſſumus, obſignamus, beneq; ominamur*. Itaq; *fili optime atq; exoptatiſsime uale*. Dat. Non. April. Anno V. Roma.

Franciſco

Franciſco Gallorum Regi. 10

ACCEPI tuis cum litteris & canes uenaticos ad perquirendas feras, & caſſes ex tela ad concludendas idoneos; quos miſiſti: utrunq; munus & numero & pulchritudine ſane Regium, & mihi apprime gratum uel per ſeſe, uel quod abs te proficiſcitur. Itaq; & ijs iam ſum bis terue uſus multa cum uoluptate: quos mihi etiam probatiores fecit Barderiæ familiaris tui, qui eos attulit, induſtria: & utar poſthac, cum per negotia occupationesq́; meas exire Roma mihi licebit. Omnino enim experior tum equitationem illam, tum auocationem animi, quam ſibi uendicat tãtiſper uenatio, ualde mihi proficere ad ualetudinem uiresq́; corporis uel firmandas uel reſtituendas. Quare cum eo de munere, tum de cura, quam geris de ſalute mea, ualde te amo. Hortor autem; etiam ſi minus neceſſe eſt; ut quando ego te uera ſolidáq; beneuolentia proſequor, tu me amare magnopere te oſtendis; perſtemus uterq;, quemadmodum quidem facimus, in eodem tum inter nos, tum erga remp. ſenſu: ut & nobis ipſi & DEI Eccleſiæ eſſe uſui & dignitati poſſimus. Dat. Idibus Aprilib. Anno quinto. Roma.

Proſpero Columnæ Cauio. 11

INTELLEXI, *quod quidem mihi, ut debuit, permoleſtum fuit; nonnulla Latij loca tuis a militibus impudẽter exagitari; & cum prædas abigi; tum cædes etiam ab eis perpetrari magna cum mea cõtumelia Latinorumq; hominum perturbatione & querela. Quorum etſi pro mea in te beneuolentia multa fieri te ignorante facile mihi ipſe perſuadeo: non poſſum tamen populis in mea & reip. fide degentibus, opemq; noſtram implorãtibus deeſſe. Quamobrem quanto maiore poſſum ſtudio te hortor; ut eos tuos milites ab eiuſmodi uel cædibus uel rapinis contineas: tum quæ ablata nullo iure ſunt, ea cures ut reſtituantur. Eſt enim tui officij atq; muneris; ut quæ paßim temere ſcelerateq; per tuos homines admittuntur; ijs tua prudentia tuaq; animaduerſione finis imponatur. In quo tu ſi negligentior, quod nolim, fueris; cogar ipſe, quibus potero rationibus, ei rei occurrere; teq; tam paruifacere; quàm tu meam auctoritatem uideberis uel neglexiſſe, uel etiam contempſiſſe. Dat. ſeptimo Cal. Maias. Anno quinto. Romæ.*

Latino Iuuenali meo apud Venetos Internũcio. 12

HERI *de morte Epiſcopi Malfetani cum mihi eſſet renunciatum; fuere, qui dicerent, eſſe in iſta urbe*

urbe apud certos homines quandam pecuniæ ſummam; quam Epiſcopus mutui nomine depoſuerit. Quæ quidem ſumma quoniam fiſco noſtro debetur; inteſtatus enim deceſsit Epiſcopus; mando tibi, ut Leonardum Lauredanũ Principem Venetiarum adeas; petasq́; ab eo meis uerbis; det operam, ut eius pecuniæ integrum tibi curetur. Qua de re eis, a quibus pecunia exigetur, uolo te poſſe ſyngrapham conficere, nominaq́; perinde libera facere, ac ſi ipſe ſcribendo affuiſſem. Dat. ſexto Cal. Maias. Anno quinto. Romæ.

Ioanni Bernæ Heluetio. 13

LITTERAE tuæ; quibus me de tua egregia in nos uolũtate certiorem facis; etſi ſerius, quàm debuerant, ſunt redditæ, mihi tamen periocundæ fuerunt. Valde enim lætor bonos & fortes homines, & uirtutibus perornatos ac magni animi uiros, ut tu es, etiam religione præditos eſſe, & DEI Eccleſiæ cupidos & obſeruantes uideri. Itaq; oblationes tuas libenti animo accipio; cumq́; opus erit, & quanti te faciam, & quid te uelim mea cauſa facere, uel de filio tuo magna pietate adoleſcente, uel ex aliquo meorum intelliges. Dat. Cal. Maijs. Anno quinto. Romæ.

Sebaſtiano Ferrerio *Quæſtori* Regio *Galliæ Ciſalpinæ*. 14

QVOD *de me bene mereri non intermittis; eſt mihi plane gratum: tuaq; iſta & Bonifacij* Epiſcopi Hipporegini *filij tui et pietas & ſtudium mihi uehementer probatur*. Dabo etiam operam, *ut uos officia ueſtra bene poſuiſſe* cognoſcatis. Dat. Cal. Maij. *Anno quinto*. Roma.

Ameto Beno Cercinæ *Inſulæ domino*. 15

GRATAE *mihi tuæ litteræ fuerunt, quas de menſe* Martio *ad me dediſti*. Ex *ijs enim quaſi quodam ueriſsimum teſtimonium habui & multæ uirtutis tuæ, neq; minimæ in me* Romanamq; *remp. obſeruantiæ: ita & prudenter & apposite ad ea reſpondiſti, quæ* Aloiſius Fãtinus Venetus *familiaris meus tecum egerat meis uerbis*. Quod *mihi officium liberalitasq; tua periocũda ſane accidit*: Dominúmque *tibi ea de re & propitium & beneficum cupio eſſe*. Ad *ea uero, quæ ſcribis, acceßit etiam plurimus & accuratißimus eiuſdem* Aloiſii *ſermo: quem quidem libenter audiuimus*. Ipſi *autem iſthuc atque ad te reuertenti mãdata dedimus ea; quæ noſtra utriusque intereſſe æque exiſtimo*. Cæterum *accepi munuſcula tua amoris ſcilicet & beneuolentiæ, ut ſcribis, inditium: eaq; &* grata *& iocunda mihi fuere*. Vale:

Vale : & Dominum dilige. Dat. *ſexto* Non. *Maias.* *Anno quinto.* Roma.

Comiti Potentiæ. 16

Ex *litteris* Bernardi Bibienæ Cardinalis Legati *cognoui, quàm diligenter quamq; ſtrenue te geras; quàm nullos labores, nulla pericula fugias, ut mihi uſui & dignitati eſſe poßis. Quod tametſi minime mirum fuit ijs; qui te, qui mores & probitatem tuam animiq; tui fortitudinem dudum cognitam & perſpectam habent: quorum ego ex numero iampridem ſum; cui nihil eſt uirtute porro tua exploratius: accidit tamen mihi quidem ſane gratißimum. Quare uelim tibi perſuadeas; me & iſtius tuæ diligentiæ uigilantiæ fidei laborum meritorum memoriam conſeruaturum: & in tua uirtute atque conſtantia tuorumq; militum robore multo maximam huius belli recte conficiendi ſpem expectationemq; poſuiſſe.* Dat. *ſexto* Non. *Maias.* *Anno quinto.* Roma.

Franciſco Gallorum Regi. 17

Bis *iam ad te litteras dedimus de ea uictoria; quam quidem maximam atq; clarißimam* Rex Turcarum *contra Sultanum Aegypti* Regem *unam atque alteram proſperrimis euentis eſt conſequutus: hortatique ſumus te; ut in ſuſcipiendo in eiuſmodi*

hoſtem bello, quod in poſtrema Lateranenſis Concilij rogatione Senatus decreuit, auctoritatem conſiliúque tua nobiſcum coniungeres: atque ut res ad aliquas aliquando tractationes deduceretur; aut Legatos ampla cũ poteſtate ad nos mitteres; aut idonea mandata ijs, quæ opus eſſent, conficiendis ad eos, quos hic habes, tranſmitteres. Id etſi te pro tua pietate atque prudentia animique magnitudine curaturum plane confido: Quoniam tamen non unis ex locis, neque leuißimis auctoribus idem nobis ſignificantibus certiores facti ſumus, Turcarum Regem non Sultani modo Regno ditioneq́; omni potitum Aegypti & Syriæ maximarum opulentißimarumq́; prouinciarum Regem atq; Dominum eſſe factum: ſed claſſem etiam centum eoq́; amplius triremium, cæterarumq́; longarum nauium aptorumq́; ad bella nauigiorum prope innumerabilium omni apparatu tormentisq́; in primis bellicis egregie inſtructam ſuis e portubus eduxiſſe: his te etiam literis id, quod antea feci, hortor, ac per DEI matris teſtata nobis ſæpius uiſcera oro obſecroq́;; ut uel mißis Romam alijs Legatis tuis, uel eis, quos hic habes, facultate addita des operam, ut unà cum reliquis Chriſtianis Regibus atque Principibus conſtituere, quæ ſunt conſtituenda, celeriter atq; in tempore poßimus. Non enim dubito; neque quiſquàm recte ſentiens exiſtimare aliter poteſt; quin ille; cum primum rebus ſuis erit utile, commodeq́; poterit; eã ſuam tantam tamq́; opportunam claſſem in noſtrum

ſit excidium

ſit excidium uaſtitatemq; conuerſurus. Itaque ne a Domino ſuprema die quaſi ſerui nequàm talentis ab eo traditis male uſos fuiſſe deprehēdamur: aut etiam ne iam nunc quidem tanquàm indignos, quibus gregem ſuum regendum fouendumq; permiſerit, idem nos ignauiæ atque inertiæ redarguat & condamnet Dominus: ante quàm lupus fame rabidus, ſanguinemq; ouium rore baptiſmatis reſperſarum ſitiens, qui iam e ſylua ſiccis faucibus eſt egreſſus, eas prædatum & depopulatum ueniat; paremus ipſi, quæ paranda ſunt: ut poſtea in tempore unà omnes, pro uirili ſua quilibet, in communem utilitatem uires opesq; noſtras explicemus. Quod ſi facere cæteri Chriſtiani Reges debent, ut profecto debent: inita præſertim DEI Opt. Max. beneficio teq; in primis adnitente, inter ipſos concordia, ſedatisq; controuerſiis & diſceptationibus omnibus: quid à te cum maximus maximeq; Chriſtianus ſis, omnes homines non ſolum ſperent, ſed iure prope ſuo etiam expectant; te latere non exiſtimo. Quare per DEOS atq; homines excita te, accelera, accingere, atque ad bellum iam para; noſtriſq; gentibus, quæ in te unum oculos maxime omnium coniecerunt, profer oſtendeq; te: ut non plus fortunam, quàm uirtutem admirentur tuam: neq; minus quod optimus ſis, quàm quod maximus, ueris laudibus in cœlum ferant. Sed de communi bello hactenus. Cæterum quoniam allatum ad nos eſt quadraginta hoſtium biremes inter Corſicæ atq; Sardiniæ littora nuper uiſas,

mare illud omnẽ inſulasq́; ipſas metu atq; formidine impleuiſſe: peto abs te; ut quicquid habes Genuæ *atq;* Maſiliæ *lõgarum nauium; habere autem te aliquas certo ſcio; eas imperes mihi præſto eſſe: ut cum mea cumq́;* Caroli Regis *claſſe ad noſtras communiter oras tuendas coniungi poßint.* Id *quo celerius cõfeceris; eo de hac omnino rep. in quam quidem optimi clarißimiq́;* Reges *maiores tui plurima atq; maxima beneficia contulerunt; meritus amplius atque uberius fueris.* Verum *hæc atque alia de* Ludouico Epiſcopo Bellouacorum Legato *meo latius intelliges.* Vale *igitur mi* Rex*: gloriæq́; tuæ ueræ atque ſolidæ hoc eſt hominibus iuuandis, mentem omnem tuam da: neq; horam unam ſine ijs cogitationibus tranſi.* Dat. *ſeptimo* Id. Maias. Anno *quinto.* Romæ.

Ioanni Paulo Balioni, Peruſiam. 18

PVTO *te iam intellexiſſe, per hoſtes reip. ea parari; quibus iſtius oppidi nobis charißimi otium ſtatusq́; conuelli poßit.* Qui *ſane nuncius quoniam nobis moleſtißimus fuit non tam quidem, quod ullas eorum copias apparatúmue pertimeſcamus; quàm quod maxime cupimus* Peruſinos *ciues atq; incolas ne minima quidem turba tangi & commoueri: ſemper enim fidem ſuam & officium reip. præſtiterunt: quin tibi quoq; mentem pupugerit, non dubito.* Sed *uolo te bono animo eſſe;* Idq́; *tuis ciuibus dicere meis uerbis,*

uerbis, bono & ipſi animo ut ſint; neq; rumore ullo eius rei perterreantur. Nam *& nos uires noſtras omnes comparabimus ut irriti hoſtium conatus efficiantur: &* Galliæ *atq;* Hiſpaniæ Regum *copias, quæ mihi præſto eſſe iuſſæ ſunt, celeriter iſtò mittam; ut uobis opem atq; ſuppetias ferant.* Te *uero etiam atq; etiam hortor, quam potes manum cogas, iubeasq; in armis eſſe: ut dum ij, quos dico, milites conueniunt; oppidum præmuniant, præſidioq; ſint; quo minus hoſtis audeat eò accedere.* Reliquum *eſt, ut intelligas, me iſthuc* Antonium Puccium *mittere ampla cum poteſtate: ut ſi qua paranda erunt; quæ per te, aut per eum, qui pro legato eſt, aut per* Decuriones *nequeant fieri; ea ipſe imperet edicto meo; uobisq; ſingulis auctoritatem meam communicet: quo celerius atq; facilius omnia conficiantur.* Quæ *cum ita conſtituta ſint; exiſtimare tamen debes multum me in tua fide & uirtute bellica iſtius oppidi defendendi opis atq; auxilij repoſuiſſe.* Prid. Id. Maias. Anno *quinto.* Roma.

Decurionibus Tudertinis. 19

Ex *meorum litteris & rumore nuncio admoneor,* Franciſcum Mariam *eiusq; fœderatos cogitare, quibus modis* Peruſinæ *ciuitatis mihi multis de cauſis merito chariſsimæ statū opprimere atq; peruertere poſsint. Id ne accidat; & meam, quam habeo militum manum ſatis magnam, &* Galliæ *atque*

Hiſpaniæ

Hiſpaniæ Regum ſociorum milites, qui mihi parent, feſtinare illuc iuſſi: ut illorum conatibus ſe opponerent, eosq; irritos & inanes facerent. Quod quidē pro ea, quam in Domino ſpem habeo, confido breui fore. Sed quoniam propter locorum uicinitatem, ueſtrorumq; ciuium fortitudinem maximo Peruſinis adiumento atq; præſidio eſſe municipium iſtud facile poteſt: magnopere uos hortor; ut quicquid parari atq; confici hoc tempore ad illorum uſum atque auxilium per uos poteſt; id omne diligenter atque celeriter adminiſtretis: exiſtimetisq; tam mihi gratum facere; quàm ſi pro mea ipſius defenſione, uel Romæ urbis propugnatione eum laborem ſuſcepiſſetis. Non ſane adeſt ſemper ullis hominibus opportunitas de Romanis Pontificibus bene merendi. Quare cum hoc ſit tempus ad eam rem aptiſſimum; ut melius atq; commodius nullum poſſit aliud reperiri: erit ueſtræ prudētiæ omnes ueſtras cogitationes adhibere, ut nūc quidem maxime mihi & reipub. uſui fuiſſe uideamini. Dat. Prid. Id. Maias. Anno quinto. Romæ.

Ioanni Paulo Balioni, Peruſiam. 20

QVOD ductu auſpicioq; tuo Peruſini ciues ſumptis armis in reip. hoſtes impetum fecerint; eósque fortiter & uiriliter pugnando magna cum illorum clade atq; pernicie reiecerint, fuderint, & proſperrimo euentu parta uictoria in oppidum ſe receperint:

perint: lætor: eaq́; de re cum tibi gratulor, qui tantam rem egeris; tum ciuitati iſti; quod & ſuum in nos officium fidemq́; præſtitit, & ſe ab audaciſſimis hoſtibus magno animo eſt tutata. Vtriq; autem gaudeo; propterea quod ueſtra in remp. merita iſto facinore confecto præclare amplificauiſtis. Itaque decretis ſupplicationibus DEO Opt. Max. *gratias egimus: qui uobis tātum animi tantumq́; uirium ſubminiſtrarit; quantum ſatis fuit; ut & eius & ueſtros & reip. hoſtes audaciæ ſuæ pœniteret. Quos quidem arbitror in uos nihil amplius molituros. Sed ſi refectis uiribus uos laceſſere non deſinent: aderunt iam iamq́; noſtri* Regumq́; *ſociorum milites: quibus mandauimus, ut ad uos defendendos maturarent. Quos ſi expectabunt; facile eos confido ſuorum conatuum pœnas daturos.* Mitto *etiam* Tudertum, *quibus tamen antea ſcripſeram,* Herculem Epiſcopum Vrbeuetanum *deſignatum propinquum tuū: qui eo in oppido alijsq́; locis iſtius prouinciæ, quæ paranda ſunt, comparet: ut ſi hoſtis illò flexerit, operam ſe luſiſſe cognoſcat.* Hæc *ipſe ut intelligeretis, has ad uos litteras dedi:* Vos, *ut ad me quotidie litteræ a uobis afferantur, quæ me ſingulis de rebus erudiant, curatote.* Dat. XVI. Cal. Iunias. *Anno quinto.* Roma.

Senenſibus.

Senenſibus. 21

S I *qui uobis urbiq́; iſti præclaræ negotium faceſſere conantur, hoſtes reipub. non eſſent; quorum Duci igni & aqua interdictum ſit: uobis eſſe uerendũ arbitrarer, né quam ab illis contumeliam acciperetis: nec animo pacato eſſem; dum iſta decernerentur.Nũc uero; cum & illi eiuſmodi ſint; ut quoquo ſe uertant, odia in ſe hominum exardeſcere uideant; & ego ad uos defendendos non minorem ſim curam adhibiturus, quàm ſi pro urbe Roma laborarem: bono animo debetis eſſe: exiſtimareq́;, cum ij Peruſiam fruſtra tentarint; ipſorum conatus in uos nihilo magis efficaces futuros. Nam præter quàm quod meæ uobis opes & facultates omnes atque copiæ ſuppeditabunt: mittam etiam ad uos defendendos eam manum, quam uterq; Rex mihi præſto eſſe uoluit ſuorum militum: quæ cum mea manu coniuncta eſt; & unà omnes pro rep. bellum gerunt. Hæc ad uos ilico ſcripſi; cum ad me eſſet allatum illos ad uos cogitare Peruſinis e finibus ſe conuertere. Quod ſi fecerint; noſtri milites eos ſubſequentur: ſic enim iam imperaui: neq; procedere permittent. Vobis tamen ſum auctor; ut ea cogitetis, paretis; quæ per uos fieri poterunt: ne ab illis imparati offendamini. Nam ſi primi eorum impetus ſuſtinebũtur; omnia erunt confecta: non enim poterunt conſiſtere. Singulis autem de rebus quid egeritis, quorum*

rum uobis opus ſit ; quæ fieri per nos uelitis ; ſcire cupio . Itaq; ueſtras litteras auide expecto. Dat. XV. Cal. Iunias. Anno quinto . Romæ .

Ludouico Tudertino . 22

GRATA mihi opera ſtudiumq́; tuum fuit ; quod in oppido iſto muniendo , ne ei noceri ab hoſtibus poſſet , ex Antonij Puccij litteris te adhibuiſſe cognoui : eoq; gratior mihi tua iſta ſane cura atque iocundior accidit ; quo difficiliori tempore uirtus enituit tua : cumq́; alij partim timore periculi , partim inertia ſua , nonnulli etiam perfidia uel e medio ſe ſubduxerint , uel cum hoſtibus ſe cõiunxerint: tu non modo in officio permanſiſti : ſed præclare etiam te geſsiſti; eaq́; magno & præſtanti animo curauiſti ; quamobrem reſp. iſtis in locis nullam inſignem contumeliam poſſet accipere . Quod ſi me bonum uirum, ſi gratum ſcis eſſe : debes exiſtimare officium te tuum bene atq; utiliter poſuiſſe. Quãquàm quidem, etſi ego nihil horum ſim; te tamen rectiſsime officio functum eſſe omnes homines dixerint : qui Romano Pont. qui DEI Eccleſiæ, qui Petro et Paulo CHRISTI ſociorum Principibus , quorum numine hoc Imperium regitur, nauaſſe operam es exiſtimandus . Sed hæc hactenus . Quod ſupereſt , te hortor ; ut tui ſimilis pergas eſſe . Quid te facere oporteat ; uel uirtus tua fidesq́; in nos & ſtudium te docebit : uel ab ipſo Antonio facile cognoſces . Dat. XV. Cal. Iunias. Anno quinto . Romæ .

Franciſco

Franciſco Regi Galliarum. 23

Cvm comperiſſemus Bendinum Saulum & Alphonſum Petrutium Cardinales, qui a me unice diligebantur, in uitam meam conſpirauiſſe; deq; nobis dolo malo occidendis cogitauiſſe, operamq; ſuam ad eam rem adhibuiſſe: hodie comprehendi eos iußimus, atque in arce, quam Hadriani molem uocant, in cuſtodia tandiu eſſe; dum legitimæ de eo probationes haberi conficiq; poſſent. Id uolui tibi notum eſſe; ut ſcires quã ob cauſam ſtatuerim eos eſſe cõprehendendos. Cui etiam probationes ipſas, cum primum erunt confectæ, deſcribendas mittendáſque curabo. Quemadmodum & ipſe cum Epiſcopo Dionyſiano Legato tuo loquutus ſum: & Ludouicus Epiſcopus Bellouacorum Legatus meus te docebit. Dat. quartodecimo Cal. Iun. Anno quinto. Roma.

Comiti Potentiæ Præfecto Hiſpanarum copiarũ. 24

Discessere Peruſia hoſtes noſtri: neque quo pergere, aut quid aggredi cogitent, ſciri etiam dum poteſt. Quoniam autem ſtatutũ mihi eſt, eos, quoquo tendant, perſequi: magnopere te hortor, eorum extremum agmen celeriter atque acriter inſequare: omneq; genus moleſtiæ per tuos equites, qui paratißimi ſunt, illis inferas: ne conſiſtere aut quieſcere ullis in locis poßint. Quod facies cum mea

cauſa,

cauſa, qui te magnopere amo & facio ſane plurimi; tum Regis *tui nomine : cuius uoluntas atque aucto=ritas, & me hercule etiam honor hoc in bello ma=xime uerſantur.* Reliqua *&* hinc *ab* Legatis Regijs, *& iſthic a* Bernardo Bibiena Cardinale Legato *co=gnoſces.* Vndecimo Cal. Iun. Anno *quinto.* Roma.

Siſſæ Præfecto *Gallorum militum.* 25

CVM Peruſino *ex agro noſtri hoſtes profecti ſint; neque quo, ſciri poßit: optimum eſſe duxi eos inſequi, ultimumq; agmen cõuellere; nihilq́; eis mo=leſtiæ, nihil detrimenti non adhibere.* Id *cum meam* Caroliq́; Regis *manum; tum te maxime uelim face=re: omnemq́; curam in eo ponere, ne uos effugiant.* Nam; *ut nũc quidem ſe res habet; eo accepto ab il=lis apud* Peruſiam *incommodo & plaga turpißimum nobis erit; ſi qui reliqui ſunt, integri in tuta ſe re=ceperint.* Itaq; *urge, atq; adnitere; ut quos* Peruſi=*ni parua manu fudere, uos legitimo exercitu delea=tis.* Hoc *eſſe uobis non difficilius ſane debet; quàm id illis fuit.* Quanquàm *in hoc ſunt omnia.* Nam *qui hoſtem fugat; is eſt laudi proximus: qui opprimit; omnem gloriam eſt aſſequutus.* Dat. XI. Cal. Iun. *Anno quinto.* Roma.

Petro Nauarro *Cantabro.* 26

EX Oddi *ciuis* Florentini *familiaris tui ſermo=ne cognoui id, quod mihi notum atq; perſpectum iampridem*

iampridem erat; ardere ſcilicet te deſiderio egregiam aliquam atq; inſignem operam in Chriſtianæ reip. utilitatem incrementumq́; nauandi: eaq́; propter agitare te animo, claſſe quàm poteris ualida comparata cõtra Pœnos Maurosq́; proficiſci. Equidem piam iſtam atq; perſanctam animi inductionem tui plurimis cum uirtutibus & præſtanti fortitudine, bellicisq́; artibus prope omnibus coniũctam probo efferoq́; magnis laudibus; facioq́;, uti debeo, ſane plurimi. Puto tamen propter Turcarum Regis claſſem; quam is paratam iam atq; inſtructam eduxiſſe dicitur; illud in commune fore utilius; ſi te claſſemq́; tuam eò compares: ut noſtram ei claſſem opponere, ſi opus erit, facilius & exploratius te adiuuante poßimus. Quam ad rem ſi cogitationes tuas conferes; quicquid per me curari efficiq́; poterit, ut uirtuti tuæ adiumenta ſubminiſtrentur; id tibi omne libentißime polliceor. Quemadmodum ab Oddo ipſo, qui cum ſum ijs de rebus diligenter loquutus, poteris cognoſcere. Dat. ſexto Cal. Iun. Anno quinto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 27

SVPERIORE anno ad te ſcripſeram cupere me pro tui Regni commodo, dares operam, atque efficeres auctoritate tua; ut ea controuerſia; quam Antonius Stuniga Didacusq́; Toletanus Ducis Albæ filius de Caſtellæ Prioratu ordinis Hieroſolimitanorum

rum plures iam annos animis infenſiſſimis exercuerant, aliquando tandem componeretur. Quod *quidem propter utriusq; gentis atque familiæ ſplẽdorem* Regno *iſti admodum ſalutare præuidebam futurum.* Idem *etſi nunc quoque etiam atque etiam cupio propter eam, quam dixi cauſam; quæ quanti abs te facienda ſit, ipſe optime intelligis:* Tamẽ *quoniam accidere facile poterit propter cõtrouerſiæ difficultatem, quæ quidem magna eſt, ut res ad exitum perduci nõ poßit: litteras* Romanorum *iudicum, quibus poſſeßio eius* Prioratus Antonio *iubetur dari, his ipſis cum litteris ad te mitto; cum ne cuiuſpiam iura, quæ optima ſunt, ſupprimantur: tum ut ipſe melius intelligas eius cauſæ ſtatũ: demum etiam, ut harum litterarum auctoritate illos perducere ad concordiam poßis.* Quod *ſi fiet; & te prudenter feciſſe exiſtimabo: & mihi erit uehementer gratum.* Dat. Prid. Cal. Iun. Anno *quinto.* Roma.

Proſpero Columnæ Cauio. 28

E T *ſi æquius profecto erat me ad te nihil omnino iterum eadem de re ſcribere: ſed cum uiderem meas priores apud te litteras parum ualuiſſe; nihiloq; minus a tuis militibus agros* Latinorum *uaſtari, prædas abduci, cædes fieri; quàm ante quã ſcripſiſſem fiebat: debebam meorum populorum inco-*

Digitized by Google

lumitati per me ipſe conſulere; utcunq; tibi ea res damno atq; dedecori eſſet futura: tamen quoniam meum in te amorem et beneuolētiam exuere uſquequaq; non potui, quemadmodum quidem tu omnem tuam in me obſeruantiam uidere funditus abiecisse: mallemq; ut tu tibi præciperes, contineresq; te quidem primum, deinde tuos milites; quàm mihi eſſet aut in te aut in illos animaduerſione utēdum: hanc tibi epiſtolam conſcripſi; ut te admonerem: ſi quid ea res proficere & iuuare poſſet. Itaq; *mando tibi atq; impero; cures, efficias, ne quid iſthinc eiuſmodi poſthac ad nos perferatur; quod cum te turpe ſit facere; tum ſit ipſum indignum tuæ familiæ celebritate ac nomine: quæ quidem et prudens, & grauis, & temperata ſemper eſt habita.* Id *ſi feceris; profecto conſulueris cum famæ, ſi modo aliquid eſſe bonum nomen et rectam hominum æſtimationem putas; tum etiam ſaluti tuæ: quæ ſi tibi curæ non erit; mihi eam non fuiſſe minus mirabere. Quanquàm & fuit illa certe adhuc quidem mihi curæ plus aliquanto, quàm tibi; qui quæ meritus es, in te ſtatuere diſtuli; cum tu male mereri ualde feſtines: & quoad tu uoles in eadem erga te uoluntate permanebo. Si non feceris: te nullam mei, nullam reip. habere rationem uoluiſſe* DEOS *atq; homines teſtatus, equidem animo non libente, ſed tamen ſtatuam in te, quæ erunt ſtatuenda.* Dat. *quinto* Id. Iun. Anno *quinto*. Roma.

Siſſæ

Siſſæ Præfecto Gallorum militum. 29

QVAE *adbuc quidem egiſti, ut contra hoſtes reipub. maximo nobis uſui eſſe poſſes; ea mihi omnia ualde probantur.* Nunc *autem quoniam rumor eſt, & quidem ſatis certus, eos in* Metaurenſium *fines reuerti; ut exercitum eum, cui* Legatus *meus præeſt, opprimant; te hortor, ut collectis noſtris copijs omnibus, quæ iſthic ſunt, eos inſequare; extremosq́; qua poteris laceſſendo moram & impedimentum illis afferas: ut cum aggredi* Legatum *copiasq́; eius uolent; te a tergo habeant; a quo ſibi timendum putent.* Id *erit mihi uehemẽter gratum.* Reliqua *quæ agenda erunt, cum id egeris, de* Legato *intelliges, uel etiam per te ipſe cognoſces.* Prid. Cal. Iun. *Anno quinto.* Roma.

Vitellio Tifernati. 30

QVOD *mihi reiq́; pub. in defendendo oppido* Peruſia *fidem ſtudium operamq́; tuam præſtitiſti; ualde te laudo: idq́; mihi plane gratiſsimum accidit. Sed eius rei memoriam illud in tempus retinebimus; quo tibi amor in te meus uſui & dignitati eſſe poßit.* Nunc *quoniam perfertur ad me hoſtem in* Metaurenſes *ſe referre; Siſſæ* Præfecto Regio *ſcripſi, ut unà cum mea manu omni eum ſub-*

HHH 2 *ſequeretur,*

ſequeretur, extremisq; inſiſteret: ut cum aggredi Legatum uolent, ſi modo uolent; illum a tergo ſciăt eſſe; a quo ſibi ſit cauendum. Quamobrem tibi mando; ut quàm primum quamq; celeriter cum illo te coniungas: conſiliumq; hoc meum ſtudio diligentiaq; tua, quantum poteris, iuues. Poteris autem, quæ tua uirtus eſt, ſane plurimum. Dat. Prid. Cal. Iul. Anno quinto. Romæ.

Heluetijs. 31

CVM omni uos tempore cognouerim non ſolum animi robore ac fortitudine, ſed etiam religione præditos huius reip. maxime omnium obſeruantes amantesq; fuiſſe: ſcirem autem non latere uos quot & quàm graues impreſſiones audaciſſimi homines, quibus a ſacris interdictum ſit, in nos atque proxime in remp. fecerint: qui urbes noſtras obſidere, capere, uaſtare agros, rapinis, cædibus polluere atq; fœdare omnia non deſtiterunt: eáque de cauſa coactum impēſas maximas me feciſſe: exiſtimaui minime uobis mirum uideri; ſi pēſiones eæ, quæ a me debebantur, nondum uobis eſſent perſolutæ. Illud etiam mihi ſæpius in mentem uenit pro ueſtra pietate atq; beneuolentia, magnam uos moleſtiam, magnum laborem accepiſſe, cum cognouiſſetis quàm hoſtiliter ijdem illi paratiſſimi homines CHRISTI rem peterent, diriperent, ferro atque igni

igni depopularentur: quàm mihi ſuccẽſuiſſe, ſi tardior in præſtanda uobis mea fide fuerim. Quæ cum ita ſe habeant; ſimq́; adhuc quidem ipſe in eiſdem difficultatibus, eodemq́; iacter atq; impellar mari: curabo tamen; nec curabo ſolum, ſed etiam efficiam, ut cito, quicquid uobis debeo, dependatur. Neq; tamen interea petere a uobis non audebo; quæ petenda ſunt; uel quia ipſe uobis omnia tribuo; uel quia uos Romanis *quidem* Pont. *nunquàm defuiſtis; uel quod malo ueſtræ nationi me debere, quàm ullis omnino hominum omnium.* Petenda *autem ſunt hæc; primum quidem, ut octies mille ueſtrorum peditum delectum ex ijs, qui fortiſsimi paratiſsimiq́; ſunt, ad nos defendendos haberi iubeatis: deinde ut quanto celerius fieri poteſt, ij ſe in uiam dent, magniſq́; itineribus ad noſtros exercitus ſe cõferant.* Quemadmodum *ab* Ennio Epiſcopo Verulano *&* Iacobo Gambaro *Legatis meis opus eſſe intelligetis: qui uos omnibus de rebus docebunt; ſtipendiaq́; ad eos milites ſubminiſtrabunt.* Reliquum *eſt; ut quam uirtutem quamq́; diligentiam alijs tempeſtatibus in reip. rebus oſtendiſtis; eaſdem nunc, aut eo etiam maiores, hac in cura ſanandæ reip. adhibeatis; quo & huius morbi uis acrior, quàm aliorũ; & ipſa diuturnitate ægritudinis debilior eſt nunc quidem quàm unquàm antea fuerit: addo etiam quo cæteræ medicinæ minus eam ſubleuauerunt. Itaq; uos flagitat: uos expectat: in uo-*

bis unis ſpem ſalutis omnem contulit atq; repoſuit ſuæ: quæ ne deſtituatur; erit ueſtræ probitatis ueſtræq; fidei. Cal. Iunijs. Anno quinto. Romæ.

Egidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro in Ciminios. 32

MIHI *uero & quod ordinem familiámque tuam tãtopere commendas, eſt gratum: lætor enim cum uideo tibi eos, quibus præes, eſſe chariſſimos: & illud ipſum, de quo me admones, ualde probatur.* Itaque *faciam; quod te uelle intelligo.* Nam *id mihi ſatis eſt ſcire me ſcilicet uelle te a me aliquid impetrare, qui omnino nihil potes iam aut uelle ipſe, quod pulchrum & honeſtum non ſit; aut ab altero petere, quod non ſit petendum. Sed de eo etiam loquemur inter nos, cum unà erimus.* Eri*mus autẽ ante quã dies poſtulati tui ueniat.* Quod *autem cupis non inuideri tibi illos tuos exoptatiſſimos dies latebraſq; iſtas: equidem illud præſtabo, ut te non interpellem: ut tibi non inuideam, facere non poſſum, tantis præſertim caloribus urbanis: qui iam incubuerunt.* An *tu, cum hoc æſtu in ſyluam illam denſam atque horridam te abdideris; in qua frigus opaciſſimum uel meridianis horis ſentias, putas fieri poſſe, ut tibi non inuideatur?* Ego *autem ſubinuideo cum multa; tum illud, quod ais, tua te ad ſtudia tuaſq; litterulas auidiſſime reuer-*

tentem

tentem mirabiliter iuuari iſta loci atque ſyluæ taciturnitate & ſolitudine: in qua nihil, quod nolis, uideas; nihil tuis auribus obſtrepet, præter auicularum cantus; qui te etiam magnopere delectent. Quod cùm ita ſit; effice, ut extet fructus otij tui: ſcribe aliquid te dignum; quod profecto facis: remq́; pub. quam me hercule tot annos ſermone quidem plurimum concionibusq́; iuuiſti tuis; etiam ſcriptis iuua: ſociosq́; tuos, quibus domum iſtam cum phano tua impenſa exædificaſti; quam ſylua maxima circumfuſa undique quaſi tuetur, ne adiri temere poßit; ſic tuis præceptis inſtitue: ut quemadmodum tu optime omnium feciſti; ſic illi ſua ſtudia in communem utilitatem aliquando conferant. Quod tamen iam multi multis in locis faciunt; quos audio etiam Egidianos *uocari: de quo tibi gratulor. Sed hæc hactenus.* Tu *uelim; quod commodo tuo fiat; dum iſthic eris, ſcribas ad me quàm ſæpißime.* Nam *cum me omnes tuæ litteræ magnopere ſemper delectent; omnino ijs Ciminienſibus ita detineor, nihil ut mihi uideatur fieri poſſe delectabilius.* Itaque *admirabilis tua illa ſuauitas orationis incredibilisq́; facũdia ad me iſthinc etiam amabilior proficiſcitur: ut loco ipſo augeri uideatur.* Dat. Nonis *Iunijs. Anno quinto.* Roma.

Epiſcopo Curienſi Heluetio. 33

Deliberatvm *nobis eſt certum peditum numerum ab* Heluetijs *ſocijs noſtris accerſitum cũ noſtra manu coniungere: quo facilius reip. hoſtes audacter nimium intemperatéque in eius ditionem debacchantes repellere propulſareq́; poßimus.* Ea *de re & illis proxime ſcripſimus; & nunc* Gaſpa=*rem Silinum peditum* Heluetiorum *cohortis noſtræ* Præfectum & Ioannem Dioſpachium *eiuſdem na=tionis homines ad eos mittimus; qui negotium pro=curent.* Verùm *quoniam ſatis mihi cognitum eſt, qua ſis ipſe apud tuos homines omnemq́; iſtam for=tißimam præſtantißimamq́; nationem auctoritate & gratia, quantumq́; me omni tempore obſerua=ueris, colueris: te hortor, ut petitionem meam rémq́ue hanc totam cura opera diligentiaq́; tua iuues; efficiasq́;, ut celeritas in primis & delectu haben=do & militibus mittendis adhibeatur: quemadmo=dum de Silino &* Dioſpachio *cognoſces: quibus mandaui, ut tibi ſalutem dicerent meis uerbis.* Dat. Nonis Iunijs. *Anno quinto.* Romæ.

Sebaſtiano Ferrerio Regio *Quæſtori* Galliæ *Ciſalpinæ.* 34

Qvod *tam officioſe tamq́; amanter omnes tuas opes, fortunas, omne ſtudium, operam, dili=*

gentiamq́;

gentiamq; tuam mihi & reip. polliceris ijs in litteris, quas nuper ad Epiſcopum Hipporeginum filium tuum dediſti: non ſolum ualde te amo: nam id quidem perdiu eſt, cum tibi a me tribuitur, ut ſummo te amore beneuolentia neceßitudine proſequar: ſed etiam tibi gratias ago, eas quidem, quas debeo; magnas ſcilicet. Sentio enim planeq; uideo, quo in me animo ſis; quantamq; tibi mei labores moleſtiam ægritudinemq; afferant. Sed hæc breui ſpero ſanabuntur: eiuſmodiq; curis & difficultatibus liber; quibus nunc ualde me hercule conficior; & uſui & uoluptati eſſe tibi atq; tuis facile potero: ut tibi gratias nõ ſolum agam, ſed plane etiam referam: quemadmodum quidem cupio. Interea uero ut aliqua ex parte utar etiam tuis officijs tuaq; diligentia; quoniam ab Heluetijs petij, ut ad me certam manum ſuorum militum mitterent, quibus hoc in bello audaciſsimorum hoſtium uti poßim; tu uelim rem hanc modis omnibus apud illos iuues, cum ut recte, tum etiam atq; etiam ut celerrime conficiatur. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Octauo Id. Iun. Anno quinto. Roma.

Egidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro. 35

CVM mihi Cornelius Benignus tuus; quem ego ualde diligo: ſcio enim & te ab illo mirabiliter amari,

ter amari, & illum abs te: etſi iure id quidem: eſt enim optimis & perelegantibus & moribus & litteris: eius etiam ſermo & grauis & prudens & plane Romanus *me mirifice delectat. Sed cum is mihi dixiſſet uelle ſe ad te proficiſci; peterétque ſi quid uellem: hanc epiſtolam conſcripſi non tam quidem ocioſus; nam id perraro accidit; quàm cupidus legendi tuas litteras, eásque præſertim, quæ iſthinc ueniunt. Olere enim mihi propemodum uidentur ſyluam illam tuam & eſculorum umbram qua ſcribens tegeris, & amœnitatem loci. His autem litteris pro meo in te amore hoc intelliges, cogitare me* Senatum *cogere, ut illum ordinem augeam, aſciſcamq́; eo in collegio aliquot, qui mihi ualde probantur; aliquot etiam, quos reip. neceſſitas poſtulat. Puto autem te cognoſcere cuiuſmodi ea neceßitas ſit. De eo uelim cogites; reſcribasq́; mihi; quid ſentias.* Nondum *enim ſtatui quo die. Quod cum erit, faciam te de eo meis litteris certiorem. Tertiodecimo Cal. Quintil. Anno quinto.* Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 36

CERTIOR *factus ſum iuberi te per* Regias *litteras; ut cum ijs copijs omnibus, quas iſthic habes; te ad* Regni *terminos, qui ad* Picenum *ſunt, conferas: ut mihi eſſe uſui atque præſidio poßis.* Id

cum

cum ita ſit; peto abs te; diligentiam omnem adhibeas tuam; ut quanto citius fieri poteſt, te itineri atque uiæ des: ut mihi & reip. ſuorum hoſtium audacia atque perfidia laboranti præſto in tempore ſis. Ageremus *tecum pluribus: niſi & ipſe per te cognoſceres, quantum momenti poſitum in celeritate ſit rerum bellicarum: & perſpecta nobis plurimis maximiſq; in rebus eſſet tua in nos obſeruantia:* De *quibus cũ bene ſæpe antea merueris; certe hac in re recte atque celeriter confecta propter periculorum, quæ impendere uidentur, timorem, omnia prope merebere.* Tertiodecimo Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Nicolao Scombergio Auguſtiniano. 37

DVDVM *eſt, cum nobiſcum agitur, ut affinitatem cum* Bißiniani Principe *optimæ ſpei adoleſcente nobis eſſe ineundam ſtatuamus; &* Magdalenæ *ſororis meæ filiam ei deſpondeamus.* Ego *uero cum intellexiſſem a* Principis *patre aliquot ante annis, dum is puer eſſet, neſcio quid de ducenda* Raimundi Cardonæ *uxoris ſorore, cum adoleuiſſet, nam ea quoque infans erat, actum tractatumq; fuiſſe: ei rei adhibere aures nolui: ne* Proregis *bene de me meriti animus offenderetur.* Nũc *autem, quoniam renunciatum nobis eſt,* Principem *omnino adduci non poſſe, ut uelit eam uxorem ducere;*

ducere; Regemq; Carolum intellecta ea re, remiſiſſe ipſi, ut in eo liber ſuiq; iuris eſſet: inclinare etiam Principis animum ad ſororis meæ filiam: mando tibi; ut Regi narres hæc, quæ dixi, omnia. Quæ ſi uera, quod ad ipſum attinet, ſunt: eum hortabere non ſolum ut uelit, ſed etiam Principi ad ſe in præſentia uenienti oſtendat ſibi placere, ut propinquitas eiuſmodi inter nos atque illum conſtituatur: idq; ſe ratum & probatum habiturum. Duodecimo Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Egidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro. 38

SCIPSERAM ad te proximis litteris cogitare me Senatum uocare Cardinalium creandorum cauſa: neque tamen ſtatutum mihi eſſe quo die: ſed cum ſtatuiſſem, tibi ſignificaturum. Eas ad litteras tantummodo mihi reſcripſiſti, probare te conſilium meum. Scire enim nihil me, niſi quod è rep. ſit, eſſe facturum. Ego uero ſcripſeram, ut elicerem abs te, cuperéſne ipſe in Cardinalium collegium cooptari. Id quoniam reticuiſti uel pudore tuo atque modeſtia, qua ſemper magnopere abũdas; uel quod eius rei nulla te cupiditas teneat: utrumlibet lætor; uel pudentem eſſe te, uel ambitione carere, præſertim earum rerum; quarum adipiſcendarum deſiderio plæriq; ita ducuntur, ut

etiam

etiam inſaninnt. Itaq; confirmaſti etiam tu quidem mihi tuo ſilectio conſilium meum. Perdiu enim eſt; cum te legere in Cardinalium ordinem cogito, cum ut tuorum laborum magna cum reip. utilitate triginta totos annos ſuſceptorum, hāc tibi quaſi mercedem perſoluam, quam poſſum maximam atque ampliſſimam: tum ut te reſp. ſic utatur, ut ex te fructus uberrimos capere poſſit. Puto autem reip. maiori & uſui & honori fore dignitatem tuam, uàm tibi ipſi. Maior enim at q; illuſtrior iam eſt uirtus tua; quàm quæ magiſtratu illo egeat. Ordo uero ipſe talibus uiris, ut tu es, egere mihi quidem magnopere uidetur. Quare plus tu ordini, quàm tibi ordo, ornamenti afferes. Efficiam igitur id nunc; quod dudum, ut dixi, meditor: teq; cum reliquis, qui a me creandi ſunt, Cardinalem nominabo. Id erit Cal. Quintilibus. Quem ad diem mando tibi Romæ ut ſis: ut te ſtatim uidere atque amplecti poſſim. Dat. octauo Cal. Quintilis. Anno quinto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 39

ET amor uetus erga te Senatumq; iſtum grauiſſimum & ſapientiſſimum meus plurimis ueſtris atque maximis & antiquis & recentibus auctus et confirmatus officijs, & urbis tuæ claritas amplitudoq; reip. me impulere; ut; quod tibi & uſui &

dignitati

dignitati fore magnopere intelligebam; quódque te uehementer cupere Marcus Minius Legatus tuus ſæpe mihi ſignificauerat; id tibi hoc tempore tribuerem: ut aliquem ex tuis ciuibus in Cardinalium collegium cooptarem. Itaq; hodie de fratrum meorum B. B. *Cardinalium conſilio Franciſcum Piſanum ciuem tuum Cardinalẽ creaui cum ipſum optimis moribus, ſingulari pietate adoleſcentem; tum Aloiſii Piſani filium magni & clari uiri: ut cum duos eius ordinis ciues tuos haberes; quorum alter ſenex iam eſſet, & præter hoc fractis & exiguis aduerſa ualetudine corporis uiribus uteretur; alter plena ætate uirum ageret: iſte adoleſcens illis ipſis quaſi ſubmiſſus atq; ſublectus magis etiam ueſtros animos confirmaret; non defore multorum annorum ſpatio ex tua ciuitate, qui eum magiſtratum gereret. Quod eo libentius feci; quod uolebam omnes homines intelligere te a me fieri plurimi. Reliquum eſt; ut & ego & tu* DEVM *Opt. Max. precemur; ut declarationem hanc ſuſceptam a me tua cauſa, & tibi & mihi & reipub. fortunet.*
Dat. Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Ioanni Iacobo Triultio. 4°

CVM *animo repeteremus, quanta cura, quãtoq; ſtudio nobiſcum ſæpe egeris, ut Auguſtinum Triultium propinquum tuum in Cardinalium ordinem*

dinem legere atque adſciſcere uellemus: cum tuis precibus impulſi, tum ipſius allecti uirtutibus, religione, optimis præſtantiſsimisq́; moribus, demum etiam ueſtræ familiæ cum noſtra familia conſuetudine officiorumq́; prope omnium coniunctione ſuadente hodie de fratrum meorum E. R. *Cardinalium conſenſu* Auguſtinum Triultium Cardinalem *nominaui; atq; in ampliſsimum eius ordinis collegiũ cooptaui. Spem autem in* Domino *habebamus, fore; is ut honor; qui quidem longe maximus ex ijs, qui a* Romano *Põtifice atq; ab hac repub. dari poſſunt, ſummoq́; proximus eſt; & ipſi & ueſtræ familiæ, &* DEI *Eccleſiæ, nobisq́; omnibus & uſui & uoluptati eſſet futurus. Cuius rei afferre tibi ego quoq; nuncium uolui ut non ſolum de neceſſarij tui ad eum dignitatis gradum prouecti incremento & amplitudine; ſed etiam de mea in te gentémque tuam optima cupidiſsimaq́; uoluntate, quam tamen perſpicere potuiſti, meis etiam litteris fieres certior.* Vndecimo Cal. Quintil. Anno *quinto.* Roma.

Prolegato *Peruſiæ.* 41

RECTE *abs te factum eſt, quod me de* Ioannis Tadei Balionis *hæreditate, quid fieri uellem, conſuluiſti; quidq́; ipſe ea in re egeris, mihi tuis litteris ſignificauiſti. Quibus litteris ita tibi reſpondeo:*

ſpondeo: primum quidem laudare me curam diligentiamq; tuam, qua uſus es, ne inter patrem & filium lis ulla & diſceptatio exiſteret; præſertim in tuorum edictorum cõtumeliam: deinde uelle me, ut omnium primum atque potiſsimum ex interfecti hæreditate nomina, ſi qua ſunt, diſſoluantur. Quibus diſſolutis, quæ ſupererunt; ſiue numi, ſiue Prædia, *ſiue quid aliud ſint; ea* Horatio Balioni *omnia, eorumq; poſſeſsionem dari atque tradi uolo: nam ei dono dedimus.* Hæc *uero ipſa, quæ tibi mando ſingula,* Ioanni Paulo Balioni *declarabis meis uerbis: hominemq; hortaberis, ne donationi ei meæ ulla ex parte auerſum ſe atq; difficilem præbeat, in filij præſertim ſui utilitatem rebus cedentibus.* De*que eo, quid egeris, facies me tuis litteris certiorem.* Tertio Non. Quintil. Anno qui 10. Roma.

Heluetijs. 42

PENSIONVM *neſtrarum numos, quarum dies præterierunt ad diem ſextum* Nonarum Quintilium *ad uos miſi, non tam quidem commode pro meis maximis impenſis & præſenti reipub. ſtatu, quàm libenter.* Meus *enim in uos animus is eſt nũc, etſi premor teneorq; rerum omnium difficultatibus; qui erat antea, quique ſemper eſt futurus.* Quod *cum ita ſe habeat; illud mihi magis mirum accidit, de quo proxime certior factus ſum; adhi-*

beri a quibuſdam ueſtrorum ciuium difficultates, & moras in eo delectu habẽdo militibúsq; cogendis ad nósque mittendis; quos petieram, quique iam per meos homines permiſſu ueſtro contrahebantur: præſertim cum huius opportunitas omnis atque utilitas ueſtri auxilij ita poſita in celeritate ſit; ut ſi hæc una deſiderabitur; & labor meus fruſtra ſuſceptus, & impenſa omnis incaſſum facta eſſe profecto uideatur. Quod ne accidat; non iam minus curare uos oportet; qui ſemel iuuandæ reip. curam atque prouinciam ſuſcepiſtis; ne probitati fideique ueſtræ nota hæc atque calumnia tribuatur: quam me a uobis petere; ut cuius reip. libertatem tutati adhuc quidem ſemper fuiſtis, cuiusq; libertatis defenſores & habemini & uocamini; eidem nunc inimicorum ſuorum audacia laboranti, uósque ſibi, ut ſolita eſt, aduocanti, opem ueſtram eſſe præſtandam ſtatuatis. Quod rectiſſime fiet; ſi celeriter eam ueſtrã manum ad nos proficiſci mandaueritis. Id ut curetis, morasq; omnes & impedimenta reijciatis, etiam atq; etiam a uobis peto. Nonis Quintil. Anno quinto. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 43

EA, quæ Siciliæ Prorex cum Hiſpanorum militum Præfectis, qui cum Franciſco Maria ſunt, tractauerit, egerit; de Legatis Regijs intelliges. Nunc

peto abs te & quidem uehementer; ut quanto celerius fieri poteſt, cum ea, quam habes manu, Piceno appropinques: ut & auctoritate tua, quæ magna eſt, iuuare negotium; & quæ inchoata modo ab illo ſunt, perficere tua uirtute poßis. Quod ipſum nõ mihi ſolum reiq́; pub. ſed tuo Regi etiam, cuius auctoritas dignitas honor hac in re unà cum noſtro uerſatur; eſſe gratißimum debebit. Quemadmodum ipſis ab Legatis tibi perſcribetur: quorum ad litteras te reijcio. Prid. Id. Quintil. Anno quinto. Roma.

Heluetijs. 44

ET ſi non dubitabamus uos ijs litteris, quas Nonis dedimus, quantum mihi celeritate ueſtra opus eſſet, admonitos, quæ poſtulabamus de mittendis ad nos ueſtris militibus, iam curauiſſe: noſtrum tamen erga uos paternum amantißimumq́; animum repetentibus uiſum nobis eſt has etiam ad uos eſſe litteras dandas: quibus uos diligẽtius commonefaceremus; ut cum antea uel in leuißimis huius reip. cauſis nunquàm ei opem ueſtram atque ſubſidia recuſauiſſetis; uelletis nunc grauißimis eius in difficultatibus durißimoq́; tempore non deeſſe: præſertim cum ueſter honor ueſtræq́; fidei exiſtimatio in eo maxime agi uerſariq́; uideatur. Nam ſi Franciſco Mariæ contra nos remq́; pub. arma

capienti

capienti ueſtri aliquot milites adhæſerunt; illóque omnia medijs in reip. uiſceribus miſcente atq; turbante eos ueſtros milites non reuocauiſtis: nunc autem nobis milites ueſtros poſtulantibus, ut nos remq; pub. tueri atque defendere poßimus, nihil omnino conceditis, neque ueſtris uti poſſe militibus permittitis: hæc cum intellecta erunt, cum audientur; quid de uobis homines exiſtimaturi ſint, per uos ipſi facile perſpicere poteſtis. Quod ſi non recordamini eſſe uos illos ipſos; qui huius reip. dignitatis propugnatores & haberi & dici uoluiſtis: eos tamen eſſe uos obliuioni ne mandetis; qui puſilli quidem primo atque infantes baptiſmatis conſperſi unda Chriſtianos fore uos admurmurauiſtis: quique deinde pueri CHRISTVM DEVM Dominumq; noſtrum conſalutauiſtis: poſteaq; ſemper CHRISTI Eccleſiam, moremq; noſtrum ſacrorum, & Romanos Pontifices, remq; p. hanc eandem, quæ nunc premitur, tot magnorum hominum præclaris rebus geſtis ſanguineq; ſanctam atq; coalitam coluiſtis: uerendum uobis ut ſit; ne, ſi reip. ipſi tantopere nũc quidem laboranti opémque ueſtrã flagitãti nõ ſuccurritis, ſuccurritis dico? immo etiã ſi ei ſuccurrere cupiẽtibus impedimento eſtis, ne facere id poßint: non minus ipſi, quàm qui bellũ contra nos gerunt, in eam admiſiſſe uideamini. Itaque ueſtra illa tam præclara nomina tum Chriſtianorum, tum reip. defenſorum contempſiſ-

ſe etiam & abieciſſe redarguamini. Quare ſi ueſtra uobis dignitas, ſi gloria, ſi tituli magnis ueſtris parti laboribus, ſi exiſtimatio fortitudinis & fidei; quarum duarum uirtutum quæ nam in uobis maior atq; ſpectatior adhuc quidem fuerit, nō eſt facile dicere; ſi religio, ſi cætera, quæ hominibus honeſtatem pariunt, uobis chara & iocunda ſunt, defendite hoc tēpore hoc Imperiū, quod ſemper eſtis tutati; permittite ueſtris militibus, ut ſe ad nos conferre poßint; quod nunquàm antea prohibuiſtis: occaſionemq́; hāc bene gerendæ reip. ne prætermittite; quæ quidem breuißima eſt, ut ſæpe ad uos ſcripſi. Sed nō committam, ut dum plura, quàm neceſſe eſt, ea de re in hanc epiſtolam conijcio; minus cōfidere uidear ueſtræ uel fidei uel pietati, quā oportet. Itaque finem faciam ſcribendi. Vnum dicam; quod tamen ſæpe iam dixi: ſed dicam etiam atque etiam: neq; enim nimium dici poteſt id, quod magnopere intereſt fieri: Celeritate opus eſt: atq; ita opus eſt; ut in una ea plane ſint omnia? Quam urgebitis: & ualebitis. Septimo Id. Quintil. Anno quinto. Roma.

Præfecto militum Hiſpanorum. 45

Ex tuis litteris cognoui, quo in me animo eſſes, quantáq; uolūtate tenereris operam ſtudiúmque tuum magna aliqua in re mihi nauandi: quam

quidem libentiſsime accipio. Itaque mandaui Roberto Boſcheto *ut te ea de re conueniret; conſiliúmque meum, quod illi notum feceram tibi exponeret, te uero magnopere hortor: ut quod is abs te meis uerbis petet, id celeriter explices. Tibi autem polliceor fidemq́; meam his obſtringo litteris; quicquid is tibi recipiet ſe curaturum, ſi rem confeceris; id nos omne ratum & probatum habituros. Sed etiam præter id ſperare te omnia uolumus; quæcunque tibi & uſui & honori futura ſint, de me facile impetraturum.* Idib. *Quintilibus. Anno quinto.* Romæ.

Alphonſo Duci Ferrarieñſium. 46

BELTRAMVS Epiſcopus Adriæ *Legatus tuus mihi dixit cupere te; ut* Heluetij, *qui accepto reip. ſtipendio traiecturi ſunt in* Vmbriam & Picenum *per ditionem tuam, non uno agmine iter faciant; ſed pluribus, atq; ijs eiuſmodi, nullum ut agmen plus ter mille pedites habeat: cum ut loca tua minus conterantur, poßintq́; facilius non maximum numerum alere: tum ut ipſi etiam commodius excipiantur. Quod cum mihi æquiſsimum ſit uiſum; ſcripſi ilico ijs, quos* Heluetijs *duces itinerum dedi; ut in plures diſcreti partes iter facerent, neque omnes tuos fines ingrederentur eodem die: ne uel una continensq́; multitudo eodem*

loco; uel eodem tempore pluribus in locis excipiẽda moleſtiam & ſumptum tuis hominibus grauiorem exhiberet; quàm tu uelles; quàmq; oportet. Itaque curarent; ut tibi oneri quàm minimum eſſent. In quo cum tibi ego ſatisfecerim; æquum erit animaduerti abs te; ut quæ militibus in uia dari ſolent, illis in tempore parentur. Tum & illud: ut cum ſeparatim ituri ſint, tuto per tuam ditionem iter faciant. Idibus Quintil. Anno quinto. Romæ.

Franciſco Piſano Veneto Cardinali. 47

CVM te ad remp. gerendam ampliſsimo in loco atque ordine animo libentiſsimo admiſerimus; magnopere te conuenit earum rerum, quibus in rebus dignitas libertasq; reip. uerſatur, curam nobiſcum procurationemq; ſuſcipere. Quare cum in fructibus monaſterij Arbẽſis ratione Salinarũ prouenientibus, qui quidem Petro Bembo familiari ab Epiſtolis meo & ciui tuo ſatis iniuſte retinentur, ipſius iura optima reiq; pub. dignitas offendantur: Antonio Marcello Franciſcinorum ſocietatis & familiæ Magiſtro iſthuc reuertenti mandaui; ut tibi mentem meam ea in re, quidq; te uellem facere, oſtenderet. Hortor Itaque te; ut hac in cauſa, in qua quidem te ad partem curarum publicarum nũc primum aduoco, cum æquitati & iuſtitiæ, tum mihi

mihi & reip. ſatisfacias: patremq́; tuum uirum egregium, & reliquos quos oportebit, adhibeas, rogesq́; efficiant; ut quod uolumus, uel potius quod ipſa æquitas poſtulat, aliquando tandem conſequamur. Erit *id quidem nobis abs te cum per ſe ipſum, tum quod eſſe illud quaſi uirtutis tuæ ſpecimen experimentúmque putabimus, plane gratiſſimum.* Duodecimo Cal. Sextiles. Anno *quinto.* Roma.

Familiæ Rodulphorum, Florentiam. 48

QVAS *mihi* Iulianus Rodulphus *gratias egit ueſtris uerbis, quod in ueſtram familiam* Cardinalatum *intuliſſem,* Nicolaum Rodulphum *ſororis meæ filium in* Cardinalium *collegium aſciſcendo: eæ mihi gratæ atque iocundæ fuerunt: ueſtrumq́; id officium atque ea animorum declaratio; quam tamen multo antea perſpectam habebamus: magna enim & præclara documenta ueſtri erga nos amoris & pietatis ſummæq́; obſeruantiæ ſæpe dediſtis: iocundiorem mihi eam ipſam meam nominationem atq; iudicium fecit.* Quemadmodum *ab ipſo* Iuliano *intelligetis: qui cum ſum prolixius his de rebus loquutus.* Vndecimo Cal. Sextilis. Anno *quinto.* Roma.

Bernardo Bibienæ Cardinali. 49

CVM Gaſpar Silinus Heluetiorum Cohortis Prætoriæ Præfectus in perducendis ad nos Heluetijs peditibus & fide & diligentia egregie nobis ſatisfecerit: petatq; a nobis per litteras; ut quo ardentius ij milites officio fungantur ſuo, mandemus, ut eis ſtipendium tam in tempore Quæſtores noſtri dent, ut diem laxam uelle facere non uideantur: tum etiam quia ſecum aliquot milites habet & uirtute & militari diſciplina magnopere præſtantes; operam adhibeamus, ijs ut ipſe paulo uberius ſtipẽdium dare poßit eo ſtipendio, quod uulgo atq; paßim meretur: denique quoniam multi præter delectos non mali quidem milites ſponte ad ſe confluxerunt putatq; ipſe ex reip. uel uſu uel dignitate non poſſe ſe illos pedites miſſos facere; iubeamus eis etiam a Quæſtoribus ſubminiſtrari: Hæc cum is a me contendat expetatq; omnia; mãdo tibi; ut omnibus ijs de rebus poſtulatisq; Siliniani is id conſtituas; quod tibi ex uſu & ex dignitate noſtra uideatur eſſe. Sexto Id. Sextilis. Anno quinto. Romæ.

Ioanni Franciſco Pico Mirandulæ domino. 50

TVRPEM ſane rem téque patre ac ueſtra familia indignam feciſſe filium tuum, litteræ mihi

uenerunt:

uenerunt: qui armatorum hominum manu in uillam, quæ in Carpenſi *agro eſt* Eccleſiæ Bononienſis, *cui quidem* Eccleſiæ Achilles Cardinalis Tranſtyberinus *præeſt, impetu facto, magnum frumenti numerum perfractis horreis aſportauit nulla boni & æqui, nulla Cardinalis magni & clari uiri, nulla reipub. ratione habita, legum, iudiciorum, nulla mei; quem uereri quidem certe pro meo in te amore prope ſingulari ſaltem debuerat. Ea de re filijq́; tui latrocinio & ſcelere cum apud me Cardinalis grauiter queſtus eſſet: dixi ei me tecum acturum, ut ipſi ablatum quod erat, reſtitueres. Cæterum ignoſceret puero nõ nimium pudẽti propter patrem ſumma uirtute præſtantiq́; religione hominem. Quod quidem nunc facio: teq́; non hortor ſolum, ſed tibi etiam mando, cures, ut Cardinali integrum ſine mora ſineq́; tergiuerſatione, uel reſtituatur, uel dependatur. Quod ſi facere neglexeris; ſcire te uolo, cum me Cardinali bene de me deq́; rep. merito non defuturum: tum reip. dignitatis libertatiſq́;, quibus modis potero, rationem habiturum eiſq́; ſatisfacturum. Sexto Cal. Septemb. Anno quinto. Romæ.*

PETRI BEMBI
EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. *nomine ſcriptarum,*

LIBER SEXTVSDECIMVS.

Carolo Hiſpaniæ Regi. a

GRATISSIMVS *mihi nuncius is fuit; qui te* Morinorum *e litoribus in* Hiſpaniam *tranſmittentem idonea tempeſtate ſoluiſſe me certiorem fecit.* Confido *enim te iam traieciſſe: atq; in tua illa* Regna*, quæ te diu uidere concupiuerunt, ſaluum ſoſpitemq́; perueniſſe.* Quibus *a* Regnis *multa tibi,multa reip.* Chriſtianæ *utilia ſpero fore.* Itaque *ea de nauigatione tua, ſi modo recte confecta eſt, ualde lætor: quemadmodum de legatis meis cognoſces: qui tibi meis uerbis plurimam ſalutem dicent.* Ii *tibi etiam ſignificabunt me bellum id, quod* Franciſcus Maria *mihi reiq́; pub. intulerat, ſedauiſſe.* Quod *eo libentius feci; ut ſumẽdo in* Turcas *bello dare operam aliquando mihi liceat.* Quam *ad rem te hortor, cogitationes omnes conuertas tuas: ut communi conſilio & cura agere iuuareq́; remp. poßimus.* Non. Nouemb. *Anno quinto.* Roma.

Franciſco

Franciſco Piſano Cardinali. 2

AB exemplo litterarum, quas ad Leonardum Lauredanum Ducem Venetiarum dederam; quibus quidem illi reiq; iſti pub. Hieronymum Lazaram Patauinum exulem maiorem in modum commendabam; quo ſtudio tenear, ut ei a Senatu iſto ignoſcatur, facile intelliges. Qua in re quoniam perſpecta mihi eſt tua patrisque tui clari uiri apud iſtam remp. auctoritas; uelim ut tu atque ille ita eum tuendum fouendumq; mea cauſa ſuſcipiatis; ut exiſtimetis gratiſsimum mihi fore; ſi is ueſtra ope adiutus iſtius urbis Senatusq; grauiſsimi clementiam ſe non fruſtra imploraſſe me commendante cognoſcet. Tertio Id. Nouēb. Anno v. Roma.

Senatui Mediolanenſi. 3

VESTRAS ad litteras; quibus Parmæ Magiſtratus, quod cum armatis hominibus in Brixellenſem agrum incurſionem fecerit, factum excuſatis; ita uobis reſpondeo: non debuiſſe illum, propterea quod Brixellēſes eius poſtulationibus ſatisfacere noluerint, ferro eos aggredi; uelleq; ius de noſtris hominibus ſibi ipſum ui atq; iniuria conſtituere. Apud me queri de eorum intemperantia debebat; atque a me petere, ut ſtare eos meis de ea

ſalis

ſalis quæſtione, qua de agebatur, litteris iuſſionibusq́; compellerem. Itaq; cum ſuarum in Brixellenſes iniuriarum, tum Brixellenſium in Parmenſes; ſi quæ tamen fuere illorum iniuriæ; turbarúmque omniũ unus ipſe auctor atque caput fuit. Quare eius criminis uniuerſi culpa remitti quidem illi facile poteſt: excuſari eluiq́; non poteſt. Quod ad ſalis tamen quæſtionem attinet: mando Mutinæ Regijq́; Magiſtratui; curet; ut Brixellenſes intra eam conſuetudinem, qua ſub Ateſtinis Ducibus utebantur, nunc etiam ſe contineant: iubeatq́; illos; uel cogat etiam, ſi opus erit; ut earum mearum litterarum, quas allegatis, ſcripto audientes ſint: neque mihi ea de re permittat negotium & moleſtiam adhiberi. Octauo Id. Decembris. Anno quinto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 4

QVOD mea cõſilij tui comprobatio & collaudatio de partitione Epiſcopatus Toletani grata tibi magnopere fuerit: ſane lætor. Equidem in eo mihi uiſus ſum merito tuo te laudauiſſe: cum ea, quæ ipſe tuis Hiſpaniæ Regnis conducere ad quietem & otium perſpiciebam; te cognoſcerem diligenter conſyderauiſſe; atq; a nobis ut ita ſtatuere uellemus, per Legatos tuos perq́; litteras petijſſe. Non enim quæ tuarum rerum & populorum uſum dignitatemq́;

dignitatemq; continent; ea nobis minus curæ ſunt propter meum in te amorem; quàm quæ ad me ipſum pertinent. Itaque primo Senatus die rem ex tua ſententia libentiſsime conficiam. Quod autem ad eas tuas litteras attinet; quibus ſcribis magnam tibi admirationem eas meas litteras attuliſſe, quas ad Epiſcopum Cæſarauguſtanum dederam: ſi cauſas eius rei omnes ſeriemq; cognouiſſes; quas illi dixeram, cui eas litteras dedi, mandauiq; ut te de ijs certiorem faceret: nihil te profectò commouiſſes. Accidit autem perincommode; quod is, qui litteras à me cum mandatis acceperat, ante quàm ſe ad te conferret, mortem obiens officio fungi non potuit. Itaque ea, quæ te ſcire magnopere uolebam, ad te non ſunt perlata: quæ tu ſi intellexiſſes; meam illam ueterem in te beneuolentiam illis ipſis in rebus, quæ tibi moleſtiam attulerunt, facile agnouiſſes. Quanquàm quidem utcunque te reliqua omnia latuerint: ea una conditio, quæ erat in meis litteris; ut te libente fierent, quæ mandabam; ſin autem tu nolles, non fierent; ſatis te certum facere debuit; nos, niſi quod tu probares, nihil ſtatuere uoluiſſe. Itaque minus neceſſe erat te à me petere; ne poſthac aliquid, quamobrem ulla animi mei erga te alienatio facta uideri poſſet, cuipiam concederem: cum illud ipſum, quod te nunc mouet, conſtantis meæ in te beneuolentiæ perpetuæq; uoluntatis magnum tibi & luculentum indi-

cium

cium præbeat: ſi recte ſit conſyderatum. Neceſſe autem fortaſſe erit propter id ipſum, me abs te petere; ne ipſe cuipiam de noſtro in te animo non recte interpretanti aures præbeas. Nam ſi de me nihil, niſi ex tua uoluntate ſanciente non optime iudicas: quid porro fiet; cum aliquid tantummodo ex huius Reip.dignitate ſtatuemus? Peto igitur abs te mi fili; né quid ipſe de mea in te uoluntate, niſi ex tuo in me animo iudices; néue alijs temere iudicantibus fidem habeas, tandiu ſaltem; dum id uerum ſit, nec ne, ſcire poſſis: ſcies autem ilico; ſi a me petendum exiſtimabis: Nihil enim te celabimus. Tum illud perfice; ut mentem & cogitationem tuam ad ea, quæ præſenti conſilio magnopere indigent, in propulſandis Chriſtianæ reip. periculis nobiſcum intendas: téque ad bellum in Turcas communi conſilio ſuſcipiendum para. De nobis quidem certe omnia, quæ a patre amantiſſimo ſunt expectanda, tibi ipſe poteris omni tempore rectiſſime polliceri. Dat. Non. Cal. Ian. MDXVII. Anno quinto. Romæ.

Epiſcopo Ouetenſi. 5

ALTERIS meis ad te litteris ſcripſi; quo in loco Franciſcum Peualoſam cantorem meum haberem; quámque eo noſtris in ſacris & cerimoniarum celebritate familiariter ac prope quotidie uterer.

uterer. Itaque non erimus nunc quidem ea in re tibi oſtendenda longiores. Verum cum is magnopere cupiat, ut Archidiaconatus Chermonæus, quem obtines in Eccleſia Hiſpalenſi, ſibi mãdes ut confeeratur: tibiq; ipſe reponere fructus Archidiaconatus uelit alijs in ſacerdotijs, quæ tantidem æſtimẽtur: petántque idem abs te alij perſamiliares tui: uelim des ei te facilem ea in re hortatu meo, hominiq; plane induſtrio & mihi grato commodes. Omnino cur ipſe tantopere id cupiat, non uideo. Sed ſi ei ſatisfeceris; erit mihi ualde gratum. Septimo Cal. Ian. Anno quinto. Roma.

Odoni Lutrechæ. 6

QVOD pro meo in te amore, tuáq; in me beneuolentia & pietate próque noſtris utriusque rebus atque cauſis antea factum oportuit; ut haberem apud te aliquem probum uirum; qui mea et reip. negotia procuraret: id nunc tandem ut fieret, curaui. Mitto igitur ad te Aloiſium Alemãnum ciuem Florentinum & integritate & uirtute præditum iuuenem: qui apud te ſit meo & reip. nomine. Prid. Cal. Ian. MDXVII. Anno quinto. Roma.

Ludouico

Digitized by Google

Ludouico Regi Pannoniæ. 7

Legi tuas litteras: quarum in extremo erat, te Franciſcum Marſupinum mihi legauiſſe: quod quidem ego libentiſſime cognoui. Nam & cupiebã eſſe aliquem apud me interpretem tuum: qui cum agere ſingulis horis poſſem cum alia ſane permulta; tum ea certe atque in primis, quæ ad bellum Byzantium pertinerent: & Marſupinus ipſe; qui mecum prope quadriennium in rerum Pannonicarum procuratione familiariter eſt uerſatus; & fidem mihi ſuam, & diligentiam; addo etiam & prudentiam & probitatem magnopere probauit. Cui quidem; ut iam ipſo uti eo nomine inciperem; quædam ſenatuſconſulta communicaui; quibus habendis Regum Legati interfuerunt; in communis belli uſum agitata: quorum ille ſeriem ſe ad te perſcripturum recepit. Quæ tu ſic accipies; ut ſi quid ipſe uel addere uel demere eis uoles, ſcribas ad nos quàm celeriter animi tui ſenſum atque ſententiam. Sin tibi omnia probabuntur; des operam; ut quæ curare te iis in rebus oportebit, ita curentur; ut te appareat, quanto ipſe hoſti propinquus magis expoſitúsque es aliis Regibus; tanto etiam uegetiorem et paratiorem ad tua obeunda munera partémque belli proſiluiſſe. Priori tuarum litterarum paginæ reliquisq; partibus nihil attinet me reſcribere: nam

re: nam ijs ad ſuperiores meas ad te litteras reſpondiſti. Vale igitur mi Rex: téque ad remp. obeundam magno & inuicto animo para. Septimo Id. Ian. M D X V I I. Anno quinto. Romæ.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis. 8

SCRIBIMVS Franciſco priori Barenſi, & Michaëli Gelindo canonico Tiraſonenſi: mandamusq́; ijs; ut in ius Romam uocent Romanorum Iudicum uerbis Aloiſium Carraſſam equitem ſocietatis Hieroſolimitanorum Ioannis Franciſci Rogerij item eius ſocietatis equitis nomine: quemadmodum ex iudicum ſcripto, quod eſt in meis litteris, oportere fieri latius intelligent. Qui quidem Rogerius cum in meis familiaribus eo loco ſit, ut a latere curáque mea nunquàm diſcedat; ualde cupio, ne ab aduerſario eludatur cauillatione litis aliqua & effugio iudicij: quibus ille rebus multum uidetur confidere. Quapropter peto abs te; ut Frãciſco & Michaëli des ex tuis aliquem, cuius auctoritas contemni non poßit: qui una cum ijs tandiu ſit; dum illum ſiſti iubeant, quoquo loco ſit. Id erit mihi abs te etiam atque etiam gratum. Quinto Id. Ian. M D X V I I I. Anno quinto. Romæ.

Epiſcopo Burgenſi. 9

NON unis ex tuis & Curtadi litteris optimum tuum in nos animum & uoluntatem cognoui: quæque tu fraterque tuus mihi pollicebamini in communem belli gerendi utilitatem; ea omnia libentiſsime percepi. Quibus de rebus utrunque ueſtrum ſatis collaudare uix mihi uideor poſſe: uel potius plane non poſſum. Quid enim uel opportunius ad ea, quæ impendent Chriſtianæ reip. pericula ſuſtinenda; uel eſſe per ſe laudabilius poteſt: quam ueſtri ſimiles exiſtere: qui non ſolum aut uelint reip. cauſa omnia, aut nihil recuſent, quod ex uſu belli ſit; ſed etiam opes ſuas omnes, operam, ſtudium, diligentiam, laborem, uitam ipſam in commune proferant; ſpontéque mihi tam liberaliter tamque amanter polliceantur? Quare ut dixi, uobis laudandis ſatis mihi eſſe nulla oratio poteſt. Sed tamen & pie quidem, maximéque ex rei Chriſtianæ dignitate facere te atque illum ſtatuo; qui iam nunc paratos eſſe uos ad mandata reip. capeſſenda profiteamini: & ipſe cum erit tempus, uirtutem ueſtram magni, ut debeo, æſtimans, quid facto opus ſit, reddam uos meis litteris certiores. Prid. Id. Ianuarias. M D X V I I I. Anno quinto. Romæ.

Franciſco

Franciſco Gallorum Regi. 10

QVOD meorum cogitationes amorem erga te ſuum ueterémque neceſsitudinem nodo etiam firmiore uinciendi libentiſsime cognoueris; ualde lætor. Nihil eſt enim quod magis cupiam; quàm cum te ipſe tantum diligam, quantum tu intelligere potuiſti, me perſpicere meos etiam omnes tecum eſſe quàm coniunctiſsimos. Itaque Laurentij Medicis fratris mei filij nuptiarum cauſam læto te animo & lubenti ſuſcepiſſe; & ipſi iam gratulor; & tibi gratias ago. Non enim dubito; quin, quod tu ſemel curandum ſumpſeris, recte id atque celeriter conficiatur. Quare nihil tibi quidem nunc eo nomine ſeparatim mando; nihil præcipio. Totam tibi rem túæque tum fidei, tum liberalitati permitto & trado. Agas tu, cogites, ſtatuas, ut lubet: & ſtatues quidem puto ex noſtra dignitate. Illud te rogo: ut quàm nobis ipſis animorum noſtrorum conglutinationem & uſui & uoluptati putamus fore; eam perinde nobis eſſe ſuſcipiendam ſtatuamus; ut quo ipſi coniunctiores erimus inter nos, eo plus opis atq; præſidij in communem Chriſtianæ reip. utilitatem utrique ſimus allaturi. Decimoſexto Cal. Februarias. Anno quinto. Romæ.

Ioanni Albaniæ populorum Duci. 11

LEGI tuas litteras ad Petrum Cardinalem Anconitanum datas: quæ mihi uoluptatem attulerunt. Cognoui enim ex ijs id, quod antea ſermone multorum afferebatur; te ſcilicet & prudentem uirum eſſe, & temperantem, & pietate ac religione præditum, atque huius in primis reip. magnopere obſeruantem, quas quidem te uirtutes habere; quo maior es, & quo pluribus imperas; eo lætor equidem uehementius. Erunt enim cum illuſtriores ipſæ per ſe; tum etiam fructuoſiores: neque ſolum re, ſed exemplo etiam iuuabunt: cum te ultimis in terris poſitum, & gentibus horridiuſculis præpoſitum abundare tamen maximis pluriſque uirtutibus noſtri delicatiores Reges intelligent. Quare uelim ſcias & amari te a me, & magni etiam fieri: tum me cupere ductum iſtum tuum & Regnum bene tibi atque fœliciter euenire. Quod autem ad poſtulationes tuas attinet; quas mihi quidem ſtudioſe ac diligenter idem Cardinalis commendauit: uolo te exiſtimare, quantum reip. rationes patientur, tibi me omnia libenti propensóque animo conceſſurum; & uel tuæ dignitatis uel gentium & populorum tuorum otio & tranquillitati amantiſſime conſulturum: quos tibi populos túæque fidei atque iuſtitiæ magnopere commendo

re commendo. Decimoquinto Cal. Febr. Anno quinto. Romæ.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 22

ADRIANVM *Epiſcopum Dertuſenſem in Cardinalium collegium libenter cooptauimus cum propter ipſius ſingularem ſacrarum litterarum doctrinam, probatiſsimósque mores & uirtutum plurimarum præſtantiam; tum ut tibi morem gereremus rémque omnium gratiſsimam faceremus: cum probum uirum, & doctum ac prudentem hominem, Magiſtrum etiam & præceptorem tuum in ampliſsimum huius reip. dignitatis gradum adſciſceremus. Qua quidem de re magis magisque in dies lætor. Spero enim fore; ut ea hominis dignitas & tibi & mihi & reip. uſui & uoluptati ſit futura. Sed cum ego iam quæ meæ erant partes in ornando illo eas amantiſsime impleuerim: tuum erit deinceps dare operam; ut homo optime de te meritus, magnus nunc uir, & in Magiſtratu eminenti poſitus, fortunarum ſuarum tenuitati, uel potius; ut iam id, quod eſt, dicatur; paupertati; quæ tot annos eius uitæ ſocia nec bella nec placabilis fuit; poſsit nuncium remittere: atque aliquando tandem, perinde ut illa dignitas poſtulat, quàm tueri debet; laxe ac liberaliter uiuere. Qua in re ſic tibi illum commendo, quaſi res mea, non ipſius*

agatur. Nam quas tu in eum commoditates liberalitatésque contuleris; de ijs ego tibi me ſpondeo libentiſſime debiturum. Sed uelim id; quemadmodum te quidem facere tantum Regem támque fortunatum decet; & celeriter & liberaliſſime facias. Octauo Cal. Febr. Anno quinto. Romæ.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 13

IOANNEM Iordanum Vrſinum uirum & rectum & alti animi, & in ſua gente atq; familia facile principem, & propinquum meum, amaui, uti debui, plurimum; eiúsque cauſa uolui ſemper omnia. Is ægrotus cum eſſet; liberos aliquot, quos habebat, ſibi hæredes inſtituit: pauloq́; poſt uita functus eſt. Quos ego omnes perinde mihi tuendos & fouendos ſuſcepi; non ut propinquos & neceſſarios meos, ſed potius ut filios mihi eſſe illos exiſtimarem. Itaque cum ij neſcio quid oppidulorum in tuo Neapolitano Regno habeant: peto a te; ut eos mea cauſa recipias in fidem et clientelam tuam: putésque, quicquid ij abs te ſuis in rebus utilitatis ornamentiq; conſequētur; id te mihi omne tribuiſſe, in méque contuliſſe. Tantundem enim uel eo etiam amplius tibi me debere profitebor. Quarto Id. Martias. Anno quinto. Romæ.

Latino

Latino Iuuenali meo apud Venetos Internũcio. 14

SCRIPSI ſuperioribus menſibus ad Leonardum Lauredanum; uellet Hieronymo Lazaræ ciui Patauino eas fortunas reſtituere, quæ ablatæ illi proximo bello ab iſta rep. fuerunt; atque ipſum ab exilio reuocare, patriæq́; reddere rogatu meo. Eam reſtitutionem quoniam differri audio; mando tibi, ut omnem tuam curam operam diligentiam adhibeas in Hieronymo meis uerbis iterum Duci reiq́; iſti pub. commendando: nihilq́; prætermittas; quod prodeſſe illi tum ad eas fortunas, tum uero etiam ad gratiam iſtius ciuitatis recuperãdam poſſit: affirmésque Senatum iſtum in eo mihi rem apprime magnoperéque gratam eſſe facturum. XV. Cal. April. MDXVIII. Anno quinto. Roma.

Magiſtratui Bononiæ. 15

LEONARDVS Lauredanus Venetiarum Princeps petijt a me; ut ſibi emere ex agro iſto atq; educere per ſuos procuratores liceret lini Spartici ſeminis ad rudentes faciendos idonei modios ducentos. Mando igitur tibi; ut ei ea in re commodes; procuratoribusq́; eius facultatem des emẽdi educendiq́; id ſeminis, quod poſtulat, nullo por-

torio, nullo uectigali. Quod tamen publicani, ſi uolent, mihi ſolutum in rationibus ponunto. Quinto. Id. Martias. Anno quinto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi. 16

MIROR cur te difficilem præbeas in poſſeſſione monaſterij Leonardini, quod in tuo Neapolitano Regno eſt, Egidio Cardinali tradenda; cui monaſterium contulimus: cum latere te nō debeat, Sacerdotia omnia, quorum Præfecti apud Romanos Pont. mortem obierint, eoſdem Pontifices ſine ulla Regum aut Principum recuſatione, quibus uoluerint, ſemper dediſſe; ſemper illa ſui iuris habuiſſe. Quanquam quidem ipſius Egidij ea dignitas atque nomen eſt; ut ſi Sacerdotium illud tuo non dicam in Regno, ſed in patria uel etiam in domo ipſa ædibúsque tuis eſſet; pœnitere te minime debuerit, hominem omnium prope bonarum artium & diſciplinarum doctrina præditum, optime de re Chriſtiana per triginta annos meritum, magna ipſum auctoritate, ſingulari dignitate uirum ei ſacerdotio eſſe præpoſitum: propter quod is te familiaritate atque neceßitudine quàm maxime contingeret, Quare uel reip. cui tu plurimum debes; uel Cardinalis cauſa, cui omnes homines debent; uel omnino mea, cuius auctoritas hac in re magnopere uerſatur; peto abs te; mandes, ut ſtatim Cardinalis

nalis procuratores in monaſterij poſſeßionem admittantur: ne te ipſe minus in me rectum & iuſtũ eſſe intelligam; quàm priores Romani Pontifices *maiores tuos in ſeſe largos atque beneficos habuerint: præſertim cum tu me nulla in re adhuc quidẽ non tui amantißimum tibiq; indulgentißimum, in téque liberalißimum ſis expertus.* Idib. Mart. MDXVIII. *Anno quinto.* Roma.

Gabrieli Veneto *ordinis* Auguſtinianorum Eremitarum *Promagiſtro.* 17.

POSTEAQVAM *proxima æſtate* Viterbienſem Egidium *ex* Auguſtinianorum Eremitarum *ſocietate, cuius ipſe* Magiſter *aliquot annos fuit, in fratrum meorum* S. R. Cardinalium *ordinem & collegium aſſciuimus: ea nos in primis hos ipſos totos menſes cogitatio tenuit; ecquemnam dignum haberemus, quem in* Egidij *locum eius ſocietatis* Promagiſtrum *ſublegeremus; quoad præſtitutum lege tempus ferẽdorum ſuffragiorum ueniret: quo tempore ordo ipſe omnis atque ſocietas eum de more legere & creare* Magiſtratum *rite poſſet.* Nã *& ipſa ſocietas maxima atque amplißima; quæ quidem in prouincias duodetriginta diſcreta domos mille tercentum nonaginta tres, & præclara* Collegia *permulta habet; ſuo hercle iure poſcere a nobis publice magnam curam uidebatur deligendi ex*

tanto

tanto grauiſsimorum & doctiſs. hominum cœtu atque numero eius unius, qui ei ſocietati recte atque utiliter præficeretur: & amor certe meus atq; beneuolentia, qua ſemper eum ordinem colui, meáque uetus cum illo neceſsitudo quædam atque coniunctio me priuatim ſubmonebat; ut nihil prætermitterem eo in homine perquirendo uel diligentiæ uel laboris; dum id, quod uolebam maximeq́; cupiebam, efficerem; ut qui & probior ſanctiorq́; cæteris, & prudentior et plane doctior eſſet; eum ſublegerem & Magiſtri loco eſſe iuberem. Is cum tu unus præter cæteros & ipſius Egidij *prædicatione & multorum prudentium uirorum teſtimonio lõgis habitis diſputationibus eo dignus munere uideare:* Promagiſtrum *te ſocietatis* Auguſtinianorum *uſq; ad ſuffragiorum tempus in* Egidij *locum ſublego: immunitatésque omnes, antelationes, dignitates, penſiones omnes, ſtipendia commoda* Magiſtrorum *reliquorum ad te deferri uolo. Qua in re cum facile uideas, ipſe quanti te fecerim: erit tuæ prudentiæ dare operam; ut quam de te apud omnes homines expectationem hoc meo tam illuſtri iudicio excitaui; eam tu iuſtitia continentia diligentiáque tua non ſolum tueare, ſed etiam augeas.* Et *quoniam ex multorum ſermonibus admoneor id, quod mihi pergratum fuit intellexiſſe; eſt enim probitatis, innocentiæ, optimi pacatique animi, & ſedatæ atque compoſitæ mentis*

tæ mentis indicium; tui te ordinis & ſocietatis Magiſtratus, *dignitates, munera non modo nunquàm appetiuiſſe; ſed etiam poſt actam ſemel multa cum tua laude & dignitate eius* Collegij, *quod* Venetijs *eſt, tua ſcilicet in patria* Præfecturam *publice tibi non petenti delatam omnes reliquas* Præfecturas *obſtinate reieciſſe, omnibus muneribus renunciauiſſe: uixiſſe autem tuis in optimarum artium & ſacrarum litterarum ſtudijs innocenter atq; tranquille cognitioni magis quàm actionibus deditum: itaque facile factu eſſe hunc ipſum etiam honoris & dignitatis gradum, qui ueſtrorum omnium eſt ſummus, abs te reiectum iri: ſcire te plane uolo, nullam me tibi huius muneris reijciendi facultatem permiſſurum.* Itaque *excita te; expergiſcere: quámque tibi ſponte defero, tuæ ſocietatis late quidem patentis, atque in omnes mundi ſeſe plagas extendentis tuendæ regendæque curam atque prouinciam; ad eam te & ineundam læto atque alacri, & obeundam forti ac præſtanti animo para.* Dat. Decimo. Cal. *Februarias.* MDXVIII. *Anno quinto.* Roma.

Gabrieli Veneto *ordinis* Auguſtinianorum Eremi*tarum* Promagiſtro. 18

LITTERAE *tuæ & grauiter & prudenter ſcriptæ; quibus mihi de munere tibi ſponte*

a me

a me delato gratias maximas agens excuſas te, afferſq; cauſas; quamobrem adire Magiſtratum *non poßis; petiſque in eo dari a me ueniam uel naturæ tuæ otio magis & quieti, quàm negotio & laboribus aſſuetæ; uel ingenio perpuſillo pérque tenui tuo, qui magna omnia & grandia reformidas: uel infirmæ ualetudini qua uteris: ut tibi uere ſcribam, quod ſentio, magna me uoluptate affecerunt.* Nam *& te non efferri ulla regendi alios cupiditate, quod omnes plærique homines faciunt; ualde lætor: & uires tuas ſedate atque compoſite perpendentem eas te imbecillas putare; ſi non eſt perfectæ uirtutis; eſt certe cum magnæ probitatis, tum uero etiam non mediocris prudentiæ:* Quas *in te facultates eſſe tametſi intelligebam ſermonibus & prædicatione omnium: tamen tuis etiam ex litteris eas me præclare agnouiſſe uehementer gaudeo.* Nam *quod ſcribis infirmo te corpore eſſe, tum incommoda ualetúdine creberrime uexari: de eo, cum animo uſquequaque ualeas, minus laboro. ſpero enim* Dominum *uires tibi atque neruos ſubminiſtraturum: quibus maxime ſuum, quod modo tibi iugum impoſuit dante eo & alligante me; ferre fortiter atque utiliter poßis.* Itaque *tua iſta tam diligens excuſatio illud perfecit; ut te multo etiam plus amarem plurisque facerem, quàm antea: ut tibi ueniam darem, non eſt conſequuta.* Quin *etiam, credas mihi uelim, confirmauit illa*

quidem

quidem certe auxitque meam ea in re uoluntatem atque ſententiam: ſtimulúmque addidit: ut quoniam per hæc tempora nemo eſt auditus, de ueſtris hominibus loquor, qui hoc imperium ſpreuerit; plurimi, qui ardenter appetiuerint; magis magisque cuperem tuo te ordini ſocietatique præeſſe. Neque enim uereor; ne uel qui parui totam rem feceris, auaritia; uel qui te ipſe non reſpexeris, amore aut odio aliorum ducare in dandis honoribus magiſtratibúsque deferendis: uel iniuſte quid facias in iuriſdictione atque animaduerſionibus: qui nihil facere poſtules, nihil appetas, nihil cupias. Etenim qui recte ſibi ipſe moderatur atq; imperat; hic iam non in alios æquißimus iuſtißimusq; eſſe prope non poteſt: huic credenda imperia ſunt: hunc præeſſe cæteris maxime omnium conuenit. Quare mando tibi ea lege, quæ de ſpreto imperio eſt; ut Magiſtratum ſtatim ineas: ne quid tibi poſthac de uenia ſperandum putes. Atque ut iam tibi aliquid præcipiam; in quo multo maxima atq; amplißima tui muneris pars iam nunc exerceatur: uolo te eam curam ſuſcipere; ut Martinum Luterium tuæ ſocietatis ſacerdotem; quem ſcire te existimo in Germania nouas res moliri, noua dogmata noſtris populis tradere, quibus utantur; ab incepto, ſi potes, reuoces auctoritate ea, quam tibi Præfectura dat, cum ſcriptis ad eum litteris, tum per doctos & probos internuncios; quos te

illic

illic habiturum multos puto: qui placare hominem conentur. Id *ſi celeriter feceris; non erit puto difficile modo natam flammam extinguere.* Parua *enim omnia atque ſurgentia paulum magnos uehementéſque impetus non ſuſtinent.* Sin *differes, & malum uires ſumpſerit; uereor, ne cum uelimus adhibere incendio remedia, non poßimus.* Gliſcit *enim indies labes; fortiórque fit atque robuſtior: nihil ut magis eſſe nobis timendum uideatur, quàm mora.* Sed *ſingula tibi me mandare hac in re non neceſſe eſſe arbitror.* Tua *te uirtus, tua religio, tua pietas, tua ſingularis doctrina, quid te facere oporteat, facile admonuerint.* Totum *hoc mando; ut omnem tuam mentem, cogitationem, ſtudium, operam; omnem denique cum diligentiam, tum laborem adhibeas tuum; ut, quod uolumus, conſequamur.* Id *iure abs te poſtulatur, uel quia imperium in illum iam habes; uel quia ipſe cæteris & prudentior es & doctior; uel quoniam reip. maxime intereſt, cuius tu* Magiſtratum *geris; uel etiam propterea, quia ego id in primis fieri cupio: qui quidem tam te amo, & tibi tantum tribuo; ut nihil plane ſit, quod mihi non uel priuatim debeas.* Dat. Tertio Non. Febr. MDXVIII. Anno *quinto.* Roma.

Franciſco

Franciſco Gallorum Regi 19

ET litteræ tuæ Pridie Cal. Februarias datæ; quibus ad me ſcripſiſti id, quod tamen antea intellexeram, DEVM Optimum Maximum prolem tibi maſculam conceßiſſe; & Antonij Coxæ ea de re ad me mißi ſermo periocundus lætitiam uoluptatémque mirificam meam ſuperioribus perceptã diebus conduplicauerunt. Egi igitur Domino iterum atque ſæpius gratias: qui tui populorúmque tuorum iſtiúsque Regni maximi atque amplißimi rationem habuerit; hæredémque illis ex te natum dederit. Quod etſi exiſtimo alijs etiam de cauſis, quæ fortaſſe nos lateant, ita illum ſtatuiſſe: puto tamẽ ei magnopere patrem te fieri propterea placuiſſe; ut liberiori animo & ſolutiori ad rem ſuam pub. & tuendam & amplificandam, & bellum ſuis hoſtibus inferendum dare te totum poſſes. Quod ut facias iam te ipſe libentius atque ardentius cohortabor. Sed quoniam ad te hac ipſa de re proxime litteras dederam; Antonium quidem ipſum libentißime uidi: eiq; ad te reuertenti mandaui; ut tecum et cum Claudia Regina uxore tua eo de partu atque puero amabiliter gratularetur meis uerbis. Cui quidem puero & quia ex uobis genitus eſt, & quod ei tantum Regnorum eſt iam propoſitum ad imperandum; et hos ipſos decem dies bene precatus

catus ſum; & precari poſthac non deſinam. Valete parentes optimi atque maximi cum ueſtro bene ſuſcepto filiolo, ueſtra ſpe, ueſtris amoribus. Dat. Decimoquarto Cal. Mart. MDXVIII. Anno quinto. Roma.

Regij Lepidi Magiſtratui. 20

IVLIA Strotia uirgo pudore amabili moribusq; lectiſsimis Herculis Strotij magni & clari uiri filia, patre mortuo in Philibertæ Sabaudiæ fratris mei uxoris familiaritate eius uiro uiuente probe ac diligenter fuit. Eamq; ob rem & illam tueor; & bene ei euenire admodum cupio. Quam cum Barbara Taurella eius mater in iſta ciuitate dare nuptui cogitet; quod tu ab eius Internuncio latius intelliges; uolo ut ei faueas ea in re: auctoritateq; mea omnem tuam operam apud Albertum Gazolum ciuem Regienſem interponas; ut mater in filia eius nato deſpondenda id, quod optat, conſequatur. Erit id mihi ab ipſo Alberto plane gratiſsimum: quod quidem ſum ei omnibus eius in rebus non libenter ſolum, ſed etiam liberaliter oſtenſurus. Dat. quinto Id. Septemb. MDXVIII. Anno ſexto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi. 21

De Paulo Victorio reip. claßis Præfecto, quẽ Pyratæ Pœni captiuum fecerant, ex Aphrica redeunte cognoui, quàm amanter, quamq́; eum liberaliter Petrus Michaël iſtius reip. longarum nauium ad ea loca cõparatarum item Præfectus magno pretio redemerit: quamq́; nonnulli alij ciues tui, quos unà cum ipſo ad me uenientes libenter uidi, eam ad rem conficiendam ſtudioſe ac diligenter ſuam operam adhibuerint. Quæ ſane omnia cum ab illo primum, deinde etiam ab reliquis omnibus grata mihi & iocunda ceciderunt: quippe, qui longinquis in regionibus poſiti mercaturamq́; exercẽtes in alieno homine recuperando tantum pecuniæ tamq́; celeriter erogarint: tum uero eo etiam iocundiora fuerunt: quod quæ ab homine ueſtro publice miſſo in meos profecta ſunt; ea mihi quidem ab uniuerſa certe rep. in me ipſum collata prope uidentur. Itaque quo te urbemq́; iſtam præclaram magis diligo; eo gratius mihi accidit, a ueſtris hominibus in alieno orbe mei atque huius reip. habitam fuiſſe rationem. Quare has ad te litteras dedi, non ſolum ut tibi id ſignificarem, nihil mihi accidere gratius ea liberatione potuiſſe: ſed etiam illud, ciuitatem iſtam in eo de me bene meritam fuiſſe: idq́; me omni tempore libentißime et confeßione teſtaturum

ne teſtaturum & officijs repoſiturum. Dat. Septimo Cal. Ian. MDXIX. Anno Septimo. Romæ.

Gabrieli Veneto ordinis Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro. 22

EXPECTABAM ſuffragiorum tuorum euentum: dies enim præterierat: cum ecce tuas litteras: in quibus multa iocunda; aliud alio lætius. Primum Egidium Cardinalem e legatione Hiſpanienſi reuertentem Venetias appuliſſe: cui obuiam ab uniuerſo Senatu ſit itum ſtrato atque tranquillo mari: ipſum exceptum publice ædibus apparatiſſimis. Sed id non miror. Nam & iſta urbs in claros uiros perhoſpitalis; & is ab ea magno in honore ſemper eſt habitus. Illud mirum; tam in tempore longinquis è regionibus illum ueniſſe, ut tuis ſuffragijs intereſſet. O aduentum peropportunum. Deinde plus undecies centum tui ordinis uiros ad ea ferenda ſuffragia conueniſſe. Poſtremo horum ipſorum nutriendorum tibi ſumptum publice ſubminiſtratum. Hæc omnia mihi iocunda: non enim aſſolent fieri: neque nos tam frequētes Auguſtinianos alibi conueniſſe; neque tam multos dies unà fuiſſe; neque tantos eis publice ſumptus unquàm meminimus ſubminiſtratos. Quod uero tu horum omnium ſuffragijs renunciatus ſis totius

totius ordinis Magiſter; ut ne unum quidem omnino ſuffragium te reiecerit; id ſane mihi prope miraculo fuit: neque ſolum mihi; ſed ijs etiam, qui mecum aderant, cum tuas legi litteras: in primisque Ruffo Cardinali *amantiſsimo tui: qui continere ſe non potuit, quin exclamaret, eius generis nihil ſimile his temporibus accidiſſe. Qua in re cum tibi gratulor, non tam quidem, quod is tibi magiſtratus obuenerit: nam tu illum ſemper contempſiſti; quàm quod tam honorifice delatus tantóque conſenſu ordinis; ut nemo repertus ſit ex tanto hominum numero, qui te dignum eo munere non exiſtimarit:* Tum *mihi etiam gaudeo: cuius de te præiudicium ordo omnis atq; ſocietas ſic probarit, atque ita ſit ſequuta; ut quam de te opinionem ipſe habueram; eam omnes homines habuiſſe uiderentur. Quod cum ita ſit; magna tibi adhibenda cura eſt; ut in obeunda* Præfectura *eum te ſocij tui eſſe omnes intelligant; quem ante* Præfecturam *fore tam conſtanter crediderunt.* Magnum *tibi onus iſta tam illuſtris tamq; mirifica tuorum ſociorum ſignificatio impoſuit: magnum etiam teſtimonium de te meum: ut non tam gloriæ tibi futurum ſit, ſi recte feceris; quàm turpitudini, ſi ſecus.* Nam *quem homines eſſe bonum uirum & rectum putant, is ſi bene aut iuſte quid egerit; nihil admirantur: plurimi etiam tanquàm iure ſuo ab eo id expetunt. Si prauitate aut iniuſti-*

 tia ducatur;

tia ducatur; tum uero non tam quidem illos, in quos inique aggreſſus eſt facere; quàm ſe ipſi eſſe luſos & deceptos putant. Sed hoc non tam ideo ſcribo; quod uerear, ne expectationi hominum reſponſurus ſis: quàm quo accendare, ut pulcherrime atque ampliſsime reſpondeas. Cæterum quod me ordo rogat; ut quæ ipſe in te præficiendo iuſſerit, ſtatuerit; ea probem; ita feci: uerbaq; ipſa mea huic epiſtolæ iuſsi adſcribi. Tu ualebis; & DEVM timebis; & iuſtitiam diliges.

CVM Gabriel Venetus ordinis Auguſtinianorum Eremitarum Promagiſter cõuentum ſociorum Venetijs habuerit: eumq; ad conuentum undecies centum eius ordinis uiri omnibus è regionibus acceſſerint: cúmque Gabriel Venetus ob uirtutem & probitatem ſuffragiorum die omnibus ad unum ſuffragijs undecies centum hominum ſociorum declaratus fuerit eius ordinis Magiſter: Leoni Decimo Pontifici Maximo eam declarationem ratam et probatam eſſe; placereq;, ut is Magiſtratum ineat. Dat. Nonis Iunijs. MDXIX Anno ſeptimo. Romæ.

Iſabellæ Mediolanenſium Duci uiduæ. 23

CVM exploratum haberemus Aeneam Pium Gonzagam iuuenem induſtrium et familiarẽ meum eſſe tibi iampridem magnopere deditum: uoluimus ut is

ut is tibi Romam *atque ad nos uenienti obuiam proficiſceretur; ſalutaretq́; te meis uerbis: comitareturq́;, quandiu in noſtris reip. locis eſſes.* Cui *etiam mandaui; ut de meo in te paterno amore uetereq́; beneuolentia a meis maioribus tuorum maiorum amantiſsimis mihi quaſi per manus tradita te certiorem faceret.* Tibi *quidem comitatuiq́; tuo hoc in itinere proſpera omnia euenire ualde cupio: teq́; ipſam maxime expecto.* Dat. *Septimo* Id. Octob. MDXX. *Anno octauo.* Roma.

Adriano Cardinali Dertuſenſi. 24

INTELLEXI *ex Legati mei litteris, qua ſollicitudine eſſes propter uehemētem iſtorum populorum motum: cum tibi neque decedere* Hiſpania*, ut ſtatueras; neque manere, quemadmodum uoluiſſes, plane licuerit: uerſeris autem in maximarum turbarum & moleſtiarum fluctibus: uideasq́; quotidie aliquid eorum; quæ te magnopere angunt, propterea quod plurimarum & clariſsimarum urbium & populorum ſtatum quietemq́; multorum annorum ſpatio confirmatam ſic labefactant; ut niſi* Dominus *prohibuerit, maior earum meliorq́; pars uideatur eſſe celeriter ruitura.* Equidē *pro meo in te amore ualde doleo mœreoq́; tuam uicem.* Vellem *autem; ut erat quidem æquius, & ut tua uirtus bonitasq́; poſtulabant; te in tuto eſſe*

hoc ſane tempore tam miſero tamq́; turbulento: neque tangi commoueriq́; ipſum propter aliorum temeriatem atque inſanias. Sed quoniam ea conditione nati ſumus; omnibus ut caſibus atque periculis propoſita ſit uita noſtra: ferre debes moderate, quæ euenerunt; quorum nihil contractum ſit tua culpa: præſertim cum ipſe ita uitam inſtitueris tuam, ita aliquot iam annos te exercueris magnis tractandis rebus populisq́; iuuandis; nullum ut laborem fugere, per quem illorum otio conſulas; nullum euitare periculum, in quo ſalus populorum contineatur; honeſte iam poßis. Hortor igitur te; *ut quemadmodum in tempeſtate nauium ductores boni atque induſtrij faciunt: qui tametſi uim uentorum ferre non ualent; a clauo tamen non recedunt; non tam quidem ut eum curſum teneant, quẽ uolunt; quàm ne omnino uentis furentibus ſe permittãt, citóque pereant:* Itaque *flectunt illi quidem nauim ſæpe uel dextrorſum uel ſiniſtrorſum; cum tamen recta ire cupiant. Sic tu nunc remittas cenſeo multum de tuo iure populis furore percitis; laxesq́; de ſeueritate illa tua; quam ipſe retinere iam non potes; de iuſtitia, quam illi non uerentur; de moderatione tua; addo etiam de tuis moribus. Sed nequaquam te ab illorum gubernaculo amoueas propterea, quod ij ſe regi non ſinant. Sinent enim paulo poſt, cum reſipuerint; id, quod plærumque fert dies: regesq́; tu illos, & plane duces, quò uoles.*

les. Quod

les. Quod non faceres; ſi deſperauiſſes; puppimq; Hiſpaniæ, in qua nunc es, reliquiſſes. Quanquam, ut cunque ſe iſti nunc tumultus habent; magnam tu certe atque ueram & ſolidam laudem probitatis prudentiæ continentiæ apud iſtas nationes conſequere: quæ te unum ex tot milibus alienum ſane hominem in tanta rerum mutatione, tanto ardore animorum et diſſenſione uoluntatum non ſolum eſſe iſthic patiuntur; ſed etiam precibus omnibus retinent, neque recedere permittunt: ita te unum obſeruare, ita prorſus colere amareq; uidentur. Mihi quidem optatiſſimum accideret; ſi te tanto ex labore furentibus hominibus ſeruiendi, non enim poſſum dicere imperandi: tam graui onere leuare uel meo aliquo magno incommodo & labore poſſem. Id ego quoniam hoc tempore quemadmodum fiat non perſpicio: ſperare debes tu, DEVM Optimum Maximum; cui quidem bene agendo beneq; ſentiendo hoſtiam maximam facis; tibi certe in iſtis erumnis uerſanti non defuturum. Quod uero ad me attinet: ſi quid in nobis tibi eſſe opis & præſidij cognoſces: id omne reliquáque omnia pietati tuæ atque uirtuti uno uerbo pollicemur. Duodecimo Cal. Nouemb. MDXX. Anno octauo. Romæ.

N. 25

Non potuit gratior afferri nobis nūcius Damiano ciue ueſtro; quem ad me magna celeritate miſiſtis. Is enim mihi ueſtris uerbis renunciauit Selinum Turcarum Regem mortem obijſſe. Eum igitur multa mihi & ordine & prudenter exponentem libentiſſime audiui: Egiq́; DEO Optimo Maximo gratias: qui ſuis populis nobiſq́; omnibus imminentem formidabili potentia audacia crudelitate hoſtem ſubmouit. Amaui autem ea de re amorem erga me ueſtrum & diligentiam. Quæ quidem cum ſæpe alias mihi gratiſſima fuit: tum certe hoc tempore acceſſit ſane etiam iocundiſſima: quo maxime Regem illum acrem et uegetum pertimeſcebam: cum nihil adhuc quidem noſtri Reges in communem utilitatem, præter ſpem pollicitationesq́; contuliſſent. Sed hæc hactenus. Hortor autem uos; ut ſi qua alia iſthuc uel Bizantio uel omnino ex Aſia perferentur; quæ ſcire me oportere uobis uideri poſſit; ſtatim ad me omnia perſcribatis. Ea enim uera, ut ſoleo exiſtimabo; quæ de uobis accepero. Reliqua ex Damiano cognoſcetis: quem uobis lubentem remitto. Sexto Id. Decemb. MDXX. An. octauo. Roma.

Franciſco

Franciſco Regi Gallorum. 26

CVM Bernardus Bibiena Cardinalis aliquot iam dies ex ſtomacho laboret: magiſq́; timore quodam ſuo, quàm morbi ui urgente, breui ſe exiſtimet moriturum: ſcribit ad te, mittitq́; Ioannem Franciſcum Valerium familiarem ſuum magnis itineribus: petitq́; abs te multis precibus; ut qua liberalitate in ſe uiuentem fuiſti, ea in morientem ſis: desq́; illi, ut Eccleſiam Conſtantienſem, quam abs te habet, tradere ſororis ſuæ filio poßit. Eæ ſunt enim fortunarum eius & domus & familiæ rationes; ut ſi id abs te non impetret; maiorem ſuorum chariorémq́; ſibi partem in egeſtate ſit atq́; in diſcrimine relicturus: ipſe uero nec æquo nec pacato animo è uita migraturus; qui hoc moriens uideat. Id etſi ipſum per ſe pro ſua in te mirifica ſingulariq́; obſeruantia, cuius ipſi teſtes optimi ſumus, proq́; tuo in ſe amore, naturæq́; tuæ indefeſſa liberalitate magnoq́; animo eſſe facile impetraturum exiſtimem: uolui tamen ipſe quoque idem abs te petere & requirere. Quanquàm enim nihil dum ſane uideo; quo quidem de illius uita ſit omnino magnopere timẽdum: hortor tamen te non ſane uel mediocriter, uel uſitato genere hortandi; ſed quodam ſingulari planeq́; acccuratißimo: uelis; ut, ſi id accidat, quod ipſe ſuſpicatur; tua in illum

illum munificentia tuumq; præclarum munus non ſtatim neque unà cum ipſius uita extinguatur: præſertim cum ei tam breue temporis ſpatium illo ipſo tuo munere frui licuerit: ut ante amiſſum uideri poßit; quàm quale quantúmue fuerit, percipi ab ipſo cognoſcique potuerit. Multæ quidem ſunt cauſæ; quamobrem inducor id ſummopere ut cupiã, quemadmodum ipſe optat, confici. Primum, quia Cardinalis ipſe, propterea quod eſt alti profuſiq; animi, multum æris alieni contraxit: ut ſi id diſſoluendum ſit, fratrum ſororumq; eius filij & puellæ quædam uirgines, quas ipſe dare nuptui parabat, magnam ex eo iacturam faciant, magnum detrimentum patiantur, neceſſe ſit, uel potius etiam maximum. Quibus omnibus abunde conſultum erit; ſi ſororis eius filio ea in re per te conſuletur. Deinde quod Cardinalis familia; quam quidem ipſe ex humili certe loco traxerat ad ſatis altũ & ſpectabilem gradum; ſi eum Epiſcopatum retinebit; multum quidem ſplendoris & gratiæ illo etiã mortuo retinebit. Ad hæc accedunt adoleſcentis ipſius; quem honeſtare eccleſia iſta uult; optimi elegantiſſimiq; mores, egregia bonarum artium doctrina, ſumma uirtus, mirificum ingenium: ut ipſe iam per ſeſe ſatis dignus omni quidem tuo munere et liberalitate uideatur: quem Cardinalis ita diligit; ut in eo uno omnem prope poſteritatis ſuæ ſpem poſuerit: atque ipſe iam nunc in eius pietate atque

uirtute libentiſsime conquieſcat. Poſtremo illud me uehementer mouet; quo moueri te etiam arbitror: ut ipſe, ſi moriendum ei ſit, hanc ſecum lætitiam, hoc mortis ſolatium ferat; decedátque animo quàm æquiſsimo & quàm pacatiſsimo. Quæ quidem omnia non tam propterea colligo; quod nō illud unum exiſtimem apud te plurimum ualiturū, amorem ſcilicet erga illum tuum, itémque incredibilem ipſius in te cultum; quod initio dixi: ſed ut mihi ipſe, qui id magnopere cupio, ſatisfaciam: ne perfamiliari ac perneceſſario meo mihiq́; charisſimo & ſuauiſsimo atque in omni uitæ munere probatiſsimo mea beneuolentia meúsque amor hoc extremo eius uitæ tempore, ſi hoc extremum erit; plane defuiſſe uideatur. Reliqua ex ipſo Valerio cognoſces. Quarto Id. Octob. M D X X. *Anno octauo. Romæ.*

Ludouicæ Regis matri. 27

E x *meis ad Franciſcum Regem filium tuum litteris, & ex Valerij ſermone; qui a Bernardo Bibiena Cardinali magna celeritate ad illum atque ad te miſſus has tibi litteras reddidit; quid ab illo utrique magnopere petamus, intelliges. Quod tametſi Cardinalis pro ſumma ſua in illum beneuolētia atque illius in ſe uoluntate facile ſe impetraturum confidit: optat tamen illud ipſum per te conſequi.*

ſequi. Ego uero; qui ut Cardinali hoc præcipue tempore ſatisfiat; quod ipſe omnium ultimum ſibi fore tempus arbitratur; æque atque ille, propemodum laboro: omni meo ſtudio, omni animi mei cura & diligentia te hortor, petitionem eius iuues, tam iuſta præſertim in re, tam plena pietatis, tam digna, quæ a tam magno tamq; alti animi Rege, tam ab illo culto impetretur. Id ſi tu, quemadmodũ ſpero, confeceris; erit mihi abs te non ſolum gratiſsimum; ſed etiam in hoc mœrore, quo ſum propter uitæ hominis omnium mihi chariſsimi periculum, certe iocundiſsimum. Quarto Id. Octob. M D X X. Anno octauo. Romæ.

Philibertæ Sabaudiæ. 28

QVOD ſingulari ſtudio priſtinaq; tua illa mirifica pietate & colas uſquequaq; nos & obſerues; quemadmodum ex tuis litteris et ex Internuncij tui ſermone facere te cognoui; ſane gaudeo: lætorq; & religione tua & firmitate animi atque conſtantia. Itaq; exploratum tibi eſſe uolo; me nunc quidem eandem illam meam uere paternam in te beneuolentiam exercere; quam iampridem perſpicere potuiſti: Idq; ita ſe habere, omnibus tuis in rebus omni tempore omnes homines ut intelligãt; libenter atq; amanter curabo. Quarto Non. Octob. M D X X. Anno octauo. Romæ.

Senatui

Senatui Regio Mediolanenſi. 29

VENIENTI ad uos miſſu meo Latino Iuuenali; qui eſt ex meis intimis maximeq; familiaribus; ijs de cauſis, quas ab ipſo cognoſcetis magnis quidem certe, ſed apertis & explicatis; has dare litteras uolui: quibus uos magnopere hortarer; ut ijs in rebus, quas a uobis requiret, beneuolentiam erga me ueſtram præſtetis: atq; ipſum ita libenter audiatis; ut appareat eum, qui mihi propter ſuas egregias exploratasq; uirtutes atque in Ro. remp. ſtudium eſt ſane multo chariſſimus; a uobis etiam fieri plurimi. Sexto Cal. April. MDXXI. Anno nono. Romæ.

Franciſco Gallorum Regi. 30

CHRISTOPHORVS Longolius homo Gallus & cum tibi notus, tum uero etiam deditiſſimus, optimarum artium ſtudijs, quibus a puero in Gallia incubuerat, egregie eruditus, Græcarum litterarum facilius adipiſcendarum cauſa Romam aliquot ante annis uenit. Quibus quidem litteris mirificam operam triennium cum dediſſet; ſuique interea ingenij & doctrinæ & plane uirtutis nomine ac morum probitate in meam familiaritatem cum ueniſſet; nobis non ſolum uolentibus.

bus, ſed eius etiam ſtudia ſtipe annua fouentibus Patauium ſe contulit: ut ea quoque in urbe celeberrimóque doctrinarum omnium ludo ſeſe coleret. Qua in urbe ita nunc quidem proficit; omnes ut homines, quibus eſt ipſe notus atq; cognitus; eſt autem prope uniuerſæ iam Italiæ; magna ſui ſpe expectationeq́; impleuerit: cogatq́; credere, ſi uita ei ſuppetat, in maximum clariſsimumq́; uirum ac noſtris temporibus ſatis quidem eruditis longe præſtantem breui illum facile euaſurum; uel potius iam euaſiſſe. Quæ cum ita ſint; ego autem intelligam tam docto & claro iuueni nullas opes eſſe; quibus ſe alere, ſuaq́; ſtudia & uirtutes non ſolum illuſtrare, quod erat profecto æquiſsimum; uerum ne ſuſtentare quidem ipſe per ſe poſsit: ſi unquam alias, nunc quidem plane diligentiſsime te hortor; uelis pro tua liberalitate uere regia et propēſo in claros excellentesq; uiros inſigniq; doctrina præditos animo mandare atque efficere; ut ex primo quoq; tempore Præfectos amiſſuris in ditione tua ſacerdotijs aliquod eius tam ſingulari uirtute dignum illi ſacerdotium tribuatur: quo is munere tibi deuinctus confectis ſuis ſtudijs; quæ iam iámque, ut audio, conficiet; & ad te reuerti id, quod ipſe in primis cupit, & tibi præclaram aliquam nauare operam commode & pacato animo poſsit. Quanquàm ne nos quidem interea aut ullo etiam tempore eius hominis commoda, cum ſe occaſio dederit,

derit, ſumus me hercule neglecturi; neq; ſane curam, quam de illo ſemel ſuſcepimus abiecturi. Id ſi tu, ut confidimus, curaueris, apud ipſum præclariſsime poſueris. Polliceor enim tibi, ac plane recipio, te magnos ex tuo beneficio uberrimosq; fructus, ſempiternæ ſcilicet laudis atq; memoriæ, breui tempore percepturum. Mihi autem; qui excellenti doctrina uiros præſertim cum probitate coniuncta in primis colere & diligere conſueui: tam gratum feceris; ut ipſe abs te in eo beneficium me accepiſſe ſim exiſtimaturus. Quemadmodum ab Legatis tuis, quibuscum ea de re loquutus ſum, latius intelliges. Dat. Octauo Idus Apri. MDXXI. *Anno Nono. Romæ.*

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA

NEQVID *lector deſideraret, addidimus tibi indicem eorum, ad quos ſcriptæ ſunt epiſtolæ a* Petro Bembo. *Eumq́; diuiſimus in duas partes, altera complexi quas familiariter ſuo, altera quas Pōtificis* Leonis *nomine emiſerat.* Videmurq́; *ita recte feciſſe, ne ordinem, ac uelut* Hiſtoriæ *ſeriem interturbaremus, dein ut foret facile unicuique quam deſideraret* Epiſtolam, *ex nomine eius cui inſcribitur inuenire.*

A

Angelo Politiano.	11.
Angelo Gabrieli.	24.25.26.28.30.
Antonio Bolduo.	31.
Andrioni Artuſino.	33.34.
Antonio Rontionio.	36.
Alberto Pio.	49.
Alexandro Cribello.	151.
Antonio Bernerio.	244.
Andreæ Triuiſano.	259.
Andreæ Alciato.	264.266.267.268.269.
Alberto Cardinali Brandeburgenſi.	283.
Antonio Florebello.	289.
Alexandro Cardinali Farneſio.	293.307.309.311.
Antonio Perrenoto.	319.321.
Adamo Carolo.	348.366.389.

MMM

Ant.° Eparcho Corcyræo. 352.
Aloiſio ſtunicæ. 359.361.
Alphonſo Idiaqui. 362.
Auguſtino Triultio. 367.
Alphonſo Cardinali Luſitaniæ. 379.
Antianis Bergomi. 387.

B

Bernardo Bembo patri. 5.7.
Eidem, & Paulo Piſano. 6.
Bartholomeo Agolanti. 34.
Bartholomeo Comino. 74.
Bernardino Sandrio. 249.255.
Bartholomeo Riccio. 275.368.
Bartholomeo Caſtellano. 276.279
Bernardo Cardinali Tridentino. 285.
Benedicto Accolto. 331.332.
Benedicto Varicenſio. 336.
Baſilio Zanco. 380.

C

Cardinali Sanctæ Crucis. 152.156.
Chriſtophoro Longolio. 198.200.205.
Colæ Bruno ſuo. 233.234.
Caterinæ Landæ. 241.

Eadem Petro Bembo. 242.
Carolo Vtenhouio. 253.
Conſtantio Syluio. 272.
Coſmo Gherio. 312.313.315.316.
Carolo.V. Imperatori. 356.
Canonicis, & ſocietati Eccleſiæ Bergomat. 386.

D

Dominico Grimano. 40.41.
Danti Tertio Aligero. 148.
Dominico Contareno. 172.
Dominico Bonfilio. 350.
Domino de Frãgipanibus. 370.
Damiano Luſitano. 377.395.
Danieli Barbaro. 390.

E

Epiſcopo Quinqueeccleſienſi. 193.
Eraſmo Roterodamo. 250.321.322.324.
Egidio Cardinali. 261.
Egnatio. 287.

F

Franciſco Bragadeno. 140.

Federico Fregoſio. 163.165. 167. 169. 170.257.
Federico Veterano. 182.
Franciſco Victorio. 229.230.
Franciſco Bonæfidei. 231.
Fuluio peregrino. 289.
Franciſco Belino. 291.
Franciſco Bonero. 301.
Franciſco Maurolyco. 338.342.
Franciſco Molſæ. 344.

G

Gabrieli Fanenſi. 51.52.54.55.57.
Guido Vbaldo Feretrio. 142.
Georgio Caßiano. 178.
Gulielmo Budæo. 193.196.
Gabrieli Veneto. 209.247.
Georgio Seluæ. 290.
Georgio Sabino. 306.388.
Georgio Loxano. 317.318.
Garſilaſſo Hiſpano. 333.
Gonſalo Pireſio. 365.366.
Georgio Giraldo. 369.
Georgio Cœlio. 381.
Gregorio Corteſio. 382.

H

Hieronymo Saorniano. 131.
Hieronymo Donato. 37.35.
Herculi Strotio. 76.77.78.79.80.82.
Herculi Pio. 128.
Hieronymo Bononio. 131.
Herculi Gonzagæ. 238.239.243.245.
354.
Hieronymo Nigro. 270.
Hieronymo Frobenio. 286.

I

Ioanni Alexãdro Vrticio. 1.3.4.
Ioanni Baptiſtæ Stato. 13.16.
Ioanni Cynthio. 27.
Ioanni Baptiſtæ Portenſi. 47.
Ioanni Aurelio. 66.131.
Ioãni Frãciſco Benedicto. 87.
Iacobo Sadoleto. 86.89.90.91.98.101.
107.111.113.116.
118.119.120.122.
124.125.
Iacobo Syncero Sanazaro. 144.
Ioanni Franciſco Buranæ. 150.
Ioanni Gozadino. 157.
Ioanni Baptiſtæ Pio. 158.
Iulio Tomarotio. 160.

Ioanni Baduario. 161.
Ioanni Medici. 179.
Iulio Secundo Pontifici. 185.
Iacobo Banniſio. 191.
Ioanni Baptiſtæ Fideli. 273.
Ioanni Chryſoſtomo Monacho. 280.
Ioacchino principi Brandeburgenſium. 281.
Iacobo & Ioanni Baptiſtæ Lomellinis. 394.
Iouitæ Rapicio. 396.

L

Ludouico Teſſiræ. 85.
Leandro Alleſio. 129.
Locum tenenti Magiſtri Rhodiorum. 190.
Lazaro Bonamico. 232.233
Lazaro Baiſio. 260.
Laurentio Maſſulo. 385.

M

Marco Sanuto. 17.
Eidem, & Paulo Piſano. 22.
Marco Antonio Sabellico. 46.
Marino Georgio. 83.

Marco Cornelio. 129.
Michaëli Barotio. 305.
Michaëli Maio. 363.
M.Hieronymo Vidæ. 372.
Marcello Ceruino. 376.

N

Nicolao Domineo. 28.
Nicolao Prendilaquæ. 147.
Nicolao Perrenoto. 357.

O

Octauiano Fregoſio. 183.

P

Paulo Piſano. 19.21.
Petro Barotio. 47.48.
Placidio Amerino. 59.60.
Phædræ Volaterrano. 84.
Phihippo Beroaldo minori. 132,136.138.
Petro Frāciſco Flaminio. 146.
Paulo de Canali. 156.
Petro Flaminio. 162.
Petro Briſſoni. 228.
Preſbytero Albino. 290.

Paulo Tertio Pontifici. 295.298.300.
Petro Paulo Vergerio. 303.
Paulo Sadoleto. 325.326.327.
Paulo Petræ Sanctæ. 355.
Paulo Archiepiſc.° Strigoniæ. 371.
Petro Kmythæ. 375.

R

Rutilio Zeno. 191.
Reginaldo Polo. 210. 212. 215. 218. 220. 221. 223. 224. 225.
Romulo Amaſæo. 235.
Ranutio Farneſio. 392.

S

Sigiſmondo Fulginati. 176.177.
Sebaſtiano Corrado. 257.
Sigiſmondo Regi Poloniæ. 374.
Scipioni Capicio. 391.

T

Tryphoni Gabrieli. 43.45.
Torquato Bembo. 384.386.

V

Valerio Superchio. 61.62.63.65.
Vincentio Quirino. 68.
Eidē, & Angelo Gabrieli. 71.
Vberto Gambaræ. 147.
Victori Fauſto. 253.
Victori Superantio. 272.
Victori Trincauello. 337.
Vbaldino Bandinello. 351.

A

Antonio Cardonæ. 23. 26.
Ant.° Mariæ Palauicino. 39.247.
Altobello Epiſcopo Polæ. 41.
Alphonſo Ateſtino. 45. 68. 80. 84. 85. 154.255.264.269. 350.433.501.
Alberto Societatis Mar. Theuton. magiſtro. 52.54.
Altoſaxo Heluetiorū duci. 99.
Anſelmo Craſeſio. 99.
Angelo Coſpo. 112.
Ant.° Abbati Sancti Bertini. 125.351.385.

Achilli Craſſo. 136.138.
Antonio Cardinali Bono-nienſi. 161.167.198.
Antonio Volteio. 181.
Andreæ Burgio. 205.
Alphõſo Cardinali Senẽſi. 261.456.
Alberto Cardinali Gallo. 270.
Aloiſiæ Regis Gallorum matri. 295.341.
Antonio Sanctæ Crucis. 317.
Agneſinæ Montis Fere-trianæ. 401.
Ameto Beno. 468.

B

Bernardino Seuerinati. 35.
Bartholomeo Liuiano. 181.288.
Brenſellæ Pago Heluetio-rum. 191.
Burgheſio Petrutio Senẽſi. 206.
Baldeſſari Caſtilionio. 207.
Bernardo Bibienæ Car-dinali. 318.411.504.
Boiorum Duci. 390.391.
Brixellanis. 423.

C

Ciuib. & mercatorib. Lucenſibus. 57.
Claudiæ Ludouici Regis filiæ. 190.
Carolo duci Allobrogum. 233.236.335.408.
Comiti Genuenſium. 234.236.
Canonicis et Societati Eccleſiæ Veronenſis. 243.
Claßis Præfecto. 271.
Cardinalibus abſentibus. 339.
Carolo Hiſpaniarũ Regi. 355.378.386.399.422.431.441.445.448.449.461.463.480.506.508.517.518.520.
Cardinali Toletano. 423.
Ceurio. 439.443.

D

Duci et Decurionibus Genuæ. 15.291.
Daciæ Regi. 48.
Dominico Cardinali Grimano. 134.139.
Decurionib. & Magiſtratui Municipij Aſculani. 219.

Dauidi Regi Abiſſinorum. 271.
Dominico Cardinali Iacobatio. 340.
Decurionibus Eugubinis. 410.
Duci Grauinæ. 413.
Decurionibus Tudertinis. 473.

E

Epiſcopo Eſermiæ deſig. 13.
Euangeliſtæ Taraſconio, & Iacobo Gambaro. 57.
Epiſcopo Feltrinorum, Magiſtratui Placentiæ, & Paulo Sumontio. 142.
Epiſcopo Ceruiæ. 164.
Ennio Epiſc.° Verulano. 186. 367.
Epiſcopo Veſprimieſium. 304. 356. 374. 392.
Emerico Pannoniæ Palatino Principi. 306.
Epiſcopo Foroliuienſium. 351.
E. N. . . . . 430.
Epiſcopo Pacenſi. 435. 448.
Epiſcopo Saguntino. 458.
Egidio Viterbienſi. 486. 489. 492.
Epiſcopo Curienſi. 488.
Epiſcopo Ouetenſi. 510.
Epiſcopo Burgenſi. 514.

F

Franciſco Gonzagæ. 8. 47. 66. 129. 152. 260. 365. 436.

Ferdinãdo Hiſpaniæ Regi. 34. 131. 168. 203. 227. 262. 324.

Franciſco Pulicæ. 40.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci. 42. 85. 89. 96. 149. 164. 216. 261. 274. 317. 322. 329.

Fabritio & Marco Antonio Columnæ. 151.

Franciſco Hernãdo Aualo. 152.

Federico Archiepiſcopo Salernitanorum. 169. 383. 417.

Fabritio Carreto. 193. 195. 220. 258. 286. 312. 413. 439.

Federico Lando. 242.

Franciſco Gherino. 288.

Franciſco Regi Galliæ. 294. 321. 330. 333. 336. 340. 349. 391. 393. 408. 415. 416. 418. 419. 438. 446. 453. 465. 469. 478. 515. 527. 537. 541.

Franciſcæ Triultiæ. 363

Faliſcis. 381.

Franciſco Pittæ. 382.

Focaris mercatoribus Germanis. 429.
Franciſco Piſano. 502.507.
Familiæ Rodulphorum. 503.

G

Guidoni Magno Magiſtro & Conuentui Rhodio. 18.38.77.79.
Guido Vainæ. 66.
Gulielmo Marchioni Mõtisferrati. 158.167.428.
Galeatio Palauicino. 210.251.427.
Guido Rangonio. 225.
Grauiſcis. 381.
Genuenſibus. 397.
Gulielmo Gallo Medico. 420.
Gabrieli Veneto. 521.523.530.

H

Henrico Regi Britanniæ. 30.139.254.450.
Hippolyto Cardinali Ateſtino. 49.
Hannibali, & fratribus Bentiuolis. 58.
Heluetiorum pagis duodecim. 61.

Heluetijs. 86. 101. 145. 165. 267. 268. 292. 325. 327. 372. 484. 496. 498.
Herculi Mareſcotto. 106. 113.
Hannibali Bentiuolo. 114.
Hannibali Paleotto. 240.
Henrico Nolæ Comiti. 327.
Heluetijs fœderis Griſij. 348.
Heluetijs pagorum octo. 357.
Hominibus Sãcti Martini. 405.
Hadriano Epiſcopo Dertuſenſi. 459. 533.

I

Iuliano Medici. 24. 335.
Ioanni Boiardo. 35. 131.
Ioanni Paulo Balioni. 40. 218. 369. 388. 472. 474.
Ioacchino Marchioni Brãdeburgenſi. 94. 183.
Ioanni Saxatello. 126. 214. 255.
Ioanni Petro Gonzagæ. 160. 213.
Internuncio Hiſpanienſi, Epiſcopo Conſentino. 168.
Iacobo Ciui Bononienſi. 218.
Ioanni Lunæ. 232.

Internuncijs apud regem Hiſpaniarum noſtris. 262.
Iano Parrhaſio. 270.
Ioanni Neroni. 275.
Ioanni Iordano Vrſino. 297.
Ioanni Blaſsiæ. 314.
Ioanni Franciſco Pico. 362. 504.
Iſabellæ Aragoniæ. 368.
Iacobo Banniſio. 371.
Ioanni Georgio Triſsino. 430.
Ioanni Bernæ. 467.
Ioanni Iacobo Triultio. 494.
Ioanni Albaniæ populorũ duci. 516.
Iſabellæ Mediolanenſium duci Viduæ. 512.

L

Leonardo Lauredano. 7. 10. 63. 69. 138. 203. 229. 263. 305. 307. 320. 417. 454. 455. 493. 529.
Lucretiæ duci Ferrarienſium. 104. 155.
Laurentio Maluitio. 113.
Laurentio Medici. 144. 254. 260. 315. 388. 464.

Laurentio

Laurentio epiſcopo Feltrinorum. 36.176.241.286.
Ludouico Galliæ Regi. 188.235.265.273.
Liuoniæ magiſtro. 245.
Ludouicæ Tornaboniæ. 248.
Legato Auinionenſi. 253.
Ludouico Canoſſæ. 277.415.
Laurentio Tuccio. 298.
Latino Iuuenali. 310.466.519.
Ludouico Areoſto. 316.
Ludouico Comiti Sancti Bonifacij. 345.
Ludouico Pannoniæ, Boëmiæq; Regi. 373.457.512.
Ludouico Firmano, & Hieron. Brancadoriæ. 425.
Ludouico Tudertino. 477.
Ludouicæ Regis matri. 539.

M

Marco Antonio Columnæ. 21.65.106.330.337.
Magiſtratibus Regij Lepidi. 22.62.120.130.159.221.528.

Maximiliano Mariæ, Mediolanen. duci. 33.44.71.74.76.83.87.93.95.97.103.108.130.147.157.185.201.205.212.226.248.289.309.
Magiſtratibus Ariminenſium. 45.230.
Magiſtratui Bononiæ. 55.61.65.67.69.79.81.96.134.137.147.160.169.180.196.197.519.
Marco Martello. 56.
Monachis Neapolitanis. 58.
Magiſtratibus Parmæ. 64.77.150.208.239.297.
Magiſtratibus Placentiæ. 64.148.214.250.
Magiſtratui Foroliuieſiũ. 67.117.
Magiſtratui Rauennæ. 82.
Maximiliano Romanorũ Imperatori deſig. 90.111.171.179.231.281.298.343.352.396.434.443.
Magiſtratui & XL. Viris Bononiæ. 107.257.
Marco Muſuro Cretenſi. 110.
Magiſtratui Peruſiæ. 114.
Malateſtæ Balioni. 115.116.
Municipio Rauennati. 137.

Marco Cardinali Seduno. 143.222.269.359.
Matthæo Cardinali Gurcenſi. 150.343.444.
Municipio Norſino. 151.
Magiſtratui Sinueſſano. 186.
Magiſtratibus Senenſium. 237.
Municipibus Arimini. 249.
Municipio Firmano. 266.
Matthæo Card. Seduno. 296.
Magno Galliæ Magiſtro. 334.
Magiſtratui Spoleti. 337.
Magiſtratui Viterbienſi. 350.
Matthæo Strozzæ. 411.

N

Nicolao Leoniceno. 307.
N. .... 329.536.
Nicolao Scombergio. 491.

O

Octauiano Epiſcopo Laudis Pompeiæ deſig. 44.
Octauiano Fregoſio. 133.139.149.170.
272.311.313.384.
409.
Odoni Lutrechæ. 366.368.369.421.
429.447.511.

Octouiris Reipub.Florent. 437.

P

Petro Bibienæ. 9.37.43.62.93.135.170.
Proſpero Columnæ. 16.386.466.481.
Prolegato Piceni. 16.
Paulo Capello Veneto. 17.
Paulo Germano. 50.204.
Præfectis militum, eorúmque Vicarijs. 70.
Pontis Curui Magiſtratibus. 166.
Proregis Neapolitani Vicario. 183.193.
Promagiſtro Rhodio in Regno Neapolitano. 199.217.
Petro Remiræ. 200.
Parmenſibus dono aliquo Reipub.affectis. 211.
Priori Galliæ Ciſalpinæ. 221.
Paulo Victorio. 224.
Philibertæ ducis Allobrogum Sorori. 234.407.540.
Pindaro Santeſio. 237.
Petro Mariæ Scotto. 249.
Philippo Capello, & eius patruelibus. 251.

Petro Nauarro Cantabro. 266.419.479.
Philippo Gualterotto. 310.
Populoniæ Domino. 318.
Prolegato Vmbriæ. 322.
Petro Ioanni Gall. Claſsis Præfecto. 406.
Procuratori Cardinalis Seduni. 418.
Palauicino Antonij Mariæ filio. 426.
Præfecto Militum Hiſpanorum. 435.500.
Prolegato Peruſiæ. 459.495.
Potentiæ Comiti. 460.469.478.

R

Raimundo Cardonæ. 14.22.27.33.73.75.
145.148.161.182.
191.207.312.321.
338.445.490.497.
513.
Raphaello Beſalù et Socijs. 38.
Rufino Regij Lepidi Magiſtratui. 56.
Regij Lepidi & Parmæ Magiſtratui. 119.184.
Recanatenſibus. 231.
Reipub. Florentinæ. 238.315.326.

Raphaello Vrbinati. 252.323.
Raphaello Petrutio. 320.
Regi Luſitaniæ. 345.
Raphaello Medici. 421.

S

Sigiſmundo Poloniæ Regi. 10.28.50.244.379.
Sacris Virginibus Muratarum Florentiæ. 32.
Sixto Cardinali. 118.128.
Sigiſmundo Gonzagæ. 126.129.
Singulis ijs, qui Creandi Imperatorem ius habēt. 175.
Sebaſtiano Ferrerio. 270.287.468.488.
Sigiſmundo Trotto. 314.
Societati & Canonicis tēpli Romani Apoſtolor. Principis. 460.
Senenſibus. 476.
Siſſæ Præfecto Gallor. Militum. 479.483.
Senatui Mediolanenſi. 507.541.

T

Thomæ Campegio. 20.
Thomæ Epiſcopo Feltrienorum. 45.65.179.202.
299.389.

Troilo Rubeo. 211.

Thomæ Cardinali Strigonienſi. 280.375.402.

V

Vladiſlao Pannoniæ, Boëmiæq́; Regi. 27.120.177.239. 278.303.353.

Verruchianæ arcis Præfecto. 111.

Vni ex Primatibus Heluetiorum. 187

Vgoni Pepulo. 224.

Vito Fruſto. 289.

Vincentio Granatæ. 328.

Vincentio Martinæ. 344.

Viterbienſibus. 380.

Vrbinatibus. 396.

Vitellio Tiphernati. 483.

Series chartarum.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM NNN.

VENETIIS *Apud Gualterum Scottum.*
M D L I I.

ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google